TRACTATVS NOVVS,
vtilis & iucundus,

DE VOLVPTATE ET DOLORE, DE RISV ET FLETV, SOMNO ET VIGILIA,

deque fame & ſiti,

NICANDRI IOSSII VENAFRANI.

Cui acceſſerunt ANTONII LAVRENTII Politiani,

DE RISV, EIVSQVE CAVSIS ET effectis, dilucide ac philoſophice tractatis,

LIBRI DVO.

Antea nunquam editi, nunc vero in gratiam ſtudioſorum in lucem emiſſi.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

FRANCOFVRTI,
Typis Wolffgangi Richteri, ſumptibus
Ioannis Theobaldi Schönwetteri.

M. DCIII.

2 12 32 3 31

Digitized by Google

NOBILISSIMO, CONSVLTISSIMO, PRVDENTIA ET OMNI SCIENTIARVM genere præſtantiſſimo viro, Domino Ioanni Adolpho Kelnero, inclytæ Reip. Francofurt. ad Mœnum conſuli ampliſſimo, Dn. & Mecœnati ſuo omni obſeruantia colendo.

S. P.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HAbet laudandarum artium procreatrix philoſophia, ampliſsime & prudentiſsime conſul, vt cum ipſa per ſe res obſcuras, & à communi hominum intelligentia remotas explicet, & in lucem proferat, tum proſit ſtudioſis, tum incredibili etiam eorum animos, qui res à natura occultatas ſagaciter venantur, vbi ad alicuius implicitæ quæſtionis enodationem venerunt, voluptate perfundat. Ita cum duabus potiſsimum rationibus mens, quæ nunquam expleri poteſt, in hoc ſtatu ad vnum aliquid cupide perſequendum

rapiatur, ſiue cũ vtilitatis, ſiue cum voluptatis lux aliqua oſtenditur (vtilitatẽ namque cum honeſtate cõiungo) mirũ dictu eſt, quantopere in earũ rerũ, de quibus doctrina eſt quædã ſubtilior pulchritudine, ac fructu cõquieſcat. Hinc ab ipſo ferme conſtituto orbe, excellentiſſimi viri, omnibuſque omnino bonis inſtructiſſimi fuerunt, qui illud ingenii acumen, quo aſſequi quiduis facile potuiſſent, in hoc vnum opus, à quo cætera ſplendore & gloria vincerentur, contulerunt, nimirum ab hoc fonte deriuari credebant (neque eos fallebat opinio) omnia, quæ tum ad rerum perreconditarum, cauſarumque, quibus ea continentur, naturalem cognitionem, tum etiam ad prudentem negotiorum ſuſceptionem, accuratam adminiſtrationem, celeremque confectionem pertinerent, vt vix ſatis laudari poſſit ea vox plena grauitatis, qua vir ille vnus Greciæ ſapientiſſimus, longeque doctiſſimus Plato rerum publicarum fœlicitatem in philoſophorum hominum virtute collocauit. Qua etiam cauſa adductos non paucos exiſtimem, vt quanquam magno rerum gerendarum onere premerentur, quicquid tamen otij ſuperiſſet, id totum in eorũ, qui de philoſophia aliquid ſcripſerunt

pſerunt, lectione conſumerent, non ſolum vt in ea animus, depoſita prope curarum mole, interquieſceret, ac propemodum interſpiraret, ſed etiam vt ad alia, quæ inſtarent, negotia paratior ac doctior fieret. Quippe ſæpe etiam naturam magiſtram, qua duce errari haud poteſt, ſecuti, quantum hominibus datum eſt, ita effecerunt, vt eius ſolertiam non admirati minus, quam imitati fuiſſe videantur. Ad quam ſummam ſummorum virorum laudem tu generis claritate, ſtudio & ingenij ſplendore quam proxime accedis, virtutem ſcilicet & ſapientiam cum ſtirpe ita coniugens, vt inter viros conſulares omnes vtraque ratione ſplenderes, & antiquam illam maiorum tuorum dignitatem conſeruares. Hinc ego & illo etiam, quo teneor tibi aliqua in re inſeruiendi deſiderio, rē non indignam facturus exiſtimaui, ſi tractatus hoſce Nicandri Ioſsij de riſu & fletu, ſomno & vigilia, deque fame & ſiti ceu opuſcula, ad philoſophiam omnino pertinentia, à me nunc reuiſa, & ſumma qua fieri potuit diligentia emaculata, tibi vni, cui nihil à natura denegatum, neque à fortuna non delatum eſt, offerrem, ratus fore vt in iſta tua fructuoſa hominum vita, tuiſque occu-

pationibus, cum relaxare animum voles, recreare illum ac reficere paululum poſsis, ſi ad harum diſputationum quaſi ſuburbanos quoſdam diuerteris, non magnificos quidem illos atque vberes, ſed ſalubres, vt puto, & amœnos, ac forſitan eo iucundiores, quod eius opera ad viuum reuocati ſunt, cui nihil optatius eſt, quam vt poſsit, nihil antiquius, quam vt cupiat præſtare aliquid, quo eius inſignem erga amplitudinem tuam obſeruātiam omnes non modo qui nunc ſunt, ſed qui futuri ſunt etiam homines ætateſque cognoſcant. Quod tu, ſi munuſculum tua illa, qua rebus etiam minimis magnum pondus affers, humanitate, vt ſpero, complecteris, non vereor, ne quemadmodum tu animum, ſic cæteri omnes munus eiuſq; offerendi cauſam vehementer non probent. Vale. Actum Franckfort Calendis Octobr. 1602.

A. T.

ſubmiſſe colens

Iohan. Theobaldus
Schônvvetter.

DE VOLVPTATE ET DOLORE
OPVSCVLVM primum.
CAP. I.

Explicatur quæ ſit differentia inter dolorem, diſplicentiam, triſtitiam, ſiue mæſtitiam, atque etiam inter voluptatem, & lætitiam.

QVONIAM vitæ noſtræ plurimam fere partem circa dolorem & voluptates abſumimus, atque videntur primæ affectiones ſenſuum & intellectus, vt cenſet Ariſt. in lib. Ethicorum, propterea non erat conſentaneum, vt earum nullam habentes ſollicitudinem, tractationem hanc animaſtico neceſſariam perperam dimitteremus, à noſtro illo iampridem ſuſcepto munere deflectentes. Cum vero affectus animæ, aut animati corporis viderentur, nemini obſcurum eſſe arbitror, quod vegetatiuæ parti nõ conueniant, niſi fortaſſis placeat per quandam tranſlationem ſumere volu-

ptatem pro conſueta & familiari operatione rerum naturaliter operantium, à qua ſcilicet perficiantur, quemadmodum videtur latio calidorum corporum, frigidorum autẽ quies, vnde conſueuerunt dicere naturam ignis, & cognata illius gaudere motu, terram autem quiete, ſiue immobilitate in centro vniuerſi, atque ita videntur gaudere, quoniam ſic bene ipſorum naturæ ſeſe habeant & conſeruentur; ex oppoſitis autem triſtari nempe ignem quiete, terram vero motu ſecus locum, quoniam contrario modo, ac naturæ illorum poſtulant, afficiuntur. Itaque vt gaudet ignis motu ſecundum illam analogiam, ita propter quietem triſtatur & emarceſcit, ſed vere neq; voluptas eſt, neque etiam dolor. De illo igitur dolore atque voluptate habendus eſt ſermo, qui ſentienti, aut omnino intelligenti animæ parti, vel ipſi cognoſcẽti adſcribatur corpori, ac primum volumus explicare quandam differentiam nominum, ne illis fortaſſe neglectis cuncta reddantur obſcura; deinde per quam potiſſimum animæ partem obtingant, quæ ſit eorum natura, quæ deinceps neceſſaria eſſe videantur ad voluptatis & doloris generationem, & quibus modis cõtingere poſſit aliquem gaudere vel triſtari, quid tum fiat in ipſa anima; ex quibus poſtremo explicabitur finis & obiectum vtriuſque. Primum itaq; ſciendum eſt placuiſſe Ariſt. decimo lib. Ethi-

corum

corum, omnes triſtitias appellare dolores, & gaudia voluptates, tametſi perauĉta & multiplicata ſint nomina, hoc enim factum eſt ab aliis cuiuſdam diſtinctionis gratia, itaque vſitato more loquendi conſueuerunt omnes illum duntaxat appellare dolorē, qui fit in ſenſu tactus, per triſtem videlicet ipſius ſenſationem corruptiuam organi, ſiue qualitatum eius conuenientium, quæ ſunt vitæ propriæq; ſaluti neceſſariæ, alios vero nequaquam illi appellant dolores, ſed triſtitias quaſdam, & eorum oppoſita voluptates & gaudia, quaſdam inſuper triſtes & iniucundas cognitiones, admotioneſque aliorum ſenſuum, nempe viſus & auditus, guſtus & olfactus, appellant diſplicentias, & iniucundas cognitiones, vtpote ſi viſiua facultate quædam turpia & fœda ſuſpiciamus, ſi forſitan aſperas quaſdam voces, illaſque in muſicis diſſonantes, ſeu prauos odores, ſaporeſque ingratos quomodolibet ſentiamus, ſiue inepte aliquem dicentem auſcultemus, ac certe videntur dolores non eſſe neque mœſtitiæ, quoniā eo tempore poſſemus eſſe in lætitia conſtituti, abſurdum autem eſt, minimeque poſſibile vt idem tempore eodem poſſit eſſe lætus & mœſtus. Lætitia vero videtur eſſe effectus voluptatis mentis, aut potentiæ cuiuſpiam interioris tanquam effectus ab ipſa cognitione, doloreue proficiſcens, ſeu tanquam finis, non

ſecus atque mœſtitia cuiuſdam doloris ſoboles & finis:ſunt enim è regione oppoſitæ. Itaque videtur lætitia non eſſe mentis gaudium, ſed animi tranquillitas aut alacritas, & vacuitas curarum cum exiſtimatione, aut ſaltẽ pręſuppoſitione ſtatus optimi, quaſi videatur huic homini ſe eſſe cunctis ſolutum curis, & nullius mali opinio, memoriaue ſuppetat, aut tanquam euicta extinctaq; deſpiciatur, ita vt expeditum ipſum faciat ad omnes voluptates facilime ſuſcipiendas, ac ferme geſtiat, atque hinc ſequitur curarum ſolutos vt plurimũ eſſe lætos, atque illos etiam, qui ad pauca reſpiciũt, & propter deſipientiæ notam nulla premuntur ſollicitudine, atque illos qui propter celerem ſenſus motum, & caloris vbertatem ſpiritus habent alacriores, & principium minus cõpreſſum, vnde etiam vinum lætos efficit potatores, quoniam calefacit, motũ auget, & confidẽtiam parit, ſpiritus facit alacriores, ſoluit cõpreſſiones & ſuſpenſiones dolorum, & vim addit principio. Quapropter frequẽtes huiuſmodi lætitiæ, potiſſimũ ſine cauſa obortæ, deſipientiam referũt, & animum auertentem ſeria & honeſtiores curas, atq; cogitationes & ſtudia melioris vitæ. At contraria mœſtitia, quã alii etiam triſtitiã appellant, videtur eſſe remiſſio quædã, & triſtis animi ſuſpenſio, referens dolorẽ & angores, tanquam effectus doloris proprius, qui partem internã animæ occu-

occupauit, aut intrinſecus ipſum principium: ſic n. ſpontanei quidam mœrores efficiuntur. & quandoq; tũ propter principii occupationẽ & moleſtias, tum ẽt cõfuſas quaſdam alioqui triſtes exiſtimationes exoriuntur, potiſſimũ natura & temperamento melancholicis. Sed mihi videretur, eam ad voluptatẽ aptiſſime referri: hanc autem ad ipſum dolorẽ, dico aũt intrinſecum, quem aliis viſum eſt appellare triſtitiã propter diſtinctionem: per ſe enim lætitia eſt ſicut habitus quidã voluptatis, perſeuerans propter exiſtimationem aut præſuppoſitionem optimi ſtatus, vacuitatis inquam curarũ & malorum omniũ; vnde ſimul ſit animi tranquillitas & alacritas quædam, ac nos ſubinde id ſolum ſolemus appellare lætitiam, quod eſt diminutum: mœſtitia vero eſt ſicut habitus quidam doloris perſeuerans propter exiſtimationẽ ſaltem confuſam, aut præſuppoſitionem mali ſtatus, à cauſa nimirũ extrinſeca, vel intrinſecus officiente, vt onus quoddam nimis moleſtum videatur animo impendere propter illam exiſtimationem, quod ſit in miſera fortuna, & ſtatu admodum remiſſo, idq; perſeuerat quouſq; non ſoluatur, ſedeturq; exiſtimatio, aut alia quæpiam recens inducta opinio priorẽ eiiciat & obruat, vel bonũ aliquid ſiue oblectamentum animũ auertat ab illa exiſtimatione, & ſoluat compreſſionem, ſuſpenſionemq; illam dolorificam.

Cap. II.

In qua parte animæ proxime, & immediate ſit voluptas, & dolor.

MAgna difficultas videtur eſſe quibuſdam philoſophis, in qua ſcilicet parte animæ ſit proxime repoſita voluptas & dolor, ac quidam inepte arbitrarentur, vtramque affectionem eſſe propriam facultatis appetitiuæ, ac nullam præterea gaudere triſtariue, niſi vt eſt appetens ſiue amans amore cõcupiſcentiæ & fruitionis, aut contra perſequens odio, nam voluptas & dolor odio & amori familiariſſime ſunt coniuncti, quaſi vero hoc ita fiat, vt quando facultas aliqua cognoſcens quidpiam perceperit, quod plane bonum, ſiue apparens, vel alterutro modo iucundum videatur, mox ab illa cognitione nuda ſubeat opus appetitus, & oblectamento perfundatur, itaque ſi ſit eadem facultas quæ appetit, & cognoſcit, ratione tamen diuerſa, vel omnino alia, illa profecto vt appetens bonis hiſce ſubiectis & iucundis delectetur, quod multis rationibus probant. Quoniam vbi eſt amor & odium, ibidem ſane voluptas & dolor eſſe deberet, ſed amor & odium conſiſtit in appetitu, igitur in eodem ſit dolor & voluptas. Secundo hoc corfirmatur ab obiectis, prout ſunt cauſæ iſtorum, porro bonum & iucundum ſunt obiecta appetitus rationalis &

lis & ſenſitiui: ſed voluptas à bono ſiue iucũdo proficiſcitur; dolor autem ab oppoſitis, igitur in alterutro appetitiuo conſiſtunt. Prçterea ex ipſo actu, nam dolor & voluptas ſunt affectus quidam: neuter enim cognitio eſt, ſed affectus à quibuſdam exorientes cognitionibus, ergo in affectiua ipſa parte animæ conſiſtunt: hæc autem eſt appetitiua, in qua cæteri affectus ſimiles efficiuntur, ſcilicet odium, amor, ira, & illorum cognata. Id denique cõfirmatur, niſi enim per appetitum fierent, fœlicitas profecto, quæ, vt videtur omnibus, eſt præſtantiſſima, voluptas nõ conſiſteret in actu volũtatis, quod eſt abſurdum, namque amor ipſe fruitionis, qui videtur eſſe tota ſubſtantia illius fœlicitatis, manet in appetitu: attamen ſi voluptates, quæcunque excipi poſſunt ab obiectis ipſis, eſſent in potentiis cognitiuis, fœlicitas conſiſteret in actu intellectus, cognoſcens autem ita videtur facere quemadmodum ſi oſtendat, atque indicet bonum, quod deinde vt bonum eſt, aut delectabile delectat appetitum, vnde ex illius oblectamento exoritur amor; hic autem non fit niſi ea parte quæ voluptate afficiatur, ſicut odium à dolore & triſtitia proficiſcitur. Hæc autem opinio ſine vlla difficultate repugnat Ariſtoteli, rationi & ſenſato experimento, quapropter ab ipſa potiſſimum veritate coactus fateor, voluptatem & dolorem fieri in omni

CAP. II.

In qua parte animæ proxime, & immediate fit voluptas, & dolor.

MAgna difficultas videtur eſſe quibuſdam philoſophis, in qua ſcilicet parte animæ ſit proxime repoſita voluptas & dolor, ac quidam inepte arbitrarentur, vtramque affectionem eſſe propriam facultatis appetitiuæ, ac nullam præterea gaudere triſtariue, niſi vt eſt appetens ſiue amans amore cõcupiſcentiæ & fruitionis, aut contra perſequens odio, nam voluptas & dolor odio & amori familiariſſime ſunt coniuncti, quaſi vero hoc ita fiat, vt quando facultas aliqua cognoſcens quidpiam perceperit, quod plane bonum, ſiue apparens, vel alterutro modo iucundum videatur, mox ab illa cognitione nuda ſubeat opus appetitus, & oblectamento perfundatur, itaque ſi ſit eadem facultas quæ appetit, & cognoſcit, ratione tamen diuerſa, vel omnino alia, illa profecto vt appetens bonis hiſce ſubiectis & iucundis delectetur, quod multis rationibus probant. Quoniam vbi eſt amor & odium, ibidem ſane voluptas & dolor eſſe deberet, ſed amor & odium conſiſtit in appetitu, igitur in eodem fit dolor & voluptas. Secundo hoc confirmatur ab obiectis, prout ſunt cauſæ iſtorum, porro bonum & iucundum ſunt obiecta appetitus rationalis &

is & ſenſitiui: ſed voluptas à bono ſiue iucũ-
do proficiſcitur; dolor autem ab oppoſitis,
igitur in alterutro appetitiuo conſiſtunt. Præ-
terea ex ipſo actu, nam dolor & voluptas ſunt
affectus quidam: neuter enim cognitio eſt,
ſed affectus à quibuſdam exorientes cogni-
tionibus, ergo in affectiua ipſa parte animæ
conſiſtunt: hæc autem eſt appetitiua, in qua
cæteri affectus ſimiles efficiuntur, ſcilicet o-
dium, amor, ira, & illorum cognata. Id deni-
que cõfirmatur, niſi enim per appetitum fie-
rent, fœlicitas profecto, quæ, vt videtur o-
mnibus, eſt præſtantiſſima, voluptas nõ con-
ſiſteret in actu volũtatis, quod eſt abſurdum,
namque amor ipſe fruitionis, qui videtur eſſe
tota ſubſtantia illius fœlicitatis, manet in ap-
petitu: attamen ſi voluptates, quæcunque ex-
cipi poſſunt ab obiectis ipſis, eſſent in poten-
tiis cognitiuis, fœlicitas conſiſteret in actu in-
tellectus, cognoſcens autem ita videtur face-
re quemadmodum ſi oſtendat, atque indicet
bonum, quod deinde vt bonum eſt, aut dele-
ctabile delectat appetitum, vnde ex illius ob-
lectamento exoritur amor; hic autem non
fit niſi ea parte quæ voluptate afficiatur, ſicut
odium à dolore & triſtitia proficiſcitur. Hæc
autem opinio ſine vlla difficultate repugnat
Ariſtoteli, rationi & ſenſato experimento,
quapropter ab ipſa potiſſimum veritate coa-
ctus fateor, voluptatem & dolorem fieri in o-
mni

mni ſenſu, imaginatione & memoria, quin etiam in intellectu, ac demum in ipſo appetitu tam ſenſitiuo, quam rationali; cũcta enim manifeſta ſunt ſigillatim per ſingula diſcurrenti. Siquidem dicebat Ariſtoteles decimo Ethicorũ c. 4. ex profeſſo, quod dolor & voluptas in omni efficiatur ſenſu & intellectu; ſic n. ait ad verbum. In omni namq; ſenſu voluptas eſt, & in mente ſimili modo cõtẽplationeue, quod etiã alias tum illo, tum ſequẽti capite cõfirmauit. Sed ratione hoc ipſum patet, & eſt ratio ipſius Ariſt. qui arguebat hoc modo. Nã perceptio iucundi & moleſti per ſe dolorẽ & voluptatem efficit: ſed omnes ſenſus interni aut externi, intellectus & vterque appetitus, in proprio genere ſubiectorũ ſinguli habent nonnulla, quæ ſunt per ſe iucunda & conuenientia, alia contra iniucunda: igitur in cunctis efficitur dolor & voluptas. Et certe hoc altera ratione videbatur neceſſarium, nimirum ab ipſo fine propriaque functione, quoniam debebat natura aptare dolorem & voluptatem illis potentiis, quæ ad vitæ tutelam erant ſubſtitutæ, vt cuſtodiam hanc ſibi creditam dolore pariter inſtante ac voluptate quamoptime tuerentur. Porro niſi guſtus proprias haberet voluptates, ꝓprioſq; dolores, non eligeret magis vnum quam alterum, ſed omnia viderentur pariter cõuenientia, ſiue inconuenientia citra delectũ, ꝙ ẽt a-

liis

eueniret potētiis. Sed quid oportet plures
'erre rationes? valde n. futile eſt, tantā ha-
re curam rerū manifeſtiſſimarū; quis n. non
peritur in ſe ipſo in cūctis ſenſibus, cæteriſ-
ıe potentiis cognoſcentib. dolorē æque &
oluptatē fieri ſub ea, qua cognoſcūt ratione?
ū propterea reuocatū eſſet in dubium apud
eteres, ſi dolor & voluptas eſſet ipſa formali-
er triſtis, blandaque cognitio, vel aliud quid-
iā ab ipſa cognitione inſeparabile, de quo iā-
am ſumus tractaturi, an nō fortaſſe cēſes do-
orē qui ex ſoluta efficitur vnitate, cōcurren-
te duntaxat appetitu, fieri? quaſi vero vel ſpō-
tanea res ſit ille dolor, & non fiat antequā ap-
petitus ſe cōuertat, odio id qđ ſoluit ꝓſequens,
nōne vides q̄ dolor præcedit odium, & volu-
ptas præcedit amorē, & appetitū? effectus aūt
nullus eſt anteq̄ ſit cā in actu. Sed pro maiori
dilucidatione ſciendū eſt, oēs voluptates & do
lores eſſe ꝓprias affectiones facultatū cogno-
ſcentiū, nā appetitus vel eſt alicuius earū ope-
ratio, vel ſaltē illa met facultas rōe tantum di-
ſtincta: quamobrē & hic eſt ordo in operādo,
cū ſenſus aut intellectus bonū aliquid ſiue iu-
cundū cognouerit, continuo ſi bonū eſt illud
auet atq; amat, vel amore cōcupiſcentiæ, vel
amore amicitiæ & fruitionis, cū autē amat, ſi-
ue deſiderat, fortaſſe magis gaudet: hinc n. a-
ctiones ſpontaneæ, ioci, relaxationes, ſomni
q̄etes, ſtudiū, & cognata iſtorū delectāt, ea nā-
que

que ſi ſponte & cum deſiderio facimus, ſunt magis iucunda, attamen proprie ſub ea ratione qua cognoſcunt, oblectantur, aut dolent, & quemadmodum amor eſt effectus cognitionis iucundæ ſiue alicuius boni veri vel apparẽtis, eodem etiam modo appetitus, dolor & gaudium, & ſi cum illo amore fit voluptas, hoc etiam fit propter cognitionem: quod enim amat, hoc etiam amando cognoſcit: viſus enim cum viderit aliquod pulchrum, videndo afficitur voluptate, inde procedit amor, & deſiderium fruendi: illa tamen fruitio nequam & laſciua pariter blanda, & ſuauiſſima eſt cognitio, & conſueuerunt appellare fruitionem iucundas quaſdam & claras cognitiones non dimittentes, cum commoditate & poſſeſſione quadam; amorem verò fruitionis illum appellant qui ab ea proficiſcatur cognitione, ipſique exiſtat coniunctiſſimus, minimeque ſeparabilis. Patet igitur quænam potentiæ gaudeant, & doloribus afficiantur, ac quomodo per appetitum & voluptatem obtingere poſſint, quippe qui voluntatem & dolorem augere valeat in eà, quæ cognitionis eſt compos, facultate, vel contra obtundere vires, & exiſtentiam pro apparente mutare, ac certe non eſt modica vis, & propterea dicebat Ariſt. ſecundo Ethicorum c. tertio, virtutes omnes & vitia ex dolore & voluptate proficiſci, & hæc illas viciſſim comitari.

tari

mitari. Nunc vero ſupereſt vt diſſoluantur illorum rationes. Ad primam autem reſpondeo concedens aſſumptum, illud videlicet quod in eo ſit dolor & voluptas, in quo amor & odium generatur: etenim hæc in ipſa quæ cognoſcit facultate fiunt. Cum enim iucundum & conueniens aliquid nouerit à quo delectari ſenſerit, ſtatim amore illius accenditur, aut contra in odium & inimicitias ſe conuertit, ſi triſtem fecerit ſenſationem: attamen voluptas amorem præcedit, quamuis fieri poteſt vt intendantur illius vires ſubcreſcente pariter amore, nequaquam vero vt amat vel odio habet, præciſe gaudet vel dolet, ſed potius quia dolet vel gaudet inſuper appetit & amat, aut auerſatur & odit. Secunda deinceps ratio, quæ ab obiectis deſumitur, multo facilius diluitur: ſupponunt enim facultates per obiecta differre, vt cenſet Ariſtot. ſecundo de anima: itaque vt differt bonum & verum, bonum iucundum & ſenſibile, tantum etiam differt intellectus & voluntas, ſenſus & appetitus ſenſitiuus. Sed, aiunt, dolor & voluptas appetituum ſectantur obiecta: igitur in appetitu dũtaxat fiunt. Minor videtur eſſe manifeſta, quoniam à ſingulis procedunt obiectis, vt ſunt iucunda, ac modo aliquo bona. Reſpondeo quod intellectus eſt per ſe veri & boni, voluntas autem eſt boni tantum cogniti, ac ſimiliter in ſenſu: is enim vbi conue-

niens aliquid cognouerit, ab illo tanquam iucundo & bono afficitur voluptate, & iucundum hoc cēſet bonū ac cupit. Quis enim neget ne fiat dolor, velit aut nolit quiſpiam ſoluta vnitate, aut ne fiat voluptas tactui cum multa frigiditate doleret, ab ipſo calore? omnis plane virtus ſi appetere & amare aliquid debeat, ea duntaxat ratione amat & cupit; quia bonum & conueniens ſit, vel tale ſaltem videatur, & contra nihil auerſetur, ac odio proſequatur, niſi illud perſpexerit eſſe malum, minimeque iucundum. Itaque ad hæc pertingit ipſa cognitio, ac talia cognoſcenti cum eſſet in actu, fiebat dolor & voluptas. Ad tertiam quia nondum manifeſtum eſt quid ſit vtraque affectio, ſi concedam affectus pro maiori parte fieri per appetitum, haud tamen neceſſarium omnes, nam quīdam manifeſte ab aliis procedunt facultatibus; ipſa namque verecundia eſt quidam affectus, ſed minime ab appetitu proficiſcens, at potius ex ſenſu & opinione. Sed de hac re paulo poſt dicemus vberius. Poſtrema etiā difficultas nullius eſt momenti: nam etſi concedam fœlicitatem optimam conſiſtere in actu voluntatis, nequaquam ſequeretur ob id omnes dolores voluptateſque per hanc fieri poteſtatem animæ, ſed aliquas tantum & fortaſſe omnium præſtantiores. At neque illud verum eſt, quoniam Ariſtoteles, cum antea diuiſiſſet

fœlicitatem in actiuam & contemplatiuam, hanc poſtremam & optimam decimo Ethicorum cap.7. reddebat intellectui, & in contemplatione putabat conſiſtere, quæ eſt vt clara viſio, quod in ſequenti capite multo explicatius confirmauit, ſumpto argumento à primo intellectu, primaque rerum cauſa, quæ eſt Deus optimus maximus: ſiquidem ipſe totus eſt fœliciſſimus, ipſique tota æque vita beata per æuum: attamen non quia formidoloſas res ſuſtinet, neque cætera ſecundum virtutes morum efficiendo ſuſtinendoque, qualis profecto eſt actiua fœlicitas, ſed intelligendo tantum, quippe qui ſola fœlicitate potiatur cōtemplatiua per ſe ipſum, à ſe ipſo, in ſe ipſo, & ad ſe ipſum ſine vlla dependentia, pariter inquit & homo illa ſua prope diuina parte animæ ſibi credita, operatione potiſſimum illa efficitur fœlix, quæ huic maxime eſt cognata & proxima, nimirum ipſa intelligentia, contemplationeue rerum præſertim optimarum in latitudine totius entis, at qui ſubcreſcit gaudium ſi clare videat & cognoſcat, nullaque formido ſuppetat amiſſionis.

Cap. III.

Quid ſit obiectum voluptatis & doloris effectiuum, an ſingulari ratione quadam, & figura communi haec faciant, ac quomodo & cuius finis gratia exiſtant?

QVoniam conſtitutum eſt in præcedenti capite, dolorem ac voluptatem fieri apud omnem cognoſcentem facultatem, non immerito aliquis exiſtimaret nullum eſſe determinatum genus, quod in ſe ipſo contineat omnia, quæ effectus illos cient: nullum enim commune eſt genus ſenſibilium & intellectilium rerum, ab his autem nullo diſcrimine fiunt: attamen ſi rei naturam diligenter animaduertamus, nulla præterea relinquetur difficultas. Nam vna eſt communis figura, & quaſi formula, cuius ratione gaudium cietur & voluptas, altera deinceps qua dolor & triſtitia generatur, ob id dicebat Ariſtoteles decimo Ethicorum cap. 4. eſſe quædam pulchra in omni genere rerum ſenſibilium, & earum quæ per intellectum cognoſcuntur, proportione ſcilicet reſpondentia pulchro ſecundum aſpectum, nonnulla etiam deformitate triſtitia, & quemadmodum ab illis gaudium, ita ab his dolor generatur, ſiue diſplicentia. Sed quoniam pulchrum & turpe ſecun-

cundum quandam analogiam dicuntur, propterea excogitandum eſt, quale nomen poſſimus accommodare proprium alterutro rerum, & obiectorum generi, ſed neque hoc tacuit Ariſtoteles: dicebat enim conueniens & inconueniens eſſe per ſe cauſam doloris & voluptatis, quod enim aliquo modo conueniens eſt ſibi & accommodatum, id voluptatem affert, contrarium autem dolorem, hoc etiam erit ſi dicamus bonum & malum: & certe hoc poteſt illa ratione demonſtrari, quoniam per ſe dolor parit odium, & voluptas parit amorem: eadem igitur ſunt cauſæ doloris & voluptatis, per quæ generatur amor & odium; ſed horum ſubiecta ſunt bonum & malum, vt viſum eſt omnibus: ergo bonum & malum ſunt per ſe cauſæ doloris & voluptatis. Bonum autem, ſiue malum, non accipimus hoc loco ſecundum formam: ſic enim fortaſſe vel neutrum mouerent effectum, vel ſaltem ad hoc bonum non attingeret facultas ſentiens. Accipimus igitur vtraque concrete: bonum enim & malum ſunt in rebus. Sed hoc eſt duplex, alterum ratione perceptibile, quod nomine hoc nudo bonum appellatur, alterum autem bonum & malum ad ſenſum, & hoc bonum & malum iucundum & iniucundum ſecundum ſenſum nuncupatur: voluptas autem fit ab his conuenientibus & bonis, quoniam iucunde & blande mouēt,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

at contra efficitur dolor cum mouent iniucunde & importune vt læſionem & incommodum, ſiue inconueniens aliquid referant. Solent autem iniucũde mouere, ſenſum quidem ſi ſenſitiuum corpus, illiuſq; temperiem, & propriam naturam corrumpant, aut ſaltem læſionem aliquam afferant: ſi vero ſint cognata & familiaria, vel modo aliquo conuenientia delectant, nempe ſi cõgruant ſaluti, temperaturæ, totique ſubſtantiæ, & in omni ſenſu ſunt quædam voluptates propriæ, propriique dolores, quædam vero communes, propterea quod ipſis conueniant vt coniunguntur phantaſiæ & opinioni. Proprios dolores & voluptates illos appello, qui fiunt à propriis ſubiectis ſenſibilibus, prout ſunt talia, voluptas nimirum, quæ à colore & luce, aliiſque viſibilibus ſit, propria cenſetur viſus, vtpote ſi viridem colorem aſpiciat, quia moderate ipſum congregat, ſi congruentes inter ſe colores, & analogiam habentes optimam, tum in mouendo, tum in repræſentando viciſſim, intueatur, moderata quoque lux in opaco, quia potentiam vegetat, mouet, ac modo quodam perficit, aut poſt tenebras non admodum intenſa, cum videre per illam incipiat: actus enim eſt perfectio potentiæ, ſi vero repente lux nimia in viſum irruat, virtutem illam in diafano pupillæ mouet, & diſgregat: itaque dolorem parit, quia ſenſorium lædit,

& vi-

& viſum hebetat, atque hinc nimia albedo dolorem facit viſui, quoniam eſt color illum diſgregans, hinc etiam & intenſa nigredo, quippe quæ nimium congregat, ſed minus diſplicet, nam congregatio minus, quam diſgregatio nocet: interdum autem ſenſus videntur affici dolore ac voluptate, ſi coniungantur phãtaſiæ aut opinioni. Cum enim viſu cernimus aquam tempore ſitis, vel eſculenta tempore famis, vel pulchram mulierem, optimas quaſdam picturas, porticus & ædificia immenſa, quaſdam etiam facies ridiculas, voluptate afficimur, & viſus oblectamento videtur recreari in illa ſuſpitione; attamen phantaſiæ & opinioni cõiunctus delectatur, quoniam imaginamur aquam & eſculenta triſtem illam poſſe appetentiam ſedare, ac prope naturæ vacuitatem replere. Itaque ſub imaginatione quod poſſint proficere, grãdemque illam appetentiam & triſtem ſenſationem explere, cum ſpe inſuper fruendi voluptas aduenit, excidit autem & pro voluptate fit dolor, ſi formido, vel diffidentia nõ habendi, fruendiq; contingat, quemadmodum Poetæ fingunt Tantalum pœna talionis propter concupiſcentiam vexari, cum ſiti prematur intenſa, & aquas vſque ad mentum habeat pertingentes, quas tamen potare nec magnos poſſit adhibendo conatus, ac dolor perpetuo vires acquirit & euadit intenſior, nec

ſecus plane fit in cæteris;cum enim viderit aliquis pulchram mulierem,ſenſus hic mouet ſenſum concupiſcentiæ, & imaginatio refouet actum. Itaque mouetur ad concupiſcendum, niſi ratio, quæ ſecundum naturam debet eſſe domina,appetitum illum moderetur, & refrangat, ita quoque delectant picturæ, vel iudicio rationis adhibito,quod artis peritiam,& ingenium referant,vel ſi ſpectaculum aliquid, nempe animalium fugam,nemora & conſeſſus virorum, vel ridicula quædam non inepte præſeferant. In ipſo etiam hoc modo fiunt dolores & triſtitiæ,nempe ſi videat ouis ad ſe proficiſcentem lupum, vel fortaſſe etiam depictum, vt illum perperam deluſa cognoſcat,partim timet, partim etiam dolet, & cunctis hoc accidit hominibus cum vident aliquem inimicum, niſi fortaſſe gaudeant vlturi, gaudet enim qui vlciſcitur.Eandem dolorum & voluptatum differentiam facit auditus; in hoc enim ſoni inter graues & acutos medii voluptatem efficiunt, quoniam mouẽt ſuauiter, & ſenſorium non lædunt, nam valde acutum videtur vt acus pungere; grauis autem vt piſtillus impellere, commenſuratum igitur mouet blande, & quoniam homo ſenſus habet, vt ita dicam, rationales propter rationis antiquam ſocietatem ob id quodam altiori præditus intuitu, & facultate gaudet quadam vocum & ſonorum pulchritudine, nimi-

nimirum voce clara nequaquam aſpera inter acutum & grauem media non obtuſa, neque interciſa, quamobrem etiam gaudet illa proportione,& numero, quem rithmum appellant,tam in ſingulari voce,quam in compoſitis. Cum enim talis optima vox aures demulcet,ſenſus ſe ipſum admouet & applicat obiecto ſentiendo,vt neque diuelli, neque turbari cupiat, ſed ſi vox numerum amittat, videtur interciſa, & non amplius vna: ſenſus autem & iucunda applicatio vult vnitatem ſine interceptione;gaudet etiam ſuo altiori iudicio,quia comprehendit artificium non vulgare, eamque ob rationem multæ ſimul voces in muſicis delectant ſi ſint conſonæ, & claræ admodum,quoniam multa propter numericam proportionem in vnũ coeunt haud modica peritia, quamobrem auditus facile cum voluptate ſuſtinet illam applicationem, at ſi inter eas corrumpatur proportio,laborem pariunt & diſplicentiam, nam vnitate corrupta videntur multæ voces ſeorſum: at ſenſui præſertim auditiuo moleſtum eſt pluribus ſimul incumbere, quoniam applicatio præſertim facilis & iucunda vult vnum non multa.Hoc etiam facilimum eſt obſeruare in ſenſu guſtus,tactus & olfactus penes propria ſubiecta, atque hinc patet illius difficultatis ſolutio, quamobrem commenſurata cunctis ſenſibus ſunt iucũda, exceſſus autem omnes

moleſti, etenim commenſurata blande mouent,& cum ſalute,idcirco ſunt iucunda, alia vero vehementius mouent, & forſitan corrumpunt,aut ſaltem lædunt.An forſitan ſenſus in mediocritate conſiſtit?ſed hoc, vt mihi videtur,non fieret in omnibus, ſed in ipſo ſolum tactu,ſi nempe concedatur eſſe quandam formam ſiue potētiam ex optima, puriſſimaque συμμέτεια primarũ qualitatum profecta, nequaquam vero ex συμμέτεια conſtat saporum, odorum aut ſonorum. Cæterum gaudet intellectus tum cognoſcendo multa, hæc enim eſt ſua perfectio,tum meliora,prę ſertim difficilia valde, ac nimis optata, ac ſi ratione cognoſcat ſe habiturũ aliquid, vel homo per ipſum,quod ſummo ſit illi honori,ſummamque afferat vtilitatem, vel ſpe quomodolibet futuri boni corripiatur,vel exiſtimatione pręſentis,vel ſaltem honeſti: cũ enim vir ſtudioſus habitum exercet virtutis alicuius, mens ipſa & practicus gaudet intellectus,nam iucũdum eſt eſſe bonũ,aut exiſtimari, facere quæſtum,veris abundare diuitiis,atq; aliis ad facilem commutationem vtilibus, iucunda res eſt honor,digniorem eſſe ac cæteris præſtare: itaq; non immerito gaudebit intellectus aut homo,cum ſe non eſſe illorum expertem opinatur,ſed vbi cõtrariam habeat opinionem & ſcientiam oritur dolor & triſtitia. Sequuntur etiam vtplurimum voluptates & dolores

quaſ-

quaſdam corporum naturas, temperamenta & mores, ſiue conſuetudines, & exiſtimationes proprias longe in hominibus diuerſas: itaque pigris quibuſdam hominibus veluti deſidia,& otium placet, ita diſplicent omnia, in quibus opus eſt labore, & valida corporis exercitatione:quapropter ex ipſis rari admodum ſunt venatores, aut milites, niſi vel neceſſitate quadam coacti, aut ſpe faciendi lucrum, vel opinione maioris boni, & honeſtæ gloriæ conſequendæ cum aliqua vtilitate alliciantur.His vero ludi vt plurimum placent, niſi contraria quędam obſtet opinio,aut mores & exercitium, atq; illis potiſſimum qui ad pauca reſpiciunt, & minori curarum ſtudio tenentur, aut quos minima etiam cura fatigat,&rem iſtam vel ſaltem conſuetudine magno proſequuntur amore,atque illiş primum indulgent ludis & oblectamentis, qui nullo prope egent labore mentis aut corporis, & in quo opinentur ſe maius lucrum efficere poſſe,& in quo fortaſſis ſibi videatur eſſe magis fortunatos, magiſque peritos, tametſi non exiſtant,atque aliis alii ludi placent, prout eis vel magis victoria vel magis vtilitas arridet,& ludendi quædam forma honeſtior, vel iſta ſimul coniuncta: itaque alios alii ludi delectãt, prout vel magis idonei ad eos ſunt, quam cæteros,vel magis in eis victoriam affectant.Ob id enim ſolent plurimam iucunditatem afferre,&

re, & voluptate perfundere, vt ait Philoſophus, ſecũdo Rethoricorum: alii vero cæteris magis arrident propter conſuetudinem, alii propter alias quaſdam opiniones, illaſque varias, vtpote quibus magis proſperitas fortunę placet, iis ludi magis arrident, in quibus minus requiritur ingenii; plurimum autem fortunæ. Aliis contra arrident alii, in quibus oſtenditur maius acumen, namq; in his maior & præclarior victoria eſt, quippe quæ per virtutem propriam obtingat, ibique magis in quo ſplendor quidam & ingenii præſtantia demonſtratur, & victoria quędam præclarior in vſu rationis, quæ eſt homini, vt homo eſt, propria: in hac enim eſt longe præſtantior, q uã in cæteris, vbi parta victoria videtur eſſe aut propter fortunã aut optimã corporis habitudinẽ, & robur naturæ: hoc n. neq; adeo præſtat, neque hominibus eſt proprium, omnino tamen videntur omnes ludi, qui potius lucro, quam victoria deſiderantur, eſſe familiares auaro hominum generi, quemadmodum inquit Ariſt. quarto Ethicorum cap. 1. de liberalitate & auaritia, tametſi nimis auari propter formidinem faciendi iacturam vel omnino abſtinent, vel ludunt res minimas, arbitrati hoc modo ſe parum poſſe è re propria abſumere, multum autem, ſi fortuna volet, l ucrari, aut relaxationis tantum gratia, etenim ludi relaxationes quædam ſunt, & oblecta-

lectamenta vitæ, & alii ſi debite ſuſcipiantur ad robur corporis plurimum valent, tuendamque valetudinem, alii etiam animo conferunt: ſic enim prope depoſita curarum mole videtur interſpirare, & ſubinde ad reliqua, quæ impendent negotia, & graues cogitationes reddi paratior, longeque magis idoneus, tametſi excipere oporteat quoſdam honeſtos ludos, & quantum ac quomodo oporteat. Aliis contra qui calidiores ſunt, magiſque robuſto corpore & longe mobiliores, venatio placet, præſertim ſi in ea fuerint aſſueti, & victoria illa, atque certamen placet; hinc videretur militibus arridere, quamuis non omnes æque exiſtimant bonum hoc modo vincere, & feris inſidias parare fallacibus, aut celeres immaneſque vincere, nec magnum aliquid eſſe aut honeſtum ſolatium, idq; ſi compenſetur labore, videtur quibuſdam non eſſe rem admodum iucundam nec proſequendam, & nonnullis, qui valde miſericordes ſunt, diſplicet videre hæc animalia indigne pati, ac minime videbis omnes venatores eſſe milites, quamuis venatio ſit militiæ ſpecies, vt cenſet Ariſtoteles primo Politicorum: nonnullis enim placet hoc militiæ ſecuriſſimum genus, aliud autem diſplicet, vtpote non ſatis tutum, nec fortaſſe admodum vtile, quamuis honeſtum & magno dignum honore: viris autem ingenuis, & acumen maius obtinentibus, arrident

rident in primis ſtudia,& animi diuitiæ,atque in his voluptatem ſentiunt,præſertim ſi opinentur ſe in ea re videri omnibus præclariſſimos, efferrique ad ſummos honores, ac demum immortalitatis nomen adipiſci. Omnino autem opinionum exiſtimationumq; varietas in hominibus facit alia aliis apparere iucunda & moleſta, quod magis ipſis videmus accidere,quam cæteris animalibus, cum obtinuiſſent facultatem illam minus pendẽtem à corpore,& plura cogitantem, opinantemq; varie. Quamobrem patet quæ ſint obiecta doloris & voluptatis, & quomodo ſigillatim in omnibus potentiis tales producantur effectus,nunc ſupereſt vt ipſorũ vſum, proprioſque fines explicemus, ad quos potiſſimum illis vtatur natura. Hoc vero palam explicauit Ariſtoteles 1. Politicorum cap. 1. partim etiam in fine tertii de Anima. Cum enim feciſſet animal,ipſique ſenſum, aliis etiam intellectum tradidiſſet,vt futuri eſſent cuſtodes vitæ,& curam haberent totius animalis, operæ pretium erat vt dolore ac voluptate afficerentur, quoniam ſic oneri impoſito ſatisfaciunt,cum ad hæc duo ſe flectant, & accommodent ſecundum illam neceſſitatem, ad proſequendum ſcilicet, & fugiendum. Deinceps autem in humano genere illis abutitur ad alium finem, ſcilicet ad virtutes; quamuis hinc etiam orta ſint vitia, quemadmodum

modum declarauit Ariſtot.2.Ethicorum cap. 3. tria etenim ſunt, quæ in electionem, ac totidem in repudiationem cadunt, honeſtum, vtile & iucundum,& tria contraria,turpe,inutile & moleſtum,& circa hæc probus vir bene agit, malus autem perperam. Fortaſſis etiam dolor & voluptas in communi non modicum momentum habent ad ſcientiam, itaque tum hoc,tum illo etiam modo videbatur neceſſaria perceptio doloris & voluptatis, ſiue cum dolore & voluptate : dolor enim non eſt obiectum,quemadmodum nos loquimur de illo.

Cap IV.

Quid ſit dolor & voluptas.

NVnc altera emergit quæſtio, ad naturam illorum pertinens,de voluptate & dolore quid ſint?Primum autem per prędicata negatiua, quemadmodum fecit Ariſt. quid non ſint explicabo,vt ſubinde quid vterq; ſit prōptius longeque expeditius appareat: etenim nonnulli opinabantur voluptatem eſſe quādam ſpeciem generationis, dolorem contra corruptionem: Alii putabant dolorem eſſe indigentiam eius, quod eſt ſecundum naturam, voluptatem autem repletionem illius: Alii dolorem & voluptatem cenſebant eſſe motum:Alii eandem animæ primam operationem , nempe viſionem iucundi eſſe voluptа-

luptatem, dolorem contra iniucundi moleſtique aſpectum, quarum opinionum illę duæ primæ ſi ſecundum verborum faciem accipiantur, nimium videntur futiles. Idcirco in earum oppugnatione non faciam temporis iacturam, conuertam nihilominus eas paulopoſt in ſenſum meliorem, quemadmodum fortaſſe ab illis accipiebantur, & cum illas recenſeret Ariſt. per initia decimi libri Ethicorum, tertiam plurimis oppugnauit rationib. Enimuero motus omnis efficitur cum tempore, cum ex ſua definitione ſucceſſionē contineat, vel ſaltem vt proprium quoddam ad naturam eius quam proxime accedens; voluptas autem & dolor in inſtanti, &, quemadmodum aiunt, ſubito nobis obtingere ſolēt, ergo non ſunt motus. Hoc deinceps confirmatur, nam omnis motus eſt gratia alicuius, cum ad aliquem proprium terminum ſit proceſſio & via: neceſſe eſt enim vt intra duos terminos collocetur, videlicet terminum à quo, & terminum poſtremum, in quem pro ſua natura deficiat: dolor autem nullus, & voluptas termini alicuius gratia vidētur eſſe: ergo voluptas & dolor non ſunt motus. Præterea ex motuum qualitate, nam ſinguli velocitate tarditateue donantur, quemadmodum idem explicauit Ariſtoteles tertio & quarto Phyſicorum: voluptas autem & dolor omnino velocitatis ac tarditatis ſunt expertes; er-

go

go non ſunt motus. Minor propoſitio non eget vlla probatione, quoniam manifeſtum eſt dolorem dolori comparatum, aut voluptatem voluptati, neque huic illum, eſſe alterum altero velociorem vel ſegniorem. Et quamuis dicere conſueuerunt nonnullos cito à dolore in lætitiam conuerti, aut contra, alioſque cito dolere, aut lætari, vel plane ſignius, hoc nullam affert difficultatem: illud enim breue tempus eſſe ſignificat, quod inter dolorem & voluptatem intercipitur, alterum vero facilitatem quandam, & maiorem promptitudinem arguit, ſecundum quam bene, maleue diſpoſiti facilime dolent, & leuiſſima occaſione lætantur, illæ tamen affectiones ſemper eodem modo in inſtanti fiunt, ſiquidem dolor & voluptas, aut ipſa cognitio eſt, vel ab illa nequaquam ſeparabilis. Cum igitur cognitio fiat ſine tempore, rationabile quoque eſt, illos eſſe in inſtanti, ſed quandoque cum perſeueret applicatio facultatis circa obiectum conueniens & bonum, tum permanet voluptas, tum etiam ſolet intendi, vt quandoque pro moderato gaudio fiat immenſa lætitia, quemadmodum ſi pauca lux modicum efficiat lumen, ac deinceps addatur aliud, tum illud ſubcreſcit, tum etiam luminari non dimittente perſeuerat. Poſtremo motus eſt determinati cuiuſdam generis, aut enim eſt in quãtitate, aut in qualitate, aut in vbi, ſed volu-

ptas & dolor nullius ſunt determinati generis, ergo motus non eſt genus illorum. Sed altera opinio maiorem habet difficultatem, exiſtimabant, vt dixi, dolorem & voluptatem eſſe quaſdam cognitiones, in quorum numerum videtur deinceps aptatus eſſe Galenus, cum diceret, dolorem eſſe triſtis ſenſationem vtpote quod dolor in communi ſit cognitio triſtis, & voluptas cognitio blanda ſiue hilaris, & videtur eorum ſententia valde probabilis, quoniam ſi refrigerato corpori, atque ob id dolenti calor blandus applicetur, ſentiet voluptatem, at ea voluptas nihil eſt, niſi cognitio illa caloris, per quem in naturam reducitur, ſuamque propriam temperiem vnde deflexerat, in guſtu pariter voluptas eſt illa ſenſatio ſaporis conuenientis, dolor autem inconuenientis & ingrati perceptio, & in re ipſa venerea tactus illa cognitio valde ſuauis videtur eſſe ſubſtantia voluptatis, ſenſus nimirum ſpumeſcentis humoris agitatione vegetis caloris, motuq; ſuauiter prurientis ſpiritus, ac demum blanda ſeminis tentigine, & reliqua frictione manifeſta. Ac certe ſi quælibet potentia cognoſcens inter obiecta, quæ cognoſcit, nonnulla habet pulchra, nonnulla itidem deformia, quædam haud dubio cognitiones erunt ſpecies dolorum, quędam autem voluptatis. Ariſtoteles autem eorum ſententiam confutauit 10. Ethicorum cap. 5. & cauſam

ſam quamobrem in eum errorem laberentur, attulit; ſiquidem ita ad verbum ait: Magis autem propriæ ſunt operationibus voluptates, quæ ſunt in ipſis, quam ipſæ cupiditates, nam hæ quidem ſeiunctæ ſunt temporibus, & natura, illæ vero propinquæ ſunt, atq; adeo indiſtinctæ, vt contentio ſit, ſi idem ſit operatio, & voluptas, non tamen ipſa voluptas mentis eſſe videtur operatio, neque ſenſus, eſt enim abſurdum, ſed quia non ſeparatur, idem quibuſdam videtur. Hinc equidem multa colligo, primum autem quod ſenſus, mentiſque operationibus longe proximior & cognatior eſt dolor & voluptas, quam cupiditates, quippe quæ etiam ab his proficiſcuntur, vt enim ſuperius dicebam, cum fiat in aliqua cognitione dolor, & voluptas ab his procedit amor & cupiditas, ſiue odium & cupiditas abſentiæ. Alterum vero eſt, quod voluptas & cognitio ſunt natura diſtinctæ, quamuis perperam antiqui deciperentur, exiſtimantes eſſe idem propter vicinitatem, arguit eos philoſophus illa ratione. Nam voluptas operationem ipſam cognoſcentis, vt cognoſcens eſt, perficit, vigorat & confirmat, ac dolor è contra deiicit & ſubmittit; nullum autem ſe ipſum confirmat, aut intercipit, igitur voluptas & dolor ab operatione differunt. Amplius omne prius differt à poſteriore, atqui cognitio eſt prior dolore & volupta-

te, cum non conuertantur, igitur voluptas ſeu dolor & operatio cognoſcentis res eſt omnino diuerſa. Inſuper res vna eademq; modo voluptatem affert, quæ tamen antea triſtis erat cognitio, tamen eadem eſt ſecundum naturam, quamuis numero differens. Præterea quodcunq; ab aliquo procedit non eſt ipſum: ſed voluptas & dolor à cognitione procedũt: igitur neutra eſt cognitio. Amplius definitione conuenirent: ſed definitione, fine ac natura differunt, ergo non ſunt idem, imo præterita nonnunquam facultatis cognitione, applicationeque circa bonum aliquid, voluptas nihilominus permanet, illa inquam vacatio curę, & animi tanquillitas: quid igitur erit voluptas & dolor? Reſpondet Ariſtoteles citato loco iis verbis, perficit autem operationem voluptas non vt habitus, ſed vt pullulans quidam finis, itaque cenſebat dolorem & voluptatẽ eſſe quẽdam finem neceſſario pullulantem à quibuſdam cognitionibus, & ſequenti capite appellabat proprietatẽ operationum; ab illa enim perfectiſſima cognitione rei cõuenientis pullulat voluptas neceſſitate ſequelæ, ab oppoſita vero pullulat dolor, eſt autem perfectiſſima ipſius bene diſpoſiti operatio ad illud quod eſt pulcherrimum eorum, quæ ſibi ſubiiciuntur, ac propterea conſueuimus appellare hilares, & voluptuoſas cognitiones illas, vnde velut finis neceſſario pullulat

gau-

gaudium, alias contra triſtes & iniucundas. At ſi finis pullulans eſt, qualem induit naturam? Arbitror non eſſe affectum, ſed, affectionem & alteritatem ipſius potentiæ cognoſcentis, ac propterea non eſſe actionem, ſed paſſionem, vel potius neutrum, ſed quemadmodum antea dicebam, affectionem proficiſcentem à prima cognoſcentis alteratione. Itaque Ariſtotel. 3. Rhetoricorum ad Theodect. cap. 10. definiebat voluptatem & dolorem, inquiens: Voluptas eſt animę affectio tota ſimul ſenſibiliter in naturam proficiſcens, dolor autem in contrarium naturæ ſtatum. Quod etiam ſenſiſſe mihi videntur illi ſeniores philoſophi, qui putabant, voluptatem eſſe quandam generationis ſpeciem, dolorem vero corruptionis, ſiquidem vt vera generatio radicitus ad naturam perducit, nimirum ad ſpeciem, corruptio vero ad naturæ huius non eſſe, ita etiam voluptas, cum ad illud quod eſt ſecundum naturam ſit profectio, non immerito quædam appellatur generatio, atque pariter obſcuris nominibus hoc ipſum ſentiebant, dicendo voluptatem eſſe repletionem, dolorem vero indigentiam eius, quod eſt ſecundum naturam. Qui denique motum illos eſſe aſſerebant, profecto illas cognitiones quaſdam eſſe arbitrabantur: ſunt enim alterationes quædam, aut ſi alteritates quædam ſint ab ipſa cognitione proficiſcentes, eodem

CAP. V.

De tactus dolore ſitne ille duntaxat vere do-l.r, & quapropter hic ſenſus maiores experitur dolores & volu-ptates.

OB plurimas difficultates & controuerſias, quæ circa ſenſus huius dolorem obtigerunt, ego proprium caput propriamque de illo tractationem inſtitui, quoniã, vt paulo antea dicebam, extiterunt plurimi, qui cenſebant dolorem eſſe proprium tactui, nullamq; facultatem, hac vna duntaxat excepta, doloris eſſe participem, tametſi aliæ pro doloribus quaſdam diſplicentias, triſtitiaſque ſentiant ob ea, quæ in ſubiecto genere videntur turpia, minimeque conuenientia, ac propterea citra vllam diſtinctionem doloris, cœperunt dubitare, vtrum dolor à ſolutione vnitatis, vel ab intemperie fiat? quaſi vero nullus dolor ſit præter eum, qui fit in tactu. Sed quoniam ſatis in ſuperioribus demonſtraui hoc eſſe abſurdum, propterea hic nolo ſine vtilitate fimbrias dilatare, potiſſimum quia diffuſe admodum hoc explicauit Ariſtot. 1. Rhetoricorũ ad Theod. 4. & 5. c. nonnulla tamẽ breuiter attingã. Cũ enim dolor & voluptas ſint affectiones contrariæ, quomodo fieri poteſt, ne in ſubiecto eodẽ fiãt, vt inquit Ariſt. 10. Meta. c. de oppoſitis, attamẽ voluptas fit in omni

ſenſu,in mente & opinione;igitur in eis quoque efficitur dolor. Id etiam confirmatur definitione iucundi & moleſti; ait enim Ariſtotel. I. Rhetoricorum ad Alexandr, Iucunda ſunt ea, quæ voluptate afficiunt, iniucunda vero quæ dolorem afferunt ſed in omni ſenſu ac mente ſunt propria quædam iucunda & moleſta: igitur voluptas & dolor per omnes reperitur ſenſus, omnemque potentiam cognoſcentem iſtorum corporum. Verumtamen conſueuimus propter acerbitatem & naturam excellentem dolores potiſſimum appellare, quos tactu patimur inſolentiores, atque adeo nomen commune tranſlatum eſt ad vnam ſpeciem. Sed quare non ſit alius dolor animali, neque voluptas, qualis dolor eſt, & voluptas tactus, eget explicatione, huius autem ſcire oportet,non vnā modo,ſed multiplicem eſſe cauſam. Primā autem eſſe illam, quia,vt antea demonſtrauimus, dolor & voluptas ſequuntur cognitionem, quapropter vt certior eſt cognitio, ita intenſior ſit dolor & voluptas: ſed tactus eſt ſenſuum omnium certiſſimus:igitur conſentaneum erat, vt dolor eius atque voluptas præſtaret cæteris, ratio eſt ab operatione deſumpta. Secunda deinceps ex modo ipſius operationis deſumitur: tactus enim proxime afficitur à ſuis ſenſibilibus obiectis,vtpote cum contactu vel corporis,vel virtutis agentis; igitur conſentaneum

erat

erat clarius tum gaudere propter iucunda, tum acrius propter moleſta dolere. Tertia ſumitur ab obiecto, hoc enim agit realiter & materialiter in ſenſorium tactiuum, maioréque adhibet agendi potentiam, cum vel toto corpore agat citra medium, vel agentibus omnino qualitatibus; alii vero ſenſus vel remotius patiuntur, vel nequaquam à toto corpore, aut à qualitate non actiua, ac propterea dolor, qui fit in tactu, efficitur cum quadam corruptione organi, ſeu qualitatum ipſius, vel ſaltem cum graui paſſione reali, qualis fit ex ſolutione continui, aut ab inæquali intemperie confertim facta, vel ob inſignem aliquam paſſionem comprimendo, côuellendo, aſperique fortiori attactu. Præterea id ratione potentiæ poteſt euenire, quoniam hic ſenſus eſt vitæ eſſentialior, quandoquidem conſiſtit in συμμέτεια primarum qualitatum elementorum, quæ corpus viuentis animalis conſtituunt, quapropter ea, quæ tactui ſunt moleſta, minimeque conueniunt, illa quoque vitalem ſubſtantiam realiter afficiunt, & vitæ ſedem perturbant, ac maiores à natura faciũt receſſus, iucunda vero & conuenientia tum conſeruant, tum proxime ad naturam accedunt: cenſebat etiam Ariſt. hoc eſſe propter ſenſorium. Quod enim aſſignatur tactui, eſt finitimum cordi, quod alioqui, vt ipſe exiſtimat, eſt prima ſedes doloris & voluptatis. Accedit

cedit præterea quod maiore concretione ad ſubiectum patitur hic ſenſus,ſunt etenim vere paſſiones ipſius materiæ,itaque caro, aut aliud ſenſorium tactiuum vehementius dolet. Præterea videbatur hoc opus eſſe ratione finis,quoniam hic ſenſus tactus dicitur ſenſus vitæ, cum propterea nullum animal hoc vno poſſit carere:quapropter hic primum eſt lucis huius & vitæ cuſtos,ac non immerito opus erat eum habere ante alios acutiſſimũ actum ſentiendi doloris & voluptatis, vt vitæ illam cuſtodiam ſibi in primis creditam longe melius,ob animalis ſalutem tueretur. Cum vero ſenſus hic,ſuumq; ſenſorium ſit fuſum per omnia,tunc magnæ in illis fiunt paſſiones, atque dolores,cum ſenſus hic tactus illos excipit,nempe ſi magna lux pupillam lædat, ſi ſaporoſum aliquid linguæ videatur moleſtum, quod ſicut acus pungat,conuellat,aut aſperitate quadam dolorifica detergat: vehemens autem compreſſio detentioque caloris in dolore mentis & imaginationis profundo, facit vno etiam die canitiem, quia ſiccat & digerit humorem proprium.

Cap. VI.

Quæ ſit cauſa doloris ſecundum tactum.

MAgna eſt etiam controuerſia de propria cauſa generationis dolorum, nam medici inter medicos, philoſophi inter philoſophos,

phos, omneſque demum inter ſe diſſentiunt, cum alii cenſeant dolorem ab intemperie ſola generari, alii contra à ſolutione continui, vt perinde res iſta per ſe ſenſatiſſima viſa ſit ardua, & perrecondita. Illi vero qui exiſtimant dolorem proficiſci ab inæquali intemperie, primum arguunt experimẽto ſenſuum, quoniam in horroribus hybernis circa ſolſtitium hyemale ob magnam frigiditatem dolores fiunt, illam enim inæqualem intemperiem partes omnes ęgreferunt magno admodum à natura facto receſſu ſenſibiliter, ac prę ſertim illud experimur circa radices vnguiũ, vbi intemperies frigida vehemẽtius agit propter eius partis ſenſus alacritatem, & caloris inopiam, ac prædenſo vngue nimium refrigerato, qui ſua natura eſt frigidiuſculus & pene oſſeus, & pars eſt illa ſatis neruea, vt prope detectum neruum, aut illi ſimillimã poſſimus exiſtimare, frigidum autem mordax, & inimicum eſt neruis, idem etiam acerrimus calor efficit in contrariã qualitatem. Nec recipienda, vt aiunt, ſunt aduerſantium verba, qui fatentur calore & frigiditate interdum fieri dolores, & illos quidem inſignes, eos tamen non eſſe acceptos referendos intemperiei, quoniam neque frigiditas, neque etiam calor dolorem efficiunt, niſi diſſoluãt continuum; calor enim dilatando, & frigiditas contrahendo nimium cõuellendoque diſſoluit. Et quã-

uis

uis non efficiant ſolutionem ad ſenſum maiorem & manifeſtam, ſatis tamen eſt vt fiat quædam immanifeſta ſecundum minutiſſimas fibras: eos nimirum arguunt, quod videantur futilia dicere, nã partes ipſę in ingenti frigore vnitatem ſeruant incorruptam, nulloque immutatam modo, neq; fit illa minuta ſolutio latens ſenſum, quoniam proceſſu temporis, intemperie nimirum diutius perſeuerante, partes illæ omnino lacerarentur, & nulla fibra maneret incolumis, & mirum eſt de ipſo calore, nam ſi per illum tãta fieret extenſio partium, dubio procul in omnem dimenſionem vehementer augerentur. Præterea moderate calidum, vt calidum eſt, facit voluptatem & iucunditatem ſenſui, ergo immoderatus calor parit dolorem: illud enim in cunctis fieri ſolet, vt, cum mediocre & *σύμμετρον* eſt cauſa voluptatis, exceſſus cauſet dolorem. Præterea dolorum hoc genus eſt cum aliqua reali paſſione: igitur ab ipſis primis qualitatibus fieri poteſt, efficique debet, probatur conſequentia, nam paſſiones propriæ & alioqui vehementiores ab alterantibus & actiuis qualitatibus efficiuntur: actiuę autem propriæ ac per ſe ſenſibiles ſunt calor & frigus, per quos intemperies inæquales fiunt. Præterea dolor huiuſmodi eſt cum paſſione, & corruptione ſaltem diſpoſitiue partis ſentientis, nam propterea dolet, quia ad corruptelam

ptelam afficitur, ſed calor & frigiditas per viam alterationis ſunt cauſæ per ſe cuiuſcunq; naturalis generationis & corruptionis, vt ait Philoſophus 4. Meteor. in principio: igitur ob inæquales ab his factas intemperies efficitur dolor. Præterea hic alicuius obiecti ſenſibilis perceptionem ſequitur, conuenientius eſt autem ab iis fieri quæ ſunt ſenſibilia & obiecta tactus per ſe, quam ab illis, quæ ſunt per accidens, aut ſaltem communia: ſed dictæ qualitates ſunt tactui per ſe, ac primo ſenſibiles, vnitas vero vel ſolutio eſt ſenſibile commune: igitur ab earum inæquali intemperie per ſe cietur omnis dolor. Cum autem viderent quandoque animalia dolere propter ſolutionem continui, compreſſionem, eroſionem, conuulſionem, & eorum ſimilia, dicebant ea non per ſe immediatam eſſe cauſam doloris, cum illum potiſſimum efficiant quatenus illis coniungitur intemperies, nam ſolutio & contuſio cum motus ſint confeſtim facti calorem mouent vrētem, qui propriam naturam partis diſſoluit, itaque res poteſt eſſe valde moleſta & iniucūda. Alii contra poſuerunt cauſam doloris immediatam eſſe ſolutionem continui in ipſis ſentientibus partib. intemperiem autem eſſe cauſam mediatam, quoniam non omnis intemperies dolorem parit, quemadmodum omnis ſolutio, quamuis læuiſſima & minima, ab acus nimirū pun-

ctura,

ctura aut alio quocunq; leniter ſoluente corpore. Quamobrem illa ſola intemperies erit cauſa doloris, quæ ad vnitatis ſolutionẽ perducit, quod viſus eſt dixiſſe Galenus in libro de inæquali intemperie. Ego tamen ſatis mirari in hac re non poſſum, quomodo tanta opinionum varietas ſit exorta in eo quod eſt valde ſenſatum? certum enimuero eſt, dolorem non modo ſub ſenſum eſſe, ſed illum etiam importune extimulare, & nihilominus aut cupiditate contradicendi, aut propria mentis acie confiſi plerunque dimittunt ſenſum, & mentis quærunt rationem, quod eſt infirmitas intellectus, vt ait Ariſtoteles 8. Phyſicorum contra Zenonem. Itaque nec prima claſſis opinantium, neque, vt arbitror, ſecũda propriam doloris cauſam eſt aſſecuta, nam etſi recte hucuſque dicant, quod inæqualis intemperies eſt cauſa doloris, aut illum eſſe ſobolem ſolutę continuitatis, cum vero hanc, aut illam eſſe cauſam adæquatam proferunt, apertiſſime decipiuntur: idcirco ad mentem Ariſtotelis 7. Ethicorum & 1. Rhetoricorum ad Theodecten pono illam concluſionem, cauſam doloris eſſe illud, quod tactiuo ſenſorio grauem aliquam poteſt afferre læſionem, vnde emergunt multę particulares concluſiones; prima nimirum eſt, quod inæqualis intemperies poteſt eſſe doloris cauſa: altera deinde quod poteſt fieri ab vnitate ſoluta: tertia

tertia quod ab alia quadam cauſa, quæ neque continuum ſoluit, neque intemperiem facit, nonnunquam obtingat. Quæ quidem, vt magis manifeſta fiant, & res tota, quod noſtrum inſtitutum eſt, dilucidetur: ſciendum eſt in primis quod ſicut dolor, & voluptas in communi ad inuicem ſunt oppoſita, eodem modo voluptas & dolor tactus: itaque propter iſtud principium non eſt ambigua prima concluſio, nam quemadmodum voluptas ab his qualitatibus generatur, quare non etiam dolor effici poteſt? ac mihi, vt ingenue fatear, videtur ſuperfluum amplius inſudare, ſi dolor ab intemperie & vnitatis ſolutione fiat, nam erubeſco demonſtrare illud quod eſt ſenſui manifeſtum. Verumtamen ambigere hic ſolent viri perſpicaces, cum plerunque videamus fieri quoſdam abſceſſus & tumores, humida nimirum, frigidaq; effluente materia, quos medici ædemata vocant, in quibus tametſi pars ipſa affecta humidam patiatur intemperiem nequaquam dolet, vel forte ſit quidā dolor ſtupidus vix ſenſu perceptibilis, nonnulli etiam fiunt, quos ſcirrhos appellant ab humore dicto melancholico, humore inquam craſſo & glutinoſo in carneam prope ipſam naturam cohærente, qui etiam indolētes ſunt, & tamen ex intemperie fiunt. Secundo videmus quotidie febres accedi in hiſce corporib. præſertim hecticas nūcupatas & habitua-

bituales, in quibus ſit calida & ſicca intemperies citra dolorem: plurimæ ſunt etiam particulares quarundam partium intemperies calidæ non intenſæ admodum, quæ vacant dolore. Tertio ſi dolor ab intemperie natus eſt fieri propterea quod à naturali ſtatu facit receſſum, quamobrem refrigerata manu maior ſuppetit dolor, potiſſimum circa radices vnguium, vbi calor confertim accedat, quippe qui facit repletionem, & reſtituit in naturalem ſtatum. Ob primam difficultatem dixerunt plurimi, & potiſſimum Galenus, octo eſſe ſimplices intemperies, quatuor nimirum ſine materia, ac totidem materiales: propterea dicunt earum intemperiarum, quæ ſunt abſque materia, calidam & frigidam vehemẽtes ciere dolores, ſiccam mouere quidem illos, ſed exiguos: humidam autem eſſe omnino ſine dolore, alias vero omnes illum efficere ſi fuerint cum materia, nam intemperies humida materialis eo ſaltem perducit, vt diſtendendo partium ſoluat vnitatem, illos autem eſſe dolores exiguos, quoniam humiditatis affuſio ſenſum ipſum obtundit, & illius proprium vigorem refringit. Sed illorum pace mihi videretur abſurdum eſſe, vt detur humida intemperies ſine materia: quomodo enim fieri poteſt, vt illa fiat niſi humor aliquis recens accedat, partemque ipſam repleat? Ob id dicebat Ariſt. 2. de Anima tex. 113. ſi quippiam

piam tangat, alterum in aqua, ſuaſq; habeant ſuperficies humectas, fieri non poſſe vt ſe ipſa tangant immediate, quoniam humiditas non eſt ſine corpore, itaque non eſt humiditas aquea ſine aqua, & propterea nullum humidum poſſe alteri proprium communicare madorem niſi corpus etiam vna commiſceat. Hoc etiam cõfirmauit 25. problematum quęſtione 3. & quæſtione 20. Illud præterea quod intemperies ſicca poſſit eſſe cauſa doloris, arbitror eſſe pariter abſurdum, nam ſiccitas eſt proprie huiuſce fluoris quædam priuatio, & cum ſit qualitas ſicut humidum paſſiua, non poteſt per ſe ipſam cauſare dolorem, & ita neque humidum, vt humidum, eſt doloris effectiuum: quam enim efficiunt ſenſationem? melius itaque fuerit exiſtimare humorem ratione ſubſtantiæ partem intendentis, & ſiccitatem conuellendo, rodendoque ob qualitates corporis, aut ſimpliciter ſicut in neruo, ex accidenti ciere dolorem, ſiccitas enim cõtrahit, quemadmodum fidibus accidit igne ſiccatis & neruis eadem ratione, & quoniam humida ſubſtantia pene calorem obruit & ſenſitiuum ſpiritum, propterea ſenſum obtundit, & in ędemate dicto tumore modicum parit dolorem, in aliis vero duris tumorib. ſcirrhoſis fortaſſe fiunt remiſſiores, quoniam lẽtus ille humor & tenax carni adhæret, & videtur adnaſci. Ad ſecundam præterea difficulta-

tem reſpondeo, quod multæ conditiones requiruntur, vt ipſa intemperies ſit cauſa doloris. Prima vt confeſtim fiat: ſunt etenim celeres iſtæ mutationes naturæ admodum obnoxię & permoleſtę. Secunda vt non ſit habitualis, ex quibus ſequitur vt dolor potius oriatur, cum ſit. Tertia deinceps vt ſenſorium ſit bene affectum, & ſenſus non ſit alio fortaſſis auerſus, quemadmodum ipſi contingit frenetico. Nunc facile patet ſolutio ad argumen. nã febris hectica eſt habitualis, & intẽperies omnino facta, & ſenſim genita, vt propterea febrientes illi exiſtiment ſe febrem non habere. In cæteris etiã partibus, ſi ſenſim intẽperies fiat, vix dolor ſentitur, & quandoque doloris ſenſus non adeſt, quoniam facta iam fuit, & non habet amplius refouentem cauſam, quemadmodum nonnullæ habent inflammationes, in quibus eſt mordax calor, qui dolorem non deſinit mouere, quouſque in naturam partis non ceſſerit, & quemadmodum mordax calor, & inſolens frigiditas ſemper ſentitur, ita ſemper faciunt dolorem. Ad tertiam reſpondeo, quod ibi dolor ſit, quoniam confeſtim fit tranſitus, & celeriter multumque ſimul calefaciendo facit quandam antiparaſtaſin, illaque frigiditas propter occluſionem & penetrationem fit intenſior. Quid tum de continuatis ſolutione, poteſt ne aliquis dubitare ne ab illa etiam fiant inſignes dolores? cum illud

illud pateat experimento, videmus enim ſiue per inciſionem, aut puncturam, eroſionem vel contuſionem, alioue quouis modo fiat haud mediocres, ſed pene intolerabiles fieri dolores, quorum nemo eſt, vt arbitror, qui in ſe ipſo periculum non fecerit, ratio vero illa, quoniam ſoluens continuum realem paſſionem inurit ſenſitiuo corpori, grauemque læſionem corrumpentem partis naturam, quippe quæ ſua natura eſt vna. Quamuis multi dubitant, nam dolor aut cognitio eſt tactus, aut eius ſequens cognitionem, quodcunque autem ſit, fieri non poteſt, vt aliquid ſit cauſa doloris, quod per ſe ipſum non ſentiatur, ſed vnitatis ſolutio non eſt res cognoſcibilis tactu per ſe, quia non videtur eſſe proprium ſenſibile, vt cunctis patet, niſi fortaſſe ſit commune, & niſi ſenſus hic cognoſcit ſuam vnitatem, quomodo poteſt cognoſcere ſolutionem? relinquitur vt per ſe ipſam vnitatis ſolutio dolorem efficere non poſſit. Secundo quamobrem fit, vt facta ſolutione continui, non amplius permaneat dolor, ſed erat tantum cum fieret, aut paulo poſt, in ipſa vero intemperie dolor fit ſemper à principio ad finem. At vero ſi vnitatis ſolutio eſt per ſe cauſa doloris, nequaquam fieri poſſe videretur, vt ſenſu bene diſpoſito, & cauſa exiſtente in actu, effectus qui natus eſt ab illis prouenire nullo modo fiat.

Tertio videmus in ipſo certamine nonnullos excipere magnos ictus, magnaſque pati ſolutiones continui, eos tamen nequaquam dolere, cum alioqui ſolueretur vnũ: conſequens igitur eſt ſolutionem continui per ſe ipſam non eſſe cauſam doloris. Quarto ex antiquorum monumentis habemus exemplum Mutii, is enim cum dextera cremaretur ignibus, videbatur non dolere, nec ſignum aliquod quod etiam minimum ſit doloris referebat, quod mihi confirmarunt recentiores hiſtoriæ: cum enim Hiſpano cuidam nobili & fortiſſimo ad viuum ſecaretur brachium, nullum doloris ſenſum habere demonſtrabat, cum tamen pars ipſa eſſet ſentiens. His omnibus difficultatibus ſi modica adhibeatur diligentia, non erit arduum reſpondere. A prima vero, quemadmodum decet, exordientes interponemus quorundam ſolutionem, qui quidem aſſerunt vnitatis ſolutionem eſſe reducibilem ad numerum, qui ponitur inter ſenſibilia communia: ſenſus enim apprehendit vnum negatione diuiſionis, & numerum ſolutione continui (ſic enim habet generationem) aut negatione continuitatis, vnde partis exitus in hanc diuiſionem per dualitatem fit ſenſibilis in modum numeri, quamuis non vt numerus intentionaliter perceptus in rebus extrinſecis, quoniam ille ab omni ſenſu percipitur, ſed tanquam numerus ſubſtantiæ mem-

membri corruptiuus, qui ex ipſo tantum tactu percipi poteſt. Hanc vero ſolutionem ne ipſi quidem fortaſſis intelligunt, nam numerus, neque ante ſolutionem, neque cum fieret, erat, ſed omnino poſt factam, dolor autem erat, cum fieret: ergo præcedit numerum. Quomodo autē hoc fieri poſſet vt effectus propriam præcederet cauſam? Præterea hoc videtur valde irrationale, vt propterea qui incidit, dolorem faciat, quia multiplicet numerum, faciens nimirum ex vno multiplex, ſiue ex vnitate binarium. Nam etſi numerum non animaduertat, aut omnino non cognoſcat, vel ab eo præſcindat, nihilominus ob eā ſolutionem doleret, atque punctura non facit ex vno binarium, præſertim ſi leuiter pungas, & pars ipſa ſit valde ſentiens, quemadmodum eſt oculus, & recens caro vulnerum, quæ ſenſum habet inſolentiorem. Præterea numerus abſtractus non cognoſcitur à ſenſu: concretus autem eſt ſenſibile commune, & ab omni ſenſu percipitur in ratione numeri. Quarto nō vnitis adhuc labiis vulnerum aſſidue dolor eam partem vexaret: neque enim abeſſet numerus, qui dolorem per ſe ipſum poteſt generare, vt ipſi exiſtimant. Propterea dicerem continui ſolutionem cauſare dolorem ob realem paſſionem corruptiuam, ſiue afflictiuam, & acriter lædentem ſenſiuum ipſum inſtrumentum; id enim quod reales i-

ſtas paſſiones afferre poteſt, natum eſt etiam generare dolorem, id quidem magis, alterum autem minus, prout maiores vel minores inferunt paſſiones cunctis partibus. Et quid peius contingere poteſt ſentienti parti, quam eius laceratio, vel magnæ intentiones? imo hoc aliud dico, quod ſi fuerit aliqua res inciſiua, ſiue contundens ex cœleſti materia confecta, aut alia fortaſſis nobiliore, nihilominus efficeretur dolor, ſi talem tantamque haberet reſiſtentiã, agendiq; poteſtatem, vt partem illo modo laceraret, & naturã eius corrũperet vnam. Dices omnis dolor ſequitur cognitionem, cognitio autẽ obiectum, attamen hic nullum obiectum tangibile poteſt aſſignari, nam cœlum caret omni tangibili qualitate? Reſpondetur ſenſibilem eſſe illum renixum corporis, & ob id illam actionem, cõpreſſionemq; magnam afferentem læſionem afflictiuam organi, per quam hoc patitur, & dolet à quocunq; id fiat corpore, atq; hoc eſt de ſenſibilium propriorum numero, ſicut graue & leue, aſperum & lene, quod enim eſt ſiue obſiſtens, ſiue cedẽs, hoc tactus confeſtim animaduertit, ac ſi obſiſtendo, comprimendoque organum, aliquo modo conuellit, dolorẽ parit. Cum vero diceret, Cœlum carere qualitatibus tangibilibus, dico ipſum carere alterantibus & motiuis, nimirum grauitate & leuitate. Hinc eſt quod ſi quiſpiam infra Lunã ponere-

ieretur, ſi manum attollat, cognoſceret renitum, ſi fortaſſe obniteretur, & non cederet, aut ſi fortaſſe cederet renitendi priuationem cognoſceret, nos etiamſi veritatem dicere non grauamur, plerunque cognoſcimus aliquorum reſiſtentiam nulla in eis cognita caliditate, frigiditateue, aut alia eiuſdem generis qualitate, cognoſcimus ſæpe in aere cedēdi facilitatem ſine aliarum qualitatum adiumento, ſæpe etiam manuum altera tangit alteram, & mutuum cognoſcūt renixum, cum alioqui calor & cætera ſint ſimilia, ſæpe etiam calceatis pedibus nonnulla renitentia cognoſcimus, quando iam nullus calor, nullaq; frigiditas in tactiuum illud peruenerit corpus. Ad ſecundam difficultatem principalem reſpondeo, ſolutionem vnitatis non poſſe cauſare dolorem, niſi cum fit, cum enim facta eſt, non amplius mouet, nam ipſum diſſoluens erat quod mouebat dolorem, hoc autem continuo abeſt; in ipſa vero inflammatione cauſa quæ facit dolorem, perpetuo manet, calor inquam mordax & moleſtus ſenſui, fieri tamen poteſt, vt cum recens eſt vulnus, aut contuſio, dolor adhuc maneat, nam partes adhuc recens vexat ſolutio & laceratio, præſertim ſi calor in ipſa ſolutione concipiatur. Ad tertiam dico quod vulnus celeriter inflictum doloris ſenſum nō facit, quoniam propter celeritatem ſenſum latet, tum etiam illo

quia ſenſus eorum, mentiſque acies tota eſt alio conuerſa, & valde, vt aiunt, extraneata, itaque non poſſunt aliis rebus animum appellere, vnde neque ipſi frenetici dolorem ſentiunt, de quibus ait Hippo. dolere quidem illos, dolorem autem minime ſentire, ad hoc enim requiritur applicatio conuerſioque facultatis cognoſcentis. Ex his pariter diluitur quarta difficultas, multi namque viri fortiſſimi honori, qui propter fortitudinem debetur, tantopere ſtudent, vt ſenſum mentemq; alta cogitatione retrahant à rebus illis, dolorem inurentibus: quapropter videntur non dolere, vel cenſendum eſt illos ſentire quidem, ſed magna fortitudine vigoratos vim doloris ſuſtinendo, continendoque ſuperare. Cæterum quod aliæ quędam cauſæ neque per intemperiem, neque ob ſolutam vnitatem dolorem pariant, manifeſtum eſt, quoniam vidimus detectum neruum, qui ab omni læuiſſimo, minimoque contactu corporum dolorem ſentiebat, eoque magis erat intenſus, quo magis comprimeretur: attamen neque intemperiem, neque continui ſolutionem efficiebat, nam quomodolibet illa calida ſint vel frigida, nihilominus dolorem cient. Hoc idem vidimus in recenti vulneris carne, quæ tum illo quod recens eſt & tenella ſenſum habens inſolentiorem, tum etiam altero quod modica quædam inflammatio ibi adeſt ſenſum

um acuens, vt propterea ſi vel ſolo capillo
am leuiter tangas, doleret acriter:ſed abſur-
lum eſt credere quod eiuſmodi contactus in-
emperiem, aut ſolutionem faciat: neque
nim intemperies fit ſubito, neque continu-
ım capillus ſoluit. Id etiam videmus ſi ſolo
oſſipio, quod eſt molliſſimum, tangatur pu-
illa: illa enim propter partis tenuitatem, &
enſus excellentem virtutem nullius fert cō-
actum extranei citra dolorem, dummodo
eſiſtentiam quandam referat. Videmus et-
am venena ciere dolorem, nequaquam ve-
o intemperiem faciunt, neque ſolutionem,
ieque enim omnia calore agunt, & frigidita-
e. Tactus etiam piperis dolorem parit in lin-
ua, continuum autem ſoluere non poteſt,
uemadmodum neque vnguis vbi cum illo
omprimitur caro. Quapropter rationi con-
entaneum eſt vt credamus, eas non eſſe cau-
as adæquatas dolorum, ſed potius id omne,
uod ipſi ſenſitiuo corpori poteſt aliquam
realem paſſionem afferre corruptiuam,
vel ſaltem grauiter læden-
tem.

DE RISV OPVS ALTERVM.

Cap I.

Proœm.

NVlla propemodum affectio videtur adeo familiaris humano generi, quemadmodum eſt riſus & fletus. Nam omnes homines qualeſcunque ſint, ad ridendum & plorandum ſine vlla diſciplina ſeſe flectere poſſunt, vt propterea maiores noſtri, cum rerum naturas explorarent, proprietatem hominis præcipuam ex ipſo riſu depromendam eſſe cenſerent; nihilominus præclaram huiuſce rei tractationem cunctis alioqui peroptatã, fere omnes vti neglectam, aut rem prorſus inutilem dimiſerunt, vnus tamẽ ille admirabilis homo Ariſtoteles communis magiſter, cui nihil videtur occultatum eſſe à natura, ſemina quædam ſparſim proiecit, tradiditque conciſe. At mihi de anima pertractanti ſubiit in mentem, vt de affectione hac pręcipua pertractarem, quàm non immerito viſum eſt aptare ad præcedentem tractationem, magna enim eſt familiaritas riſus & fletus cum voluptate atque dolore, quoniam

iam alteruter effectus, motioue ab illis pro-
:iſcitur cauſis. Et quamuis videretur nego-
um nimis arduum, illud tamen non recuſa-
, ne noſtrum opus de anima mutilatum eſſi-
retur, ac niſi fortaſſis ipſum ad exactũ per-
ıxero, ſatis erit vt præbeam cæteris occaſio-
em, vt diligentius longeque accuratius per-
ciant. Perſcrutabor itaque cuius affectio ſit,
ıimæ vel corporis, & ſi fortaſſe ad animam,
:l per eam ad corpus referatur, quam par-
:m ſectetur illius, an ſoli conueniat homini,
el riſum communem is habeat cum cæteris
ıimantibus, quid ſit obiectum riſibile, pro-
riaque illius materia, quo inſtrumento cor-
oreo fiat, ac quomodo perficiatur, quid ſit,
: gratia cuius. Nam ſi hæc omnia declaren-
ır, videbor fortaſſis ſuſcepto muneri ſatiſ-
:ciſſe.

Cap. II.

Cuius affectio ſit riſus, corporis aut animæ, vel coniuncti?

A Ggrediamur iam ad primũ propoſitum, nimirum ſi ſit affectio corporis tantum,
ıt animæ: initio tamen illud videri poteſt
nnibus manifeſtum, quod riſus non eſt
ırporis operatio tantum. Nam ſi conueni-
t corpori, qua corpus eſt, dubio procul o-
ıni corpori eſſet communis: dicebat enim
riſtoteles 1. Poſt. idem eſſe de omni, per ſe &
ſecun-

ſecundum ipſum: id vero mihi videtur adeo manifeſtum, vt probationis omnino non egeat. Quis enim ignorat riſum hunc neceſſario præcedere cognitionem, ac lætitiæ ſobolem eſſe? quæ vel ipſa eſt cognitio, vel parum ab illa dehiſcens propter vicinitatem, itaque videtur operatio procedens ab anima: ſed actionum, ac paſſionum omnium, quæ pertinent animali non nullæ aſcribuntur corpori, vtpote quæ ipſo non nihil patiente fiant, quemadmodum inquit Ariſtotel. 10. Ethicorum cap. 3. dolorem tactus eſſe affectionem corporis, quoniam realiter illo patiente fiat. Nonnullæ inſuper operationes ab eodem appellantur corporeæ, ſiquidem corporis commendatione fiant, quemadmodum ait de ſomno & vigilia, ipſaque etiam verecundia, nulla tamen earum vere cõuenit corpori, vt corpus eſt, eadẽ igitur ratione nec ipſe riſus corporis eſt operatio tantum. Neque vero eſt res animæ duntaxat propria, eam enim nullam propriam habere operationem dicebat Ariſtoteles 1. de anima tex. 12. excepta duntaxat intellectione, quæ ab ipſo corpore dependet ſolum obiectiue, aut mediate, cum intellectus vtatur phantaſia vtente organo vt ſotia ad operandum, quemadmodum ibidem declarauit Philoſophus. ac 3. de anima tex. 32. Quamobrem cenſere oportet, riſum eſſe operationem totius coniuncti, ac proprie corporis

huius

uius animati: idem namque Ariſtot. 1. de a-
ima text. 14. ait, videri animæ paſſiones eſſe
na cum corpore, vt ira, manſuetudo, timor,
audium, amor & eorum cognata. Ac præter-
a in tex. 64. dicebat, ſi quiſpiam aſſeueraret
nimam gaudere, triſtari, amare & iraſci, idem
rofectò eſſet, ac ſi diceret illam texere & æ-
ificare; melius enim fortaſſis eſt, non dicere
nimam, ſed hominem, aut animal, cum au-
ē manifeſtum ſit, riſum eſſe operationem
ffectionemue corporis cuiuſdam animati,
uoad animam, quippe qui corpori per hoc
rincipium communicetur animale, ſeu ra-
ionis particeps, difficultas eſt, quoniam pro-
ime citato loco 1. de anima inquit Philoſo-
hus: animalis operum alia initium habere
b ipſo corpore & ad animam terminari quē-
dmodum eſt ira, cognitio & earum affines,
lia contra ad corpus terminari cum cœpiſ-
nt ab anima, ſicut eſt motus & erubeſcētia.
Quam ergo naturam riſus induit? fateor eſſe
pus quod initium habet ab anima, & termi-
atur ad corpus: nam cognitione quadam &
erturbatione facta, videlicet voluptate aut
olore in humano ſenſu, animaue ipſa ratio-
ali, mox riſus procedit, aut fletus pertingen-
e motu ad corpus & corporea inſtrumenta,
ræſertim illa, quæ ad perennem motum ſpi-
itionis ſubſtituuntur, & quoniam conuenit
omini vt eſt cognoſcens & gaudens, mani-
feſtum

feſtum eſt, eum non dependere ab anima vt eſt natura, ſed potius vt eſt animale principium, aut particeps rationis.

Cap. III.

Ad quam partem animæ referendus ſit riſus, vbi afferuntur & confutantur aliorum opiniones.

QVoniam vero ab anima pendet, maior difficultas eſt, per quam partem animæ fiat, an per eam, qua homo intelligit & ſapit, vel per aliam ab illa diſtinctam? aliis namque videretur conuenire homini per ſenſum proprium, aliis per intellectum, aliis per virtutem mouentem, aliis per quandam aliam huic muneri potiſſimum conſcriptam. Ac videretur manifeſte ab ipſo ſenſu dependere, quoniam Ariſtoteles 3. de partibus animalium cap. 10. inquit, riſum eſſe quandam ſenſus dilatationem, & agitationem hilarem, quæ celeriter fit propter voluptatem, quod etiam confirmauit 35. ſectione problematum quæſtione 6. Hoc etiam experimur quotidie, nam ſola præcedente ſenſus cognitione & voluptate adducimur ad ridendum: ergo ipſius ſenſus eſt functio. Confirmatur, nam reddendus eſt illi potentiæ cognoſcenti, gaudentique cui non repugnet dilatari, & modo quodam dimoueri: ſed hoc non poteſt conuenire intellectui: igitur eſt proprium ſen-

ſus,

us,is enim eſt longe materialior & corpuentior. Præterea confirmatur ab obiectis riiculis, quoniam ſenſibilia ſunt, ſicut igitur obiecta,per quæ cietur riſus, ſunt ſenſibilia, ta ſenſus eſt illius principium, ita tamen, vt ccipiatur ſenſus, vt comprehendit omnem entiendi facultatem: inter quas eſt ſenſus communis, imaginatio, & memoria. Porro uique manifeſtum eſt, nos ſentiendo, imaginatione, ac memoria alicuius præteriti quod ridiculum eſſet,ridere. Præterea ſi quippiam ſub alas & plantas pedum titilletur, conſeſtim riſus allicitur, ergo ſenſus eſt operatio, & illius duntaxat virtute proficiſcitur. Videmus inſuper hunc ſequi corporis temperaturam,nam qui ſenſum habent alacriorem ſeu magis mobilem, & temperamento corporis ſunt tepidiore, nimirum ex ſanguine, cuius calor eſt blandus & non mordax, illi cæteris paribus ſunt ad ridendum magis proclies, alii contra qui ſua ſenſoria potiſſimum prima habent retorrida & ſenſus, vt ita dicam, veluti corneolos & duros, hi neque ridere admodum conſpiciuntur, nec fortaſſe pati, vt alii rideant. Mihi tamen videtur iſtorum opinio futilis eſſe, nam ſi ſenſus eſſet virus adæquate riſiua, cuncta profecto animania riderent, vel ſaltem illa, quæ reſpirationis motũ propter caloris ſalutẽ obtinuerũt: ſenſum etenim habẽt, & inſtrumenta neceſſaria.

An

An fortaſſe dicēt riſum eſſe actum proprium ſenſus humani, & illius ſecundam quandam operationem, ſeu procedentem ab illius affectu, quippe qui valde diuerſus eſt à ſenſibus aliorum animalium, quod ſicut totum ad totum, ita pars ad partem habeat, vt ait Ariſtoteles 1. Meteo. cap. 3. itaque cum tota anima hominis differēs ſit à tota brutorum, eodem modo partes erunt diuerſæ, ac ſi ſenſus vnius bruti ab alterius ſenſu differt, quanto magis ab eis humanus ſenſus erit diuerſus? ob id enim Ariſtoteles 2. libro Ethicorum ſenſum humanum tanquam rationalem exiſtimabat, quippe qui rationi ſoleat obtemperare, eiuſq; nutum ſentiat, quod huic proprium eſt, & nulli aliorum commune. Ac 3. de anima text. 48. & text. 56. & 57. ſenſum hunc ſiue phantaſiam (nam de humana loquitur) cenſebat intellectum appellari ſub quadam analogia: vel quoniam fortaſſis homo carnem habet viuaciorem, primumque ſenſitiuum & ſanguinem magis ſyncerum, vt ait Philoſophus 2. de partibus animalium, magiſque illum vberem ſpiritu, & calore, ac ſenſum ipſum alacriorem, longeque vegetiorem habeat, vt perinde celeres has motiunculas exercere, ſeu pati libere poſſit. Ea tamen ſolutio nullius eſt momenti, quantumuis enim ſenſus ſenſui præſtet ſubſtantia & opere, nunquam profecto ad illud perueniret vt ridicula ſub ſpecie pro-

propria cognoſceret, quoniam turpitudo, vel facetudo, aut ſi quidpiam aliud eſt, ſenſum latet. Accedit etiam, quod ſępe ex voluptatibus mentis & virtutis dianoiticæ riſus alliciuntur, & in colloquiis elegans quædam ratiocinatio, & diſcurſus facetus mouet riſum tum dicenti, tum etiam audienti; diſcurſus autem neque per ſenſum fit, neque à ſenſu eodem percipitur; ergo qui dicit, neque qui audit per ſenſum primo ridet. Amplius ex parte finis, vtpote quod noſtra ciuilis vita, & rationalis ſocietas non eſt propter ſenſum, qualiſcunque exiſtat, igitur neque per eum tantum nobis obtigit riſus. Quid prætera poſſet efficere illa viuacitas carnis, multitudo ſpiritus, puritas ſanguinis, & ſenſus alacritas, vt perinde riſus in homine tantum fiat? profecto hæc non perducerent niſi ad facilem ſenſum gaudii & voluptatis, ſed lętitias & gaudia non exiguas videmus quotidie in aliis fieri, vt teneriora præſertim geſtiant, & ioco ſeſe recreent, cur itaque non rident, ſi talem habent temperaturam carnis; & inſtrumentorum concinnitatem, vt ſæpe gaudere & iocari valeant? cauſa vero illa eſt, quia non cognoſcunt ridicula, illamque formam concrete, per quam talia fiunt. Aliis autem videbatur, riſum eſſe operationem facultatis motiuæ, neque enim eſt intellectio, neque ſenſatio, neque voluptas ſenſus aut mentis, ſed motus

quidam, qui voluptates ſectatur eorum, nam manifeſte videmus eſſe motum thoracis, in quo ſeptum mouetur & pulmo vſque ad muſculos, qui buccas mouent, & quemadmodum varii efficiuntur motus illarum partium, ita multiplices dicuntur eſſe differentiæ riſus: id etiam fortaſſe volebat Ariſtoteles, cum diceret eſſe motum ſenſus, hic enim vt ſenſus eſt non mouetur, neque dilatatur vllo modo, quamuis moueantur primæ ſenſuum ſedes, & illo modo Philoſophus ſumebat ſenſum. Videmus inſuper reſpirationem, quæ eſt motus ſpiritalium partium, eſſe quaſi materiam riſus, ex qua ſcilicet generatur, vnde fit illa ſuccuſſatio pulmonis, & agitatio ſepti: cum itaque riſus motus ſit, nulli dubium videri deberet, ne ad virtutem mouentem ſit referendus. Attamen iſti ſe ipſos latent, nulla enim controuerſia eſt, an ſit quidam motus, ſed à quo principio hic motus dependeat, ſiquidem inopinato efficitur, & præter voluntatem, vt ait Philoſophus: motus autem qui ab appetitu dependet, eſt ſpontaneus, illaque facultas nequaquam homini propria. Ac propterea viſum eſt aliis, primum principium eſſe intellectum, quoniam vt riſus eſt operatio affectiove homini propria, ita potentia riſiua debet eſſe quædam pars animæ, propter quam homo ab aliis ſegregetur animalibus, huiuſmodi vero eſt intellectus in primis,

vt

vt ait Ariſtoteles decimo Ethicorum capite ſeptimo, ergo per ipſum datum eſt nobis eſſe idoneos ad ridendum. Præterea hoc patet ex obiecto riſibili, quoniam ſenſus turpitudinem & facetudinem non cognoſcit, ergo intellectus eſt prima & propria cauſa ridendi, illæque potiſſimum facetiæ, quæ in primis alliciunt riſum, non ſenſum, ſed intellectum mouent, illuc enim vis ſenſus non attingit, ſed potentia ſuperior & melioris conditionis, quemadmodum eſt intellectus, hoc etiam congruit fini, ſicut pateret intuenti. Sed quoniam intellectus valde ſimplex eſt ac ſeparatus à materia, nulloque modo ſequens corporis temperaturam per ſe, ob id videtur illorum ſententia valde diminuta, tum vel magis, quia videmus recens natos ſubridere, quibus intellectus velut iners deliteſcit: ac titillatos ſub alas, & amicos quoſdam ſuſpicientes confeſtim ridere citra diſcurſum intellectus, igitur non videtur ſolus eſſe facultas riſiua. Aliorum poſtremo, qui multiplicant entia ſine neceſſitate, nulla videbatur eſſe habenda ſollicitudo, ſatis enim manifeſtus eſt error illorum.

Cap. IV.

Ponitur vera concluſio, & dilucidatur propoſita difficultas, ac ſoluuntur implicite rationes eorum.

Cvm itaque (vt arbitror) ſatis ſit demonſtratum, neque virtutem motiuam tantum, neque ſeorſum ſenſum aut intellectum eſſe cauſam, & principium animæ ad ridendum ſufficiens, neque vllam potentiam ab his diſtinctam, conſentaneum eſt modo, vt ipſum principium primum, & adæquatum, qualenam ſit, explicemus, id vero perobſcurum videretur, niſi præcedat vnius explicatio, atque illud eſt, quid intelligamus per riſum: hoc enim ita peracto, per ſe ipſum patebit principium: iam enim manifeſtum eſt, ridentes affici quadam motione pulmonis, ſepti, & muſculorum mouentium buccas, itaque arbitramur hominem ridere, cum ex arbitratu, vel quomodolibet alias ad eiuſmodi motiones earum partium ſeſe accommodat, nonnunquam etiam fit quidam remiſſior riſus, ex ſolo illorum lacertorum motu, & modica ſepti retractione citra manifeſtum motum gurgulationis, vt credere ob id debeamus, aut riſum per ſe eſſe talem motum, vel ſaltem pro maiori parte hanc eſſe illius naturam, at vero cum hæc omnia poſſint ſimulari, & erit potius riſus imago, præcedat igitur oportet aliquid in anima, primoque ſenſitiuo, vt verus numeriſque abſolutus riſus efficiatur, cum enim talis & minime ſimulatus erit, præter voluntatem oritur, & ſæpe ob vehementem occaſionem, tametſi homines conena-

nentur, ipſum non poſſunt cohibere neque compeſcere, niſi vel ratione laboris, vel ſedato impetu conquieſcat, ob id ergo ille motus manifeſtus ſupponit quendam affectum primi ſenſitiui & rationalis animæ partis, nempe voluptatem ex ridiculo ſuſceptam, & quandam inſuper hilarem perturbationem ſenſus. Et quemadmodum verecundia non ſolum eſt ille rubor in vultu, nec ſola perturbatio, alteratioque facta in principio ſenſuum aut vitæ: ita nec riſus ſi perfectus eſt, motus ille duntaxat erit manifeſtus, neque inchoatus motus in primo, vt aiunt, ſenſitiuo, & ſpiritibus eius, nam ſæpe hoc fit, & tamen riſus ſupprimitur, vt vere videatur eſſe dimidius in medio ſcilicet interceptus, vtrunque igitur habet verus riſus, & illud erit principium eius quod tum ſubit dilatationem, tum voluptate afficitur, at illud hoc habet, quod ridicula cognoſcit, & quoniam perturbatio fit in principe illa parte, quam viſum eſt Ariſtoteli appellare primum ſenſitiuum, ac principium totius motus, hic nullo pacto referendus eſt illi, quatenus eſt principium motus, ſed ſenſus, animæve cognoſcentis prima ſedes. Et quoniam in ſuperioribus demonſtratum eſt, non fieri per ſenſum ſolum, neque per intellectum nudum, & ſecretum ab omni alio, hoc eſt, neque conuenire ſenſui ſeorſum ab intellectu, neque intellectui ſeorſum

ſum à ſenſu, propterea dico illum conuenire intellectui, prout coniungitur cum ſenſu, vel ſenſui, vt eſt coniunctus cum intellectu, ob hanc ſane antiquam familiaritatem multorum compos efficitur alteruter & homo: aut potius ſi illo modo lubeat, quod riſus eſt operatio affectioque propria rationalis animæ, quæ ſenſu potitur, & intellectu, non ſecus atque verecundia, ea enim nec ſolo ſenſu, nec ſolo efficitur intellectu, ſed vtraque ſubſeruiente poteſtate, hinc minime videmus illum fieri ratione contemplabilium, ſed ob ea, quibus ſenſus etiam adhibetur, hinc patet, eos quodam modo recte dicere, quod riſus ſit operatio procedens ab affectu virtutis intellectiuæ, quippe quæ primo loco ſit cauſa illius, & prima radix: nam vel ipſo inchoante, ſuſcipiente tamen ſenſu, vel ſaltem huius motu & operatione ad eum procedente, allicitur: recte etiam ſentirent illi, qui reddebant riſum ſenſui, ſi dixiſſent, illum oriri ab hac facultate, vt eſt coniuncta cum intellectu, ea nimirum ratione, qua fouetur & illuſtratur ab illo, vt ſupra vires proprias, eo coadiuuante, valeat. Itaque in toto riſu intellectus erit vt radix prima, ſenſus perturbationem & dilatationem quodammodo ſubſtinens, vis autem motiua id cuius commendatione poſtremó perficitur. Itaque in diſcurſu rerum & facetorum vſu non fieret riſus, niſi voluptas

etiam ſenſui eſſet communis, ac proinde primum ſenſitiuum vt ſentiens moueatur, illamq; turbationem ſecundum ſenſum excipiat & patiatur. Et ſic arbitror diſſolutas eſſe omnes rationes aduerſantium. Hinc etiam patet, quod riſus eſt actio quædam, ſi videlicet pro riſu accipiamus illum, quem diximus, motum, quodam autem modo eſt paſſio, ſi ſumatur principium eius, nempe affectus animæ, & perturbatio præcedens in ſenſu. Nonnullæ tamen huc ſpectant difficultates, prima quidem eſt: nam ſatis videretur eſſe alterutra potentia, ſenſus, inquam, aut intellectus, quoniam vel ſenſus natus eſt cognoſcere ridicula, ipſumque primum ſenſitiuum aut vitale principium tales affectus, motionesque hilares ſubire, aut non, ſiquidem ſatis eſt. Fruſtra igitur deſideratur ſocietas intellectus, ſi vero non, quomodo poteſt trahi in conſenſum? Non enim per ſenſum fieret, niſi voluptate afficeretur etiam ipſe, at non afficeretur voluptate niſi cognoſceret. Voluptas enim videtur ipſamet cognitio iucundi, ob id quod minime ſeparantur, vt declarauimus in præcedenti quęſtione. Patet igitur, nullo modo ſenſum eſſe facultatem riſiuam. Secundo videretur eſſe operatio ſolius ſenſus: nam pueri nuper nati cum paululum adoleuerint, rident, in eis tamen vis intelligens videtur ſopita, ac pene humorum affuſione obruta,

quod etiam ob titillationem confirmatur, quæ ſolum ad tactum pertinet, nequaquam vero ad intellectum, & nihilominus riſum allicit, non ſecus atque mutuus amici congreſſus, qui riſum mouet præter voluntatem abſque operatione intellectus. Præterea vna & eadem operatio ab vno duntaxat principio per ſe actiuo debet proficiſci, vt inquit Ariſtoteles octauo Phyſicorum, & colligitur ab eodem duodecimo Metaph. vbi ex numero operationum venatur numerum intelligentiarum operantium. Cum itaq; riſus ſit operatio quædam vna ab vno duntaxat principio deberet oriri, cur ergo multiplicantur principia in eadem coordinatione? Amplius ea potentia, quæ neque eſt actus corporis, nec ſequitur illius temperaturam, non poteſt eſſe cauſa ſuarum motionum, & corporalium affectuum: ſed intellectus, vt cenſet Ariſtoteles, eſt huiuſmodi, ergo non poteſt eſſe prima cauſa ridendi. Præterea riſus eſt rerum ſingularium, vt ſunt ſingularia, intellectus autem eſt rerum vniuerſalium, vt ait Philoſophus primo Phyſicorum, ex quadrageſimonono: igitur non poteſt eſſe opus intellectus. Præterea non videtur ſatis eſſe intellectus & ſenſus, nam ſæpe ſola memoria eorum, quæ vidimus, audiuimus, aut fecimus, hic riſus allicitur, attamen memoria & imaginatio plurimum differt à ſenſu, vt ait Ariſtoteles ſecundo de

do de Anima in fine, & in libro de Memoria & Reminiſcentia. Diluitur prima difficultas, ac primum illo modo, quod ridicula cum ſint ſenſata quodam modo, & ſi diminute cognoſcuntur à ſenſu, exacte tamen, & perſpicue ab intellectu, idemque ſenſus talem, tantamque familiaritatem habet cum intellectu in operando, vt propterea, quod omnia prope referat, & indicet, fieri non poſſit, ne conſentiat: ſunt enim & hæc ipſi iucunda, imo ſunt quædam ridicula, quæ modico lumine intellectus ſiue rationis ſenſum ipſum afficere videntur, ſicut intuenti patebit, tametſi quædam alia inueniantur, in quæ ſenſus ipſe minus momentum habet, itaque tanta eſt præſtantia ſenſus humani, vt rationis nutum ſentiat, eundemque affectum excipiat, vt propterea rationalis quodam modo videretur etiam Ariſtoteli: Vel altero etiam modo dicamus, quod vna exiſtente rationali anima, quæ ſenſum continet & intellectum, ipſa eſt cauſa riſus, vtraq; ſubſeruiente potentia, nulla enim ſatis eſt ſola. Ad ſecundam dico pueris illis ſatis eſſe, vt habeant ſenſum, & cum eo comitem intellectum, ita vt ſenſum foueat, & illuſtret præſentia mentis, vel animam rationalem vtraque præditam potentia. Ob tertiam autem difficultatem dico, omnem operationem vnam pendere ab vna prima cauſa in eadem cognatione, aut à multis ſubordinatis,

quod etiam ob titillationem confirmatur, quæ ſolum ad tactum pertinet, nequaquam vero ad intellectum, & nihilominus riſum allicit, non ſecus atque mutuus amici congreſſus, qui riſum mouet præter voluntatem abſque operatione intellectus. Præterea vna & eadem operatio ab vno duntaxat principio per ſe actiuo debet proficiſci, vt inquit Ariſtoteles octauo Phyſicorum, & colligitur ab eodem duodecimo Metaph. vbi ex numero operationum venatur numerum intelligentiarum operantium. Cum itaq; riſus ſit operatio quædam vna ab vno duntaxat principio deberet oriri, cur ergo multiplicantur principia in eadem coordinatione? Amplius ea potentia, quæ neque eſt actus corporis, nec ſequitur illius temperaturam, non poteſt eſſe cauſa ſuarum motionum, & corporalium affectuum: ſed intellectus, vt cenſet Ariſtoteles, eſt huiuſmodi, ergo non poteſt eſſe prima cauſa ridendi. Præterea riſus eſt rerum ſingularium, vt ſunt ſingularia, intellectus autem eſt rerum vniuerſalium, vt ait Philoſophus primo Phyſicorum, ex. quadrageſimo nono: igitur non poteſt eſſe opus intellectus. Præterea non videtur ſatis eſſe intellectus & ſenſus, nam ſæpe ſola memoria eorum, quæ vidimus, audiuimus, aut fecimus, hic riſus allicitur, attamen memoria & imaginatio plurimum differt à ſenſu, vt ait Ariſtoteles ſecundo de

do de Anima in fine, & in libro de Memoria & Reminiſcentia. Diluitur prima difficultas, a primum illo modo, quod ridicula cum ſint ſenſata quodam modo, & ſi diminute cognoſcuntur à ſenſu, exacte tamen, & perſpicue ab intellectu, idemque ſenſus talem, tantamque familiaritatem habet cum intellectu in operando, vt propterea, quod omnia prope referat, & indicet, fieri non poſſit, ne conſentiat: ſunt enim & hæc ipſi iucunda, imo ſunt quædam ridicula, quæ modico lumine intellectus ſiue rationis ſenſum ipſum afficere videntur, ſicut intuenti patebit, tametſi quædam alia inueniantur, in quæ ſenſus ipſe minus momentum habet, itaque tanta eſt præſtantia ſenſus humani, vt rationis nutum ſentiat, eundemque affectum excipiat, vt propterea rationalis quodam modo videretur etiam Ariſtoteli: Vel altero etiam modo dicamus, quod vna exiſtente rationali anima, quæ ſenſum continet & intellectum, ipſa eſt cauſa riſus, vtraq; ſubſeruiente potentia, nulla enim ſatis eſt ſola. Ad ſecundam dico pueris illis ſatis eſſe, vt habeant ſenſum, & cum eo comitem intellectum, ita vt ſenſum foueat, & illuſtret præſentia mentis, vel animam rationalem vtraque præditam potentia. Ob tertiam autem difficultatem dico, omnem operationem vnam pendere ab vna prima cauſa in eadem cognatione, aut à multis ſubordinatis,

aut partialibus,ſicut eadem tractio nauis,quę per multos ſimul trahentes efficitur, ſubordinatos tamen, & habentes ſe ſinguli tanquam agentia diminuta, ex quibus vnitis fit vnum agens totale per ſe ſufficiens, eodem modo efficitur riſus, vel ab vna anima rationali duabus his prædita facultatibus, vel ab eis tanquam agentibus ſeorſum diminutis & imperfectis. Ad quartam dico magis affici corpus per intellectum, quam contra; ſemper enim principium & agens dominatur materiæ, at vero cum ſimplicem naturam habeat, ſatis eſſe videtur, eum eſſe coniunctum & concretum cum ſenſu, ob eam namque ſocietatem hæc & maiora poſſet efficere. Ad quintam vero reſpondeo, quod intellectus cognoſcit ſingularia, vt ſingularia ſunt, prout coniungitur ſenſui, non ſolum, vt aiunt, reflexe, verum etiam directe, quod apertiſſime declarauit Ariſtoteles tertio de Anima, tex. decimo, concedendum eſt tamen, intellectum differre à ſenſu, quoniam hic ſolum ſingularia cognoſcat, ille vero etiam vniuerſalia, imo per intellectum cognoſci ſingularia magis in profundo, quoniam ſenſus de his cognoſcit vt corticem de arbore, intellectus vero ſicut medullam, quippe qui ad quidditates eorum & immanifeſtas quaſdam proprietates ſe ipſum inſinuat: cum vero tradidiſſet natura hanc partem homini vtentem, ratione con-

ne conſentance fecit, vt ſubinde propriis afficeretur voluptatibus, & ſeſe ioco recrearet, vt depoſita prope curarum mole, tum ad cætera, quæ inſtarent, negotia, tum ad diſciplinas ipſas paratior eſſet, nihil enim à natura fit temere, nec fruſtra aliquid molitur,

Cap. V.

De proprio ſubiecto, propriaque materia riſus ſecundum aliorum ſententiam, perperam ſentientium.

CVM acceſſiſſem ad examen illius quęſtionis pertinentis ad propriam materiam riſus, è veſtigio mihi occurrit eorum ſententia, qui ſuſpicantur, illam eſſe obiectum lætificum & iucundum, propterea quod riſus operatio quædam eſt à voluptate proficiſcens ſenſus & intellectus: cum enim voluptas eſſet cauſa illius, videbatur eis voluptuoſum, & lætificum obiectum eſſe materiam conuenientem ad ridendi actionem; tum etiam illo quod riſus & fletus ſunt contrarii, quamobrem ſubiecta quoque illorum debent eſſe contrariis modis affecta. Sed flendi materia eſt dolor ſiue dolorificum obiectum. Ridendi igitur propria & familiaris debet eſſe lætificum, & voluptate afficiens, quod inſuper eo confirmatur, quia ſi velint homines ſponte ridere ſine vlla diſciplina voluptatem

tem affectant,& ſimulant,ſinguli nanque illo modo erumpunt in riſum, vt videantur læti, & pro re quapiam concepiſſe voluptatem, quemadmodum aſſentatorum turba ſecundum plurimum facit, itaque ſi riſus per ſe eſt index lætitiæ, videretur manifeſte à lætifico obiecto proficiſci, talemque illius eſſe propriam & conuenientem materiam, voluptatem vero potius cauſam, per quam pullulat. Ipſi tamen mihi videntur nequaquam eſſe aſſecuti materiam proximam riſus, ſed illam remotiſſime ac ſatis diminute ſummo, vt aiunt, digito, indicaſſe. Quamuis enim iucunda eſſe debeant ridicula neceſſario: illa tamen non ſunt ridicula propter voluptatem, quam præ ſe ferunt, multa nimirum ſunt iucunda, quæ riſum non mouent: iucundum enim etiam eſt, vt inquit Ariſtoteles in Rhetoricis, parentibus, cum ante oculos habent defunctum filium, fratrem aut affines, & illorum narrare aut audire egregia facta, vitam ingenuam, & virtutum præconia, nihilominus riſum non alliceret, ſed potius fletum augeret, multa quoque ſunt aliorum, quę voluptatem non exiguam afferunt ſenſui, vel intellectui, aut ambobus, per quæ tamen riſus non efficitur, quorum hiſtoriam non eſt opus afferre, nam ſingulis inducentibus per ſe ipſa patent. Et hoc modo ruunt rationes illorum, nam per eas cogimur tantum credere quod neceſ-

ſarium

ſarium ſit, ſi verus riſus ſit futurus, vt à ridiculo proficiſcatur lætitiæ non experte. Ob id viſum eſt aliis propriam & proximam materiam riſus eſſe lætificum nouum, exiguam quandam afferens admirationem, quæ enim iucunda ſunt noua, & non vulgaria ſalis nonnihil habentia, & quorum miramur leuiter, illa ſingulis riſum mouent, niſi aliena perturbatione, aut quomodolibet occaſione alia impediamur, oportet tamen leuem illam eſſe admirationem, quæ ſatis ſit facere ſuſpenſionem animi, non grauem, neque de re graui: nam maior admiratio eſt effectus ignorationis perfectæ, quæ potius retrahit animum ab huiuſcemodi actu ridendi, ſiquidem animi affixionem quandam ſupra ſuſpenſionem, & incumbentem attentionem poſtulat, quapropter videretur eis dictum quodlibet aut factum, & res alias ob id riſum allicere, quoniam ſint iucunda, eademque non vulgaria, ſed noua, leuemque admirationem afferentia, atque per hunc modum facetias ciere riſum, & delectare, & reliqua ſimiliter eiuſdem cognationis, vt per ſingula inducenti fieret manifeſtum, quaſi vero his poſitis aut remotis viderentur eis conſtitui, adimique ridicula, quod etiam confirmant, nam pueri, ſiue adoleſcentes minus alioqui exercitati, atque prudentes, plus cæteris rident, & omnino qui de ſingulis magis mirantur, quod etiam pari ratio-

ratione deſipientibus ac delirantibus obtingere ſolet, ſed è contrario minus rident ſeniores, aut magis ſapientes prudenteſque, quia minus his afficiuntur nouis & leuiter mirandis. Melancholici quoque aliena perturbatione animi præoccupati, & pene laceſſiti non rident, aut multo quidem ſegnius, & è rebus niſi vehementer ridiculis. At neque iſtorum ſententiam poſſum recipere, quoniam non inuenerunt hactenus adæquatam materiam riſus, nec illam proxime, vt debuiſſent, attigerunt: multa namque riſum alliciunt, quæ non ſunt noua, quemadmodum audire eaſdem facetias fortaſſe ſæpius conſueuimus, & nihilominus ſemper riſum mouent, ſi elegantia quædam adhibeatur narrando dicendoq;, aut ſi quiſpiam iocando repræſentet, & ante oculos ponat alterius inceſſum grauem non ſine gratia, aut inconcinnam ambulationem, flexiones crurum, garrulam, loquelam, aut tale aliud riſum pene incompeſcibilem mouere poterunt: illa vero quæ imitantur & pulchre ſimulant, non ſunt noua, nec fortaſſe tunc primum eiſdem ſimulata, & viſa, non eſt itidem noua res titillatio ſub alas, nec nouum videre aliquem cadentem, imo ſi eundem ter aut quater cadentem ſpectemus, maior erit riſus poſt primos caſus: amplius illa admiratio, quæ videbatur eis neceſſaria propter ſuſpenſionem animi, vt faci-

facilius ſubinde laberetur, & motiuncula illa fieret, mihi videtur temere poſita & adiecta, primum quia putant eſſe duntaxat leuem, ſæpe enim cum riſu coniungitur ingens admiratio, tametſi reor non eſſe neceſſariam, vtpote ſi in Comœdiis audiamus aliquem hiſtrionem, qui perelegantiſſime cuncta ſimulet, & repræſentet, adeo vt illius omnes actiones, omnia verba, geſtaque & motiones omnes ſint facetiſſimæ ſupra aliorum methodos, ob id ſane non leuiter, ſed maxime admiraremur illius gratiam, & artificium ſupra humanum ingenium, attamen cietur riſus, & ille quidem non exiguus. Multa inſuper ſunt, quæ riſum proritant, & neutrum illorum habent, cum manifeſtum ſit, pleraque riſum ciere, quæ aliquis cogitabat ſe eſſe facturum aut dicturum, ſi memoret quoque præterita, illa non ſunt noua, neque admirationem afferunt, cum eſſent cognita & perſpecta: multa etiam vtrumque obtinent, & nequeunt eſſe cauſa ridendi, videlicet ſi in tripudiis videamus ſaltus quoſdam difficiles, & corporis quandam agilitatem pene incredibilem, vel tale aliud, tametſi nunquam antea viſum & auditum, riſum ciere non poteſt, ſales vero ſi adiungantur, perperam fiet, quoniam non ſunt in omnibus, ſed in facetiis tantum, vt ſuo videbimus loco. Hinc aliquis perperam exiſtimaret aſſerendo propriam

priam materiam riſus eſſe iucundum ludicrum, quod nouum ſit, & leuem quandam præ ſe ferat admirationem & gratiam, dicente nimirum Ariſto. oportuiſſe hominem quoſdam motus habere lætitiæ; vt ioco ſeſe recreet, per iocum autem intelligit ludicrum, quod aliis appellaretur inane lætificum, quandam duntaxat referens gratiam, dicente Ariſt. ſubeſſe quandam gratiam in ridiculis, propter quam ridicula fiunt: riſus enim ab inani voluptate procedit, ac tale lætificum mentem & ſenſum celeriter mouet, alia vero quæ voluptatem afferunt, & ſunt bona, vtilia, ſeria, grauia quietant animum, & requirunt immanentem, ſtabilemque applicationem, animique intentionem efficiunt, in cæteris cum inania quædam ſint & ludicra, nequaquam ſeria ſenſus quaſi per inane ſuſpenditur, talique genere puerilis lætitiæ dimouetur, quia non habet obiectum terminans: Nihilominus ſi inductione vtamur per ea quæ ſunt ridicula, dubio procul erit manifeſtum, eorum opinionem eſſe pariter inanem, id enim ſi verum eſſet, ſequeretur; riſum ab iis tantummodo quæ ioco fiunt proritari, ſed hoc eſt abſonum, quoniam citra iocum fit congreſſus amicorum, & riſum nihilominus mouet: eodem modo ſi turpiter incedentem aliquem videamus, ſi ridemus ex alterius ploratu, ex caſu, indignatione, loquendi in-

con-

concinnitate, aut motuum incompoſitione, ex caſu aliquo, & inopinato euentu non vulgari, aliiſque plurimis, in quibus non eſt iocus, nec ludicri figura, quæ ne nimis in longum mea producatur oratio, libenter ſileo, accedens iam ad aliam opinionem, quæ me vellicat: Nonnulli ſiquidem perſpecta tantâ rerum varietate, tantoque diſcrimine illorum, quæ riſum alliciunt, cenſerent vanum eſſe eorum laborem, qui conantur aſſignare aliquod entium commune genus tanquam materiam adæquatam & propriam riſus, non ſecus atque ſi quiſpiam omnium rerum quæreret vnum genus, quod alioqui eſſe non poteſt, cum prædicetur æquiuoce, atque de ſuis propriis differentiis, ita dicunt, impoſſibile eſſe ridiculorum quærere vnum genus commune velut vniuocum & proximum, cum obiecta ipſa & cauſæ multiplici ratione ſeparentur, quod alioqui perſuadetur quibuſdam rationibus apparentibus: iam enim in rebus tantummodo tangibilibus impoſſibile eſt aſſignare vnum genus eorum, cum genera tactilium multa exiſtant, niſi fortaſſe communiſſimum nomen ſibi ab actu vendicent, adeo vt dicamus, ipſum eſſe tangibile. Similiter ipſius ſenſus communis non poteſt aſſignari vnum genus proprium, quod quidem velut vnum genus rerum dicatur proprium ſubiectum huius ſenſus, ſicut color dicitur obie-

ctum viſus, tametſi communiſſimo nomine conſueuimus dicere, illud eſſe ſenſibile pariter ab actu: ea enim omnia, quæ ſunt ſenſibilia, vno genere complecti non poſſumus: at multo minus poterit eſſe aliquod genus ſenſibilium & intellectilium: plus enim differt ſenſibile ab intelligibili, quam ſenſibile à ſenſibili, in quantum talia: ſed riſus pariter videtur fieri circa ſenſibilia & intellectilia; ergo materia ridendi non poteſt complecti vno genere. Amplius coniunctorum & ſimplicium non poteſt eſſe aliquid commune vniuocum, aut analogum, ſed riſus ex ſimplicibus & coniunctis proritatur; ergo non poteſt habere deſignatam materiam, illamque definire & circumſcribere determinatis conditionibus ac differentiis, eſt impoſſibile: verum ſicut in ſenſu dicebatur obiectum ſenſibile communi nomine, eodem modo dicemus materiam communem, per quam fit riſus eſſe ridiculum: quod etiam confirmatur ex parte potentiarum, quibus hic actus ridendi accommodatur: nam ſupra dicebamus, illum referri ad ſenſum & intellectum. Cum igitur intellectus & ſenſus nequeant habere commune ſubiectum, minus etiam poſſibile eſt hoc aſſignare riſui. Amplius hoc inductione confirmant, afferentes nonnulla ridicula, quæ talem ac tantam præ ſe ferunt diuerſitatem, vt non ſolum videatur impoſſibile, quod poſ-

poſſint ſub vno genere ac nomine comprehendi, verum etiam vt illa proportione aliqua poſſint conuenire, etenim ab ipſis tactilibus generatur, vtpote facta titillatione ſub alas aut plantas pedum iis hominibus, qui titillantur. Videmus inſuper aliquem ridentem, & nos cum illo ridemus, ignorantes forſitan cauſam ridendi, vt videatur interdum citra cauſam & obiectum proficiſci, ridet quis ob fletum alterius, vel ſi cadentem videat aliquem turpiter, potiſſimum ex aſino, atque ita propter mala & infortunatos caſus aliorum. Similiter videndo aliquem deliteſcentem in luto, aut ſponte ſolis ardoribus, atque imbribus expoſitum temere; ſimiliter propter ignauiam & ſtoliditatem aliorum, propter inconcinne facta, ſi ſint citra dolorem, ac deniq; propter oppoſita iſtorum. Ridemus inſuper, ſi turpe aliquid aut pulchrũ, quod eſt illi contrarium, videamus, & mirum mehercle videtur, quomodo cõtrari s ex rebus riſus allici poſſit, ac propterea longe mirabilius videri poſſit ingenium illorum, qui fruſtra ac temere niterẽtur inuenire propriũ ſubiectum riſus, eaque accommodare determinato generi, quæ ſua natura ſunt indeterminata, & generum diuerſorum. Solent præterea homines ridere, cũ viderint alios furore percitos atq; indignatos, & quo magis eis ſubcreſcit furor & indignatio, ſic illis riſus ma-

gis intenditur, fit etiam pro rebus æque animatis atque inanimatis, quamuis riſibiliora videantur eſſe faceta; quæ audiuntur & aſpiciuntur in mutuo congreſſu atque vſu verborum & rerum, quorum numerus eſt pene infinitus. Cum itaque ſint totó cœlo diſtincta, quæ non poſſunt in vnum genus coire; ſat erit, ſi dixerimus, ſubiectum riſus eſſe ridiculum; quæresne autem, quid eſt hoc, fruſtra quærere: id etiam confirmatur altero experimento ſenſuum. Etenim nonnulla alicui mouent riſum: cæteris autem non mouent; quod videtur eſſe manifeſtum argumentum, quod riſus non habeat aliquam certam & determinatam materiam, atque hoc volebat dicere Ariſtoteles quarto Ethicorum cap. octauo ſequentibus verbis: (Isne igitur dicendus eſt recte facetiis vti, qui dicit ea, quæ liberum hominem decent, an is, qui eum, qui audit, dolore non afficit, vel etiam delectat? an & hoc indefinitum eſſe conſtat? eſt enim aliud alii odio & iucundum) Si vero quęras, quid opus eſt obiecto, vt euadat ridiculum: reſpondent ex mente Ariſtotelis, vt talem afferat inanem lætitiam, qua ſenſum mentemque dilatet, ac celeriter moueat. Itaque titillatio non immerito facit riſum, & naturam induit ridiculi, niſi quia illud ipſum facit, tametſi ſua natura ſit moleſta, ſenſuſque illam ægre ferat, argumento ſiquidem eſt proiectio corporis, imo

imo affert Ariſtoteles tertio de partibus Animalium cap. decimo, hiſtoriam militis, qui ſuſcepto vulnere in ſede præcordiorum perpetuo ridebat, & eandem attulit rationem eiuſcemodi riſus, vtpote quod calor affatim accenſus erat in illa parte propter naturam vulneris; calor enim mentem aperiebat, ac ciebat motum ſenſus; quamobrem hoc etiam cum aliis poneretur inter ridicula. Mihi tamen videtur illorum opinio eſſe fuga propoſitæ difficultatis; ea enim negatione reſponſionis vtitur ad reſpondendum; quapropter dimittit intellectum in maiori perplexitate, & magis inquietum, ac ſatis abſurdum videtur, vt omnes aliæ determinatæ actiones, ſeu paſſiones, & affectus determinatum genus habeant, certamque materiam: riſus vero illam non habeat. Accedit præterea, quod ſi riſus eſſet generis indeterminati, ſequeretur hominem æque de ſingulis ridere, quod eſt abſurdum, imo etiam manifeſte videmus, ea, quæ riſum mouent, habere quoſdam gradus remiſſionis & intenſionis, vt riſibiliora nonnulla conſpiciantur, quæ ad naturam quandam proximius accedunt. Igitur forma quædam eſt, ac veluti figura, qua cum obiecta fuerint inſignita, ridicula fiunt, & riſum ſubinde mouent, niſi aliunde cohibeatur, taliſque eſt illa forma atque figura, vt cum adſit, hæc omnia fiant, cum adimitur, non fiant, & quo

clarius ipſa participatur atq; elegantius, eo etiam clarior efficitur riſus. Et quoniam omnis figura, omnis actus, omniſque differentia ſuperaddita conſtituit aliquam ſpeciem, ſeu genus entium: Propterea cēſemus fieri aliquod genus vnum & determinatum ex omnibus obiectis configuratis huiuſcemodi ſigillo & caractere. Cum vero ſtrenue arguerent, reſpondendum eſt rationibus illorum: non enim abſurdum eſt, aliqua ſub vna ratione eſſe generis indeterminati, aut carentis nomine: ſub altera vero determinationem ſubeant. Non eſt itaque mirum, ſi ſenſibilia & intellectilia ſimul vt ſunt ſubiecta cognoſcentium facultatum, non ſunt eiuſdem generis, quæ tamen in vnam naturam & formam coeant, vt riſum alliciunt: oportet enim, vt omnia ſuſcipiant illam formam, per quam euadunt ridicula: illud autem, quod non omnes de eiſdem rident, declarabimus poſtea, ſed titillatio aut per accidens riſum mouet, aut certe naturam induit ridiculorum, quæ eſt ſibi communis & aliis, ac de militis hiſtoria cenſerem, illud factum eſſe propter delirium ex inflammatione illius partis: nam φρένας antiquis ea pars dicebatur, & illius inflammationes phrenitidas pariunt, nonnullæ autem deſipientiæ, vtpote quæ ex ſanguine, qui eſt blandus humor, cum riſu fiunt; quamobrem dicebat Hippocrates, deſipien-

tiæ,

tiæ, quæ ſunt cum riſu minus periculoſæ, quippe quæ melioris longeque benignioris humoris inflammationem referunt. Ob id poſtremo viſum eſt quandoque etiam mihi formam illam atque figuram, quam induere oportebat cuncta ridicula, eſſe quandam facetudinem, ipſaque ob id ridicula nuncupari faceta cognomento formæ, ita tamen vt non ignoretur, quod facetum reperitur in duplici differentia: alterum quidem magis proprie longeque contractius ſumptum, quomodo intelligitur eſſe dictum vel factum hilare vrbanum citra ſcurrilitatem: ſic enim ad verbum de facetis inquit Ariſtoteles quarto Ethicorum capite octauo, quemadmodum ipſum deſcripſimus: altero modo ſumitur magis communiter, magiſque profuſe, & hoc pacto dicemus, facetum eſſe illud, quod ſane vbi dictum vel factum ſit, aut quomodolibet aliter quendam præ ſe ferat leporem, quandam gratiam & alacritatem: idem vero ſit non ſerium, neque graue, nec admodum vſitatum, aut vulgare, & ſic accipiendo facetum pro eo, quod harum conditionum eſt particeps, id proprie fuerit vera materia, propriumque ſubiectum riſus, quod illa ratione confirmatur: ea enim, quæ nos appoſite facetias appellamus, maxime omnium ratione facetudinis riſum mouent. Illud itaque ridiculorum eſt verum genus propriaq; for-

ma, cuius plane ſpecies vna eſt primum ridiculum, ſed facetiæ ſunt in primo gradu ridiculorum, ac ratione facetudinis riſum alliciunt; ergo facetum in communi eſt commune genus iſtorum ſubiectorum. Et quoniam illæ nuncupatæ facetiæ ſunt in illo eminentiori gradu; propterea viſum eſt antiquis accommodare nomen totius generis vni duntaxat ſpeciei propter excellentiam: quod etiam altero medio confirmatur: cum enim circa ridiculorum vſum fiat virtus quædam & vitium, vtendo videlicet ipſis, aut quemadmodum oportet ex debito fine, aut ſicut non conuenit, ſine dubio illa erit materia riſus, circa quod dicta virtus vitiumque conſideratur, ſed ex vſu facetorum oritur, cum prout conuenit, aut contrarie fit vſus eorum, & riſu ipſo moderate aut ſine moderatione vtuntur; ergo facetum eſt ſubiectum commune riſus & proxima eiuſdem materia, accipiendo tamen facetum, vt diximus, communiter, quo quidem modo æque ad animata atque inanimata refertur: nam ſi preſſius acciperetur, vere facetus diceretur ille, qui talem habitum eſſet aſſecutus, vt ad recte iocandum ſeſe flectere poſſet, non actiue tantum, verum etiam paſſiue, quemadmodum contra diceretur ſcurra, qui ſine moderatione iocatur, vtiturque actiue vel paſſiue ridiculis profuſe & indecore, ac ruſticus demum, qui ne-

que

que ridiculis gaudet, nec alios vti gaudere ve pateretur. Itaque facetæ actiones, & verba, res quoque aliæ animatæ, aut animæ expertes, in quibus talia conſiderantur, nata ſunt riſum ciere, hoc plane modo faceta facies viſa duntaxat eſt cauſa riſus, facetæ actiones quomodolibet conſulto aut inopinato fiant, obtutus & congreſſus faceti amici: neque enim de quolibet ridemus, ſed ſi alacrem & gratioſam faciem præ ſe ferat. Et quamuis nonnulla ſæpe contingunt, quæ cum riſum moueant, non videntur poſſe nuncupari faceta, hoc accidit ſecundum præſentem opinionem ob vſum communem nuncupandi tantum faceta illa, quæ in primis ſunt talia atque omnium maxime, quemadmodum ſunt dictæ facetiæ: & quoniam inter eas conditiones, quæ faceto conueniunt, duæ potiſſimum erant negatiuæ, altera quidem vt res illæ non ſint ſeriæ nec graues, altera vt non ſint admodum vſitatæ atque vulgares, prima earum videtur valde neceſſaria: nam res ſeria & grauis addit animæ grauitatem, & mentem non mouet, ſed potius ſiſtit, redditque illam incumbentem ſibi, vt antea dicebam: altera quoque non modicum ad hoc ipſum habet momentum, ſiquidem præcognitum & minus vſitatum, tametſi natura ſua eſſet ridiculum, mentem non admodum moueret, niſi fortaſſe aliquid facetum ſit, quod tanta polleat gratia,

tantumque ſalis habeat & leporis, vt ferme ſemper valeat animum commouere, & dilatare ſenſum, oportet etiam eſſe de genere illorum, quæ non ſemper nec frequentius accidant, an vero id ſit, quia præcognitio & conſuetudo illam modicam admirationem auferat, quæ videtur per ſe ridiculis eſſe coniuncta? an riſus vt fraudatio quædam eſt, & celeriter facta motio, quæ à non præuiſo & conſueto fieri deberet? an conſueta & præuiſa vt vulgaria fiunt, ac tanquam res domeſticæ & ordinariæ, vt propterea mentem mouere non poſſint, quaſi facetudinem illam refrangant, & vires illius obtundant? an quia riſus celer motio eſt, quæ à celeri, & cum fit, procedit impreſſione, non autem cum facta eſſet, aut ſenſim inducta. Quamuis iſta opinio probabilis videtur, non ſecus atque illa, per quam ponitur, ridicula in genere eſſe ludicra, quæ gratiam aliquam referant, vel ea, quæ ſub ludicri figura mouent, ac voluptatem illam inanem afferentia, nequaquam tamen vera eſt, primum quia facetum proprie eſt illud, quod ab Ariſto. deſcribitur quarto Ethicorum cap. octauo, & per quandam tranſlationem poſtea refertur ad nonnulla aliorum: cenſebat namque Philoſophus, facetudinem eſſe quendam medium habitum inter ruſticitatem & ſcurrilitatem congruentem viro vrbano, quippe qui cum quadam

mode-

moderatione iocatur, & ſicut conuenit, vtitur ridiculis citra exceſſum & defectum, hinc poſtea factum eſt, vt illorum hominum actiones dicerentur facetæ, verba quoque & geſta. Sed quoniam facetus tanquam cauillator eſt, videnturque etiam ſcurræ elegantes faceti, illoque modo nuncupari ſolent: propterea inquit Ariſtoteles, illi medio habitui accommodatam eſſe vrbanitatem, quaſi vero facetus vrbanus dicendus ſit ille, qui medium eſt habitum aſſecutus ad recte iocandum, vtendumque ridiculis ſicut conuenit, & ſcurra dicendus ſit facetus tantum: is enim riſum modo facere ſtudet. Itaque facetus in communi eſt quidam cauillator, ſed hic quidem modeſte, & cum quadam moderatione, ille vero profuſius, hinc faceta facies ſolet illa nuncupari, quę illius eſt hominis, qui gratiam quandam refert in iocando, hinc etiam per quandam tranſlationem ſolemus dicere faceta quædam entia, quæ videntur aut ioco facta, aut ſimulatione cuiuſdam rei ſatis concinne & eleganter. Si preterea conſideremus ſingula eorum, quæ riſum alliciunt, inducendo, quam facile patebit, nequaquam eſſe faceta omnia, quæ illum mouent: pleraque enim ſerio fiunt, vt caſus quidam infortunati, & multa eiuſdem cognationis, quæ riſum afferunt; itaque nec bene congruunt illæ conditiones cunctis ridiculis, nec ita ſunt faceta.

CAP VI.

Ponitur vera materia riſus ex mente Ariſtotelis.

HACTENVS reiectæ ſunt omnes opiniones perperam ſentientium de materia riſus; propterea videbatur modo acceptabile tempus, vt qualis ea eſſet, explicaremus; quod quidem nullo, vt ita dicam, ſuſcepto labore conſequemur, ſi Ariſtotelem conſulamus; is enim circa initia operis de arte Poetica dicebat hoc modo; Comœdia autem eſt, vt diximus, peiorum quidem imitatio, non tamen ſecundum omne vitii genus, quanquam ridiculum à turpi proficiſcitur; ridiculum enim aliquo modo peccatum eſt, & turpitudo ſine dolore, minimeque noxia, perinde ac ridicula ſtatim appareat deformis facies diſtorta ſine dolore. Quibus verbis, vt vides, manifeſte & expreſſe admodum conſtituebat, materiam riſus eſſe turpitudinem citra dolorem, vel illa dicas obiecta, quæ illius turpitudinis non ſunt expertia, ad quam plane ſpectant ludicra, ioci faceta & errores; eam vero doloris expertem eſſe debere; nam ſi pro triſti accipiatur, doloremque afferat, profecto non riſum, ſed potius commiſerationem, aut fortaſſe etiam fletum proritaret, ac neceſſe eſt animum poſſe gaudere, & ab inanibus hiſce oblectamentis affici; ſecus enim minime rideret,

deret, & ſtulti niſi eos aut humoris prauitas, vel caligo, & inepta frigiditas cum ſiccitate, vel ipſa retorrida offendat ſola, plurimum rident: nam ſingula prope cenſent errores & turpitudines ſine dolore, aut iocos, falſa nimirum imaginatione deluſi, atque hoc turpitudinis genus haud neceſſario ſecundum naturam eſſe oportet, ſed quocunque modo ipſum conſideretur ac fiat, aut ſecundum naturam, aut ipſa duntaxat ſimulatione; conſulto, vel præter opinionem, in rebus quoque tum rationalibus, tum rationis expertibus, atque omnino inanimatis: ſæpe enim brutorum nouæ formæ & actiones non vulgares cient riſum, elegans quoque motus & forma, aliaque id genus, nempe ſi caprarum more exilia quædam arundinum fruſtra non inepte fabricata, formamque animalis referentia proſilire videamus; ob id ſane riſum plerunque vidimus factum inſignem, atque per illius cognata, cum alioqui eſſet actio corporis inanimati. Quiſpiam tamen hic dubitaret: ſunt enim nonnullæ turpitudines & errores, ſiue peccata, quæ ex ſui natura dolorem non afferunt, riſum tamen ob id non mouent, propter quæ ſolemus dicere, nos neque gaudere, nulloque affici dolore. Quamobrem mallent ponendam eſſe turpitudinem potius afferentem lætitiam, quam citra dolorem, præſertim quod ab hilari procedit affectu ac volu-

voluptate ludicra & inani: Ego tamen dico ex mente Ariſtotelis, eiuſcemodi turpitudines aut ſaltem obſcurum afferre dolorem, ac diſplicentiam, aut nullam referre gratiam, aut eſſe admodum vulgares, & tanquam res, vt ita dicam, ordinarias: oportet enim, ſi futuræ ſint ridiculæ, vt talem induant naturam, hinc neque opus eſt vnam facere contrarietatem, veluti ſufficientem ad explicandam vniuerſim materiam riſus, quemadmodum fortaſſe aliquis exiſtimaret, vt non ſola ſatis ſit turpitudo, ſed pulchritudo etiam adiungatur, illa quidem ſine dolore, hæc autem hilaris & faceta, tanquam proportione reſpondeat hæc vna contrarietas, quæ eſt circa materiam riſus iis contrarietatibus, quę in omni ſenſu, atque omni fortaſſis potentia reperitur: nam ſi pulchre & argute aliquis reſpondeat, per ſe ipſum dicat & loquatur, canat, aut tripudiet, illa quidem riſum mouent, propterea quod ſunt pulchra in ſuo genere: hoc, inquam, non eſt opus, quoniam eiuſcemodi pulchra, quæ riſum per eos alliciunt, quandam alacrem turpitudinem referunt, & inconuenientias quaſdam non vulgares ſine dolore, quas non immerito liceret appellare pulchras turpitudines, vtpote quæ non vulgares ſint, nec admodum conſuetæ, & ingenium præ ſe ferant, ſeu gratiam quandam, vtpote ſi reſponſum ſit, & modo aliquo mor-

deat

deat cum lepore, & obtundat alterius dictum reſpondendo, vt aiunt, per conſonantias, valde ridiculum erit: ſemper enim alicubi debet fundari conſiderarique talis turpitudo & indecentia citra dolorem, eodemque modo cantus cum mutationes quaſdam interponit, & vocis mutationes, gurgulationeſque varias ciet riſum, tum quia ſuſpendit animum, quem mouere facilius eſt, vt ait Ariſtoteles vigeſimanona Problematum quæſtione octaua, tum quia vt res ludicra & puerilis iocus conſideratur, habens illam pulchram turpitudinem; itaque mentem celeriter mouet, & hoc modo mouent cætera, quæ cum hoc habent affinitatem. Quod autem ſingula, per quæ riſus allicitur, poſſimus referre in eam turpitudinem elegantem, non eſt immanifeſtum, ſed numerum ſigillatim eorum, vt res ipſa poſtularet, recenſere eſt nimis arduum, & noſtra iſthęc nimis produceretur oratio, & forſitan non eſſet vtile, noſtræque tractationi conueniens, ſed Rhetori magis accommodatum, aut Poetæ, qui de Comœdia eſt tractaturus, ea tamen leuiter, & quaſi in ſuperficie, prout mea intereſſe videtur, attingam. Fit ergo in rebus inanimatis cum quadam animi reflexione ſiue collatione, cũ elegans quæpiam actio ab illis procedit, quæ animato conueniret corpori: illud enim indecens eſt ſibi, ac propterea turpitudinẽ refe-

rens ſine dolore,eoque gratior eſt turpitudo, quo ab inanimato,cum animantis eſſet,optime ſimulatur, ita etiam ſi inanimatorum figura æmuletur,ac referat figuram aliquam animalis inconcinnam, ob id ſane fieret ridicula, & in illa imitatione indecenti vtriuſque reſpectu conſiſteret turpitudo, vnde deinceps efficeretur riſus, eodem modo ſicut in rebus inanimatis, ſe haberet in plantis, aut in brutis, vt intuenti patet: In communi vero vſu verborum & rerum, ſiue actionum homines mutuo ſibi riſum alliciunt ob illam turpitudinem, quæ in ſermone, in actione, in extrinſecis, & omnino iis, quæ accidere ſolent in moribus & figura: In actionibus quidem ſi indecentiam referant eo reſpectu, qui eſt ad agentem, ad locum, ad tempus, ad modum, aut occaſionem. Porro videretur ridiculum, quantum ad primum pertinet, ſi mulier induat habitum virilem, aut accincta enſe proficiſcatur ad forum, ſi ludat, tripudiet, aut alia eiuſdem cognationis faciat: pariter ſi vir ſenex erubeſcat, & veſtiat vt iuuenis, ac miles glorioſus pileum ſcilicet plumatum geſtãs, ſi ludat troco vt puer, ſi canat, aut ſedeat cum pueris in ſchola diſcens Grãmaticam, ſi Princeps vt ruſtica gens veſtiat, aut exercitiis ſe immiſceat rudiorib. ſi ſeruis ſeruiat gnauiter, aut agreſtes homines de rebus ad Philoſophiam pertinentibus inter ſe diſſerant. Sic
ſane

ſaneratione loci multa fiunt ridicula concepta ob illud turpitudine, quæ alio in loco naturam hanc exuerent, quemadmodum ſi quis in menſa nobilium loquatur de vomitu, ac de rebus praui odoris: iis enim, quibus videretur hoc indecens & turpe, ſine dolore fieret riſus. Eodem pacto ſi in loco, vbi adſunt honeſtæ mulieres, quis inhoneſte de rebus venereis temere incipiat loqui; ſi in aliena domo quis ea faciat, quæ vix faceret in domo propria: deinde reſpectu temporis multæ obtingunt ridiculæ turpitudines, nempe ſi, quæ ad ver aut hyemem pertinent, quis faciat in æſtate, quæ ad noctem, in meridie, aut econtra, nempe ſi ad ſolſtitium æſtiuum, vel canis exortum, quis induat pelliceam veſtem: in modo autem conſideratur turpitudo, ſi quiſpiam inepte aliquid faciat, ac præter communem vſum, & conſuetudinem aliorum, vtpote ſi cum ridet, videatur plorare, & turpem oris figuram aſſumat; ſi cum loquitur, videatur ſibilare; ſi dum ſibilat, videtur canere; ſi dum orat, videtur latrare; ſi dum vult ſuadere, reprehendit, & accuſat; ſi dum vult accuſare, demulget; ſi ſemper hiat, vt prope luxentur mandibulæ; ſi inconcinno vtatur inceſſu quomodolibet facto, dummodo non afferat dolorem & diſplicentiam; ſi balbutiat, & verba nimium confundat, & permutare videatur, aut prope lacerata proferat, nec ſolum

vbi ex propoſito hæc fiunt, & ſecundum naturam, verum etiam, ac forſitan magis, ſi ex accidenti aliquo fiant, & errore, nempe ſi per lapſum linguæ tranſponat verba, & ſignificatum orationis turpiter peruertatur, vel in alium errorem incidat non loquendo ſolum, ſed in cæteris etiam actionibus, in quibus exempla afferre non eſt opus, ne longius noſtra protrahatur oratio: In occaſione vero ſumuntur ridicula in non debite vtendo, quemadmodum ſi peracto iam prælio atque certamine miles aliquis glorioſus occurrat, quaſi magna facturus, aut ſi præterita quis illaque manifeſta omnibus, nempe præteritos ventos aut pluuias vaticinetur, quemadmodum fecit ille, qui multo poſt Cometis exortum vaticinatus eſt præteritos ventos. Huc vſque igitur patuit, quomodo ex ipſo ſermone fiant ridicula propter errores tum naturales, tum etiam ignoratione, aut ex accidenti & lapſu quodam commiſſos, in eo tamen præclariſſima ridicula fiunt ad quempiam alium ſimulando, vel citra vllam ſimulationem, ioco aut ſerio dicendo, & illorum vel facetudo eſt in rebus, aut ipſis verbis, hinc narrando tantum ludicra ſeu fabulas, & dicendo alacriter fit riſus, præſertim ob ea, quæ celerem cognitionem pariunt, non difficilem, neque vulgarem, quin etiam ob id quod dicunt minime expectatum, cum mor-

dicus pungunt verba cum multo lepore & dexteritate, ac non inepte, præſertim vero ſi præter id quod ingenium referunt, & inſignem alacritatem plures offendunt ſimul, & peccatum aliquod occultum opportune & eleganter aperiant quadam dexteritate verborum, vel propter repugnantiam ſi blandiendo accuſent, aut maledicendo videantur miſereri, & laudare, ſi præcedens alterius dictum celer & ingenioſa obtundat reſponſio, quin etiam ob prauam interpretationem, ſecundum allegorias, prouerbia & metaphoras, aut ἔλλειψιν, παραβολὴν καὶ ὑπερβολὴν, atque omnino propter concinnam applicationem ludicram, præſertim ſi motuum conformitate innitatur, ob fraudem & deceptionem, aut etiam ob quendam modum inſinuationis. Hinc itaque proceſſit vſus facetiarum vtilis quidem in hac laborum & miſera vita, & quoniam ſingulæ continent aliquam turpitudinem ob errorem & defectum; propterea videretur facetia eſſe turpitudinis alicuius ſimulatio fando aut agendo: hinc enim tranſlatum eſt nomen, Ariſtoteles vero 4. Ethicorum cap. 8. inquit, facetias eſſe conuitia quædam, aut cauillos, id quod etiam videbatur innuere in libro artis poeticæ, cum diceret, non omnes facetias excipiendas eſſe in Comœdiis: ſunt enim conuitia quædam; quapropter videntur ſemper aliquem

afficere, ac propterea inquit, legumlatores nonnulla conuitia atque facetias dicere vetant, ne ſeditiones fiant in ciuitate, hinc ſcurras & importunos illos reprehendit affectantes omnino ridiculum, & magis coniectantes facere riſum, quam honeſte loqui, & non afficere eum dolore, in quem facete dicunt: ſunt etenim quidam, qui adeo à ridiculis vincuntur, vt cum ſibi videatur poſſe mouere riſum, amicos parum exiſtimant, & eorum quoque facere iacturam, honeſtatis denique & modeſtiæ frangunt iura, eoque deueniunt inſolentiæ, vt ne dum aliis, verum etiam nec ſibi ipſis parcere velint, quo faciant riſum, eos vero qui ſibi ipſis lex ſunt in ioco laudat plurimum, quemadmodum ſane eſt vir comis & vrbanus, ac deſter, quippe qui recte facetiis vtitur, cum dicat ea, quæ liberum hominem decent, atque eum qui audit, dolore non afficit, vel etiam delectat; itaque differt facetus ſimpliciter, & facetus vrbanus & co mis: nam ſimpliciter facetus eſt, qui fando potiſſimum agendoque vti loqueretur, & omnino iocando mouet riſum: illi vero vt coniungatur vrbanitas, talem oportet habitum adeptum eſſe, vt ad recte iocandum ſeſe flectere poſſit, illeque hunc medium aſſecutus habitum, ea, quæ ſolum fert audiendo videbitur facere, eiuſcemodi nonnunquam facetias Ariſtoteles ſales appellabat nomine

potius

potius formæ, & proprii caracteris: ſal enim eſt concinnitas & gratia in ſimulanda aut narranda turpitudine, & omnino in vſu facetorum, & in iocando gratia & ingenium: etenim oportet neque facetias, neque facetum hominem eſſe inſipidum, ſed huiuſmodi ſales habere per quandam tranſlationem dictos, quaſi vero ſint eorum condimenta alioqui neceſſaria, vt facetiæ huiuſmodi ridiculæ videantur: neque vero latet, in quo ſales iſti conſiſtant, ſi paulo diligentius ea, quæ ſuperius dicebamus, animaduertantur. Quibus autem vti deceat facetiis, & qualibus, ac quibus non conueniat vti, non eſt meum determinare, ſed Rhetoris aut Ethici hoc indiget elocutione. Nunc itaque ad reliquos modos accedamus, è quibus ridicula proficiſcuntur. Ab extrinſecis porro fiunt riſus & ridicula, ſi turpitudinem aliquam & inconuenientiam alacrem referant, id eſt, ſine dolore, & non vulgarem, aut è toto genere eorum quæ accidunt, vel ratione alicuius particularis conditionis, quorum exempla patent. In moribus quoque corporis atque animi latent ridicula, in quem modum referuntur quædam inconuenientiæ morum, quemadmodum turpis quoddam auaritiæ genus & actiones, timor cuiuſque rei, aut iſtorum cognata, quorum prope infinitus eſt numerus. Ac in ipſis figuris, ſi turpitudinem quandam ſine dolore

præ ſe ferant, hinc nouæ quædam formæ inconcinnæ,& pene ludibrio factę delectant,& videntur ridiculæ, pariter etiam faceta facies, & vultus hilaris, aut conceptione ludicri, & memoria, aut per conſenſum & ſympathiam, cum ridere alterum videamus. Hinc ergo fieri videtur, vt animalia tantum rationem habentia rideant, quoniam turpitudinem iſtam ipſa ſola cognoſcunt, ſub hac deinde figura titillatio riſum mouet, & tanta eſt eius potentia ad hanc actionem, vt ſubintellecta ſola & proxime imaginata ſenſum moueat, & mentem aperiat præter voluntatem,ſic etiam ludicra & ioci omnes, & inanes huiuſmodi voluptates affectum hunc proritant,& quo maior eſt turpitudo expers doloris, & maiorem gratiam refert, eo intenſiorem excitat riſum. Oportet autem diligenter animaduertere, ne dictæ turpitudines ſint admodum vulgares & conſuetæ: nam fortaſſis videri poſſent mediæ naturæ, quin etiam noſſe debemus, quod obiectum mouens riſum debet eſſe, aut ex ſe ipſo tale, aut ſaltem tale videri, imo in hoc magis poteſt exiſtimatio, quam propria illius natura: nam ſi per ſe ipſum eſſet facetum, ac turpitudinem illam præ ſe ferens, tale autem non videretur ei qui audit aut videt, idem plane eſſet, ac ſi nullo modo eſſet ridiculum; itaque nihil refert, ſi conſulto ſit factum aliquid aut dictum, aut

non

non vt tale videatur, etenim cadente aliquo, vel fugiente, aut acclamante turpiter ridemus, quoniam ſingula eorum apparent nobis ſub ſpecie turpis citra dolorem. Amplius oportet ab anima cuncta ſecerni, quæ obicem ponunt, & quæcunque nata ſunt riſum cohibere: ſecus enim nullo modo ſuccederet, ipſum enim intus exiſtens prohibet extraneum, & obſtruit, quemadmodum ſunt nonnullæ peregrinę perturbationes animi, vt ira, mœſtitia, & ſimilia. Quomodo enim fieri poteſt, vt iratus aut mœſtus rideat, niſi fortaſſe ingens fuerit ridiculorum vis, ac perturbationes illæ eſſent paulo remiſſiores? quomodo itidem cogitabundus, & aliis ſollicitudinibus occupatus? Solent etiam homines inſtante quodam habitu grauis prudentiæ & maieſtatis ab hiſce ridiculis, vtpote inanibus, abſtinere. Sed dices, quare illos non mouent ridicula? nam fortaſſe hæc ipſa tanquam faceta cognoſcunt & ludicra, illamque in rebus ipſis turpitudinem non ignorant, ſenſumque præterea & animum obtinent expeditum? Reſpondeo, quod riſus non ſolum præſupponit materiam conuenientem, verum etiam animæ debitam præparationem, & concinnitatem; itaque ſi impræparatus eſt animus, non rident: actus enim fit in patiente diſpoſito, diximus autem, riſum eſſe motionem, quæ neceſſario præſupponit mo-

tum & dilatationem ſenſus, quæ quidem fieri non poſſunt, quando ab aliis affectionibus præoccupatus eſt animus, atqui grauitatis & magnanimitatis habitus merito obſiſtit, & obicem ponit, quoniam velut onus animo inſtare videtur, quod retrahit illum ab omni re non graui & inani, tanquam puerili, neque ſatis eſt vt cognoſcant concipiantque illas turpitudines modo contemplabili, ſed concrete vt res indecentes & dignas aliqua irriſione. Oportet etiam eoſdem non eſſe quopiam humore laceſſitos, qui moleſtiam afferat, quoniam his ridicula diſplicent, mœſtitieique acceſſionem faciunt: cum enim bilis primum ſenſitiuum occupat, ille efficitur anxius, moleſtia circumplectitur, & audire non ſubſtinet: nam manifeſtum eſt, non poſſe ſimul in eodem eſſe voluptatem & dolorem. Sed tamen huc ſpectant multæ difficultates; prima quidem eſt: nam multi deſipientes de ſingulis pene rident: vel errores ſint, aut nullam referentia turpitudinem, ac nonnulli de iis, quæ vere ſunt ridicula, non rident, imo videmus, ſæpe eundem pro eodem aliquo rerum genere interdum ridere, alias vero minime, quaſi vero eadem res modo ſit ridicula, & poſtea naturam illam exuat. Præterea videre amicum non eſt res turpis, attamen ſæpiſſime ob id riſus allicitur. Prętereà nonnulli rident, cum viderint alios ridere, & nulla iis ſuppetit

mate-

materia ridendi, quoniam fortaſſis ignorant, qua ratione riderent. Amplius ſolemus audire nonnullos ſerio ratiocinantes ac diſſerentes, & cum lætemur etiam ridemus, atque etiam propter alia, quæ ſunt ſeria, & nullo pacto turpia, iucunda tamen & dilecta, vtpote ſi bonum aliquod nouum afferatur, res ſcilicet domeſticas eſſe recuperatas, litis euentum fuiſſe cum victoria, & nimia vtilitate hoſtes eſſe refractos, vel Turcas fuiſſe debellatos in certamine nauali, ſeu parentes, filios, fratres & affines fuiſſe euectos ad maximos honores & virtutum præconia, eoſque etiam eſſe in optima omnium exiſtimatione, ob illa, inquam, ridemus, & non ſunt turpia, neque errores. Præterea ridemus propter titillationem, ipſa tamen non videtur eſſe res turpis, imo eſt expers voluptatis, cum illam ſubſtinentes ægre ferant. Reſpondeo primæ difficultati, quod illis deſipientibus ſingula videntur turpia ludicra, & res quodammodo pueriles, & propterea fere de ſingulis rident falſa imaginatione deluſi, & quoniam exiſtimatio opinioque in his tantum momentum habet, propterea ſatis eſt, vt talia videantur, quo riſus procedat, hinc fit, vt eadem res alicui videatur ridicula, aliis vero non item, idemque mutata opinione pro eodem genere rerum non ſemper rideat. Sed dices, illud, quod eſt per ſe tale, eſt ſemper illo modo; ſi

fuerit igitur aliquid per ſe ipſum ridiculum, erit profecto id ſemper eiuſdem immutatæ naturæ, ſemperque mouebit riſum, quoniam præſente obiecto, & potentia non impedita, neceſſario procedit operatio, quæ ab illa facultate nata eſt fieri. Reſpondeo, quod ridiculum quemadmodum omne obiectum bifariam conſideratur, vno modo in actu, alio modo in potentia, hinc fateor, quod eſt per ſe ridiculum, ſemper eſſe tale ſaltem poteſtate, non procedit tamen operatio, niſi præſens ſit obiectum in actu: ſimul enim eſt ſenſibile in actu & ſenſu, vt inquit Ariſtoteles ſecundo libro de Anima, potiſſimum autem, quia ridiculum magis eſt in apparendo, quam ſecundum naturam. Ad ſecundam dico, ex amicorum conuentu fieri potius rictum quendam, quam riſum verum, niſi fortaſſis præſupponatur ridiculum, is autem rictus, qui ex modica oritur ſenſus dilatatione, poteſt fieri ſine turpitudine, ſed à lætitia confeſtim obtingente, plerunque etiam ob facilem quandam conſuetudinem oſtentandi lætitiam homines ridentis modo intendunt faciem, rictuque ora diducunt. Tertiæ difficultati ſatisfecit Ariſtoteles quarto Ethicorum, cum diceret illo modo, quibuſdam verborum obſcœnitas, quibuſdam potius ſubintellectio ridiculum erat, vnde colligimus manifeſte, ad riſus generationem ſatis eſſe ſubintelle-

tellectionem ridiculi, quod quidem vel præſupponere oporteat definite, aut ſaltem indefinite. Et ideo cum videmus alium ridentem, ſi præſertim illum amamus, nos imitatione quadam facili illecti, & præſuppoſitione ridiculi indefinite, ſenſuumque ſympathia confeſtim ridemus, eodem modo cauta geſtuatio cum concinnitate & dexteritate quadam, & verborum mutatio non inepta & vulgaris cum præſuppoſito obſcœno, quod eſt turpe abſque dolore facit riſum; niſi velimus etiam dicere, quod elegans ridendi forma quendam leporem & alacritatem præ ſe ferat, quamobrem ſub ratione faceti & ridiculi moueat, riſumque alliciat. Ad quintam dico, propter eas res ſerias poſſe fieri quoſdam rictus, ac modicam ſenſus dilatationem, quæ potius eſt riſus effigies, & inchoatio illius: videtur enim eſſe quædam intentio ſenſus, quaſi vigore aſſumpto, & alacritate moueatur ad faciem, vti foras erumperet. Poſtrema inſuper nullius eſt momenti, quoniam titillatio ſub figura ioci & turpitudinis mouet: nam manifeſte cognouimus, quod ipſa per ſe, vt titillatio eſt, tantum non facit riſum; quoniam nonnulla animalia titillationem ſentiunt, attamen non rident, quoniam ſub figura ioci & ludicri illam non concipiunt.

Cap.

Cap VII.

De primo corporali principio, & instrumento materiali, quo riſus efficitur.

QVONIAM inuentum eſt (vt arbitror) verum ſubiectum, & conueniens materia riſus, iam proxime accedendum erat ad explicandum modum, quo talis operatio affectioque humana efficeretur; quapropter initio hoc opus eſſe duxi, vt veſtigetur, quænam pars corporis ſit primum principium eius, ſeu primum inſtrumentum materiale. Democritus exiſtimabat, primam illam partem primumque principium eſſe lienem, reliquas autem partes eſſe inſtrumenta deinceps ſubſeruientia ad perfectam operis abſolutionem: eo nimirum argumento deſumpto, quoniam videbat, lienoſos homines & melancholia hypochondriaca laborãtes fieri ad ridendum ineptos, vtpote quod primum inſtrumentum, primumque ridendi principium non eſſet expeditum, ſed male affectum, eos autem, quibus illius viſceris natura nullo modo eſſet grauata, promptiores eſſe magiſque idoneos ad eandem affectionem. Cum itaque potentia & impotentia per hanc partem fiant, conſentaneum eſſe videtur, vt lien exiſtimetur primum principium ridendi. Attamen ipſius opinio mihi videtur abſurda: nam riſus quodam motu inſeruiente perficitur,

tur, lien autem neque moueri conſpicitur, nec motus alicuius eſt principium, videmus tamen, moueri partes illas, quę ſunt in thorace & medio ventre. Nullius præterea facultatis animæ prima ſedes ponitur, ac potiſſimum cognoſcentis & animalis; igitur non poteſt eſſe primum principium riſus: hic enim ab alacri quadam lætitia proficiſcitur: ac deinceps reſpiratione perficitur, ad quam profecto lien nullum momentum habet. Amplius cenſebat Hippocrates, ex bile & quodam phrenitidis genere fieri impotentias ridendi, ex morbis etiam ventriculi, hepatis, atque aliorum viſcerum; liceret igitur affirmare, hęc omnia eſſe principium ridendi, nec minus fortaſſe potuiſſet dicere, illam partem principem eſſe femur, aut calcaneum, vtpote quod iis laceſſitis ac præ dolore grauatis riſus intercipiatur: inculpatis autem prompte & expedite fiat, quod etiam (ni fallor) ad pecunias referre multo libentius poterat: cum enim illis egeo, nullis poſſum affici ridiculis; dum autem affluunt, omnes in me partes rident & geſtiunt. Ob id Alexander Aphrodiſeus primo ſuorum Problematum quæſtione centeſima trigeſima ſexta, meminit huius opinionis, & cauſam erroris attulit, dicebatque hoc modo: Lien non proprie ac per ſe, ſed ex accidenti riſus cauſa cenſendus eſt: quando enim eſt ſanus omnino, fæculentum

&

& melancholicum ſuccum ex iecinore trahit, atque ita dum ſanguis purus & defœcatus totum corpus cerebrumque peruadit, naturam ſimul & animam non aliter quam vinum oblectat, atque ita patet ſolutio ad rationem illam, qua vtebatur Democritus. Alii crediderunt primam partem, per quam riſus generatur, eſſe diaphragma: ipſum enim muſculus quidam eſt latus admodum prope mentem poſitus, ſenſus pollens alacritate, ad motiones agilis, reſpirationi per ſe primo ſubordinatus, tale ac tantum habens momentum ad animæ functiones, vt eam ipſam partem veteres de communi conſenſu φρένα appellarent, quaſi mentem vel mentis ſedem, ibique crediderunt phrenitides fieri atque deliria. Itaque mirum non eſt, ſi etiam riſus ab hac etiam parte primum efficiatur: nam ad celeres motiones celer eſt & expedita, cum ſit muſculus latus, ſenſuque affatim abundans, & ſpiritu, qui per illam æquabiliter eſt dilatatus: riſus enim vt dilatatio quædam eſſe cenſetur, quin etiam ſpirationis primum eſt inſtrumentum, quæ vt ſubſtantia prope apparet riſus. Hoc etiam videbatur affirmare Ariſtoteles tertio de Partibus Animalium capite decimo, & ob eam cauſam titillationem alarum mouere illam affectionem, quoniam ſeptum in ea parte alligatur, ex quo facile huius muſculi ſenſum aperit & mouet præter volun-

voluntatem, quod inſuper experimento militis, vt alias diximus, confirmauit, id quod demum patet ad ſenſum: nam pro minimo quolibet riſu ſeptum manifeſte dimouetur & retrahitur, ibique facto principio motus, cæteræ ſubinde partes, vt pulmo & faciei muſculi, dimouentur. Quoniam vero ſeptum tranſuerſum non eſt aliquo modo pars corporis princeps, nec animæ prima ſedes, aut alicuius facultatis, ideo neque videtur conſentaneum, eandem partem cenſere primum principium ridendi, potiſſimum quia riſus lætitiæ ſoboles eſt, & conueniebat, vt in ea ipſa parte, in qua vigerent lætitiæ & alacritates, ibidem quoque fierent exordia riſus, talem vero partem nemo ſtatueret eſſe diaphragma, ſed corpus ipſius cordis, quemadmodum viſum eſt Ariſtoteli, & omnibus fere naturalibus Philoſophis. Videbatur etiam conſentaneum, vt ibi à prima, vt dicunt, origine fieret riſus, per quam etiam partem alii affectus operationeſque ab affectibus prodeuntes generantur, huiuſmodi tamen non eſt ſeptum, ſed cor, in quo lætitiæ, alacritates, dolores, mœſtitiæ, timores, iræ, & illorum cognata fiunt; igitur corpus cordis eſt primum inſtrumentum corporeum, ſeu prima pars, vnde riſus efficitur, vtpote quod ipſum eſt primum ſenſitiuum, vt cenſet Ariſtoteles, omneſq; Peripatetici, & inter Medicos Eraſiſtra-

ſiſtratus, & forſitan Hippocrates Cous, ſi ipſius eſt ille liber de virginum morbis, vel ſaltem primo ſenſitiuo conſentientiſſimum, vt cenſebat Galenus. Ponendum eſt itaque, cor eſſe primam partem, primumque principium ridendi proximum, quod quidem omnes ab ipſa veritate coacti fatentur inopinate: cum enim profuſius rident, lætantur & geſtiunt, aiunt, ſe ex corde ridere, lætari & geſtire, aut in eo ridere tantum, ſi riſus in apertum non exeat, ſed per vim comprimatur. Hinc animi defectus & ſyncopes fiunt iis, qui plus æquo rident, euacuato ſcilicet nimium ex corde ſpiritu, vel ipſum trahendi facta quadam impotentia: Sed neceſſarium eſt hoc loco vti diſtinctione, quoniam aliud eſt eſſe primum principium proximum, aliud autem eſt eſſe primum inſtrumentum manifeſtatiuum, & perfectiuũ formæ. Fateor equidem, cor eſſe primum principium proximum, quod ſenſus ibi incipiat geſtire, & labatur, ſeptum autem eſſe primum inſtrumentum manifeſtatiuum, ac formæ perfectiuum; quapropter Ariſtoteles ipſum riſum quandoque aſcripſit diaphragmati, à quo incipit propriam effigiem ſumere, & ſic ſoluerentur omnes rationes ſuperius adductæ. Medici tamen, qui exiſtimant, cerebrum eſſe primum ſenſitiuum bipartito diuiderentur: nam alii cenſerent, primum principium ridendi eſſe cerebrum, in

quo

quo cum aſſideant principes animi facultates, fiunt cognitiones & voluptates ab illis inſeparabiles: hunc autem affectum fieri communem per conſenſum diaphragmati, ipſumque ob id eſſe primum inſtrumentum, quod per hanc partem formari & apparere incipiat, ac cæteris deinceps partibus ad operationem hanc ſubſeruientibus, quemadmodum ſternutatio, quæ tametſi à capite procedat, hiſce nihilominus partibus fit communis, atque per eas manifeſtatur, quoniam reſpiratio cerebri (ſi alia eſt) coniunctiſſima videtur cum reſpiratione iſtarum partium. Alii cenſerent quidem, cerebrum eſſe primam radicem & principium remotum, tum huius, tum aliorum affectuum & operationum, quæ ab illis prouениunt, illos tamen in corde potiſſimum vigere, quod ſenſus eius partis vegetior eſt & coniunctus parti animoſæ, ac vitali, cum multo calore & ſpiritu, quorum ſententia mihi magis videtur conſentanea vero, etſi melius ſuccederet, ſi, quemadmodum cenſet Ariſtoteles & Hippocrates, faciant cor eſſe totius animæ principium, operumque ab illis prodeuntium, quemadmodum verecundia videtur ab ipſo manifeſte dependere.

CAP. VIII.

Quomodo generetur riſus.

ARISTOTELES aggreſſus eſt huius quæſtionis explicationem trigeſima quinta ſectione Problematum quæſtione octaua, & plane inquit, riſum eſſe quandam celerem emiſſionem ſpiritus ſimilem ſternutationi, cum propter lætitiam redundaret, corde nimirum, ac præcordiis vna geſtientibus: ait enim, lætitia geſtiens concalefactio quædam eſt, ſpiritum autem cum redundarit, foras emittimus vniuerſum, & ſternutamenti ratio eadem eſt, ſupponit ibi Philoſophus ridentem lætitia geſtire: ex hoc autem deinceps fieri in illis partibus internis calorem; nam lætitia geſtiens concalefactio quædam eſt, idque vel minuta agitatione ſpiritus in ſe ipſo facta, vel totius primi ſenſitiui vna cum ſpiritu, & calore proprio, ſuſpenſa præſertim ſpiratione, vt ſubinde vtraque ratione acceſſio fiat ad calorem, concluſio ſpiritus, & propenſio ad motum, ex eo deinceps calore ſoluitur humor in vaporem, & ſpiritus, cum redundarit tum hoc, tum illo etiam, quod ſpiratio eſt intercepta, foras illum emittimus vniuerſim, quemadmodum etiam fit ſternutatio: calefacto enim cerebro, ac venulis ipſius, ſoluitur humor in vaporem, qui cum redundet, excernitur affatim; itaque videtur exiſtimare, hanc ſpiritus vbertatem fieri propter vim caloris ob intrinſecam voluptatem, hilaremque affectum concepti: cum vero ſpiritum

hunc conentur emittere, non eſſe aliam viam præter motum ſpirationis; quamobrem ſtatim ſeptum contrahitur, & pulmones ſuccuſſantur ſuſcipientes eandem motionis ſpeciem à diaphragmate. Hinc prætercea fit retractio muſculorum, qui mouent buccas, quippe qui & ratione officii, & conſortii neruorum, qui à ſexto pari deſcendunt, magnam cum hiſce thoracis partibus habent affinitatem, & videntur ſimul tum conari, tum parare viam, vel quia, ne ſpiritus ferme totus eructet, laryngis muſculi vehementer nituntur contractione, qui quidem ſi contrahantur, neceſſe eſt etiam contrahi buccarum muſculos, quemadmodum experimento patet, ac dicebamus illis fieri, qui Sardorum rhanunculo veſcuntur: eſt enim rhanunculi quoddam genus apud Sardos copioſiſſimum ſecus aquas exoriens, nimium mordax, quæ ſi comedatur, veſcentibus neruos contrahit, rictuque ora diducit, quoniam laryngis muſculos ſua mordacitate ſtatim conuellit; & per conſenſum retrahuntur etiam muſculi pertinentes ad buccas, vt qui mortem oppetunt, veluti ridentium facie intereant, propter quam profecto analogiam riſus omnes eiuſmodi figuræ Sardonici appellantur. Ego tamen arbitror, ibi locutum eſſe Ariſtotelem ex mente aliorum, aut illud Problema fuiſſe ab aliis additum: nam reliqua tametſi

poſſent probari, illud tamen abſurdum videtur, vt virtute caloris ſoluatur humor in vaporem, & cum redundaret foras excerneretur, ſiquidem calefactio eſt alteratio quędam, & non poteſt ſubito fieri: riſus autem vt plurimum confeſtim efficitur; ac forſitan opus eſſet ſepto, aut corde inflammationem patiente inſigniores effici riſus. Neque etiam videri poteſt, vt riſus ſit communis quædam retractio partium verſus principium animæ, in quo lætitia ipſa viget: volunt enim contrahi & coadunari in locum illum; quapropter faciei retrahuntur muſculi gutturis & ſeptum ad cor. Hoc enim abſurdum eſt; quoniam eadem fere ſpecies motus efficitur in fletu, quod quidem fieri non deberet: nam dolor potius repellit; quin etiam videmus potius impetum fieri ab intrinſeco foras: nam ſæpe inchoato riſu in partibus illis penitioribus cohibetur quaſi truncatus in medio, nec explicatur in facie. Ob id Ariſtoteles trigeſima quinta ſectione Problematum quæſtione ſexta dicebat, riſum eſſe lapſum quendam & fraudationem, eo quod ſpiritus ex ipſo corde labatur, & erumpat alacriter geſtiens lætitia ob inane ridiculum per ipſa precordia: ſic enim, illo allabente, atque impetum faciente, neceſſario ſeptum impellitur ad motum: nam etiam illius ſpiritus vna dimouetur, facitque impetum, vt tandem pars

illa

illa moueatur, & vibrantis modo ſuccuſſetur, aut ſaltem intendatur. Itaque facto illo apparatu, ac turgentia illius partis ad motum fit aeris, quem dicunt ſpiritum, celer excretio, & quo maior eſt lapſus, eo etiam inſignior riſus, hinc fit, vt qui partes has alacriores habent, ſenſuque præditas inſolentiore, illumque magis mobilem & ſeriis minus affixum, minorique grauitate donatum, longe magis ſint, cæteris paribus, ad ridendum procliues, atque adeo non immerito ceſſit illud prouerbium, quod nimius riſus eſt argumentum deſipientiæ: prudentes autem & viri grauiores ob rationes contrarias minus rident, quia ſeriis plus ſtudent, & ipſum animum, atque cor habent magis affixum, immotumque habent illum, humoreque moleſto laceſſitum, tum ſenſoria prima, parteſque omnes quaſi inflexibiles & ad omnes celeres motiones ineptas, ſed pigerrimas quidem illas, & veluti onere preſſas: at prudentiorem animum & negotio contemplatiuo, rebuſque ſeriis ſolitum incumbere, & in iſtis habituatum difficilius eſt ridiculis dimouere, & exturbare turpiter ridendo: nam ridicula inania ſunt & puerilia quædam. Sed quare labatur ſpiritus, vel partes ipſæ ſpiritales conceptione ridiculi, nequaquam declarauit Ariſtoteles, poſſumus tamen huic ſatisfacere, quod ſpiritus aut partes ſpiritales conceptione ridiculi non poſ-

ſunt ſe continere ni geſtiant, & modo quodam turgeant; itaque tum labendo intenduntur, & ſecedunt, tum ſpiritus illa ratione foras confertim excernitur. Huc poſſumus referre, quod ipſius ridiculi conceptione fit quædam alacris & concluſa agitatio ſpiritus, vt perinde partes illæ ſpiritales talem motum ſuſcipiant, & motu quodam vellicate contrahantur, aut vibrentur, dum cauſa magis imprimit, cum autem pruriantur, & hilari quodam modo titillationi non abſimili moueantur, neceſſarium eſt, vt partes aliæ conſenſum illis habentes conuellantur, vnde videmus, fieri illam contractionem in muſculis totius pectoris, ilium gutturis, & faciei: ſuccedit autem quandoque motus & gurgulatio tum aggregatione ſpiritus, tum ſoluto partium motu propter impotentiam ſubſtinendi pruriginem & turgentiam, à ridiculo concitatam, quemadmodum videmus fieri titillationem ſub alas, & motum huic ſimilem. At vero in tertio de Partibus Animalium capite decimo dicebat, riſum eſſe ſenſus dilatationem: noſtis enim, quod intima pars animæ noſtræ intus aſſiſtens cognitioni in ipſo primo ſenſitiuo, quod eſt cor, vt cenſet Ariſtoteles, lætitias & dolores primo ſuſcipit, & ab illis afficitur ac mouetur. Sed qualis ſit, & quomodo fiat hæc dilatatio ſenſus, non ſatis eſt manifeſtum: ſenſus enim non eſt corpus,

cum

cum alioqui dilatatio ſit proprietas eius, fortaſſis decet exiſtimare, illum ratione corporis dilatari, vtpote ſpiritus in quo eſt, & cordis in quo primo viget, ita vt cor dilatetur, ac ſpiritus emittantur per præcordia: ſeptum vero ob id contrahitur, tum quia ad cordis dilatationes hunc motum ſuſcipit, tum vt contra enitatur in hunc ſenſus & ſpiritus motum, ne cum magno vitæ diſcrimine vacuetur & euaneſcat, aut quia ſic niti oportet has partes ob robur faciendæ motionis, quæ inſtat. Hinc etiam connituntur muſculi totius gutturis, & faciei, quippe qui laryngis muſculis adeo conſentiunt, vt niſi ſimul iſti contrahantur, illi nequaquam contrahi poſſint: gurgulatio autem fit aucta neceſſitate, & motu illarum partium, quoniam hunc eundem motum ſuſcipit pulmo, & ſuccuſſatur: cum etenim ſeptum contractionem ſubſtinere conetur, & motus irruat, efficitur motus minutus velut in medio fractus, vnde procedit gurgulatio, quemadmodum ſi fiſtulam aeris plenam manu contrectes, fit inde ſonitus gurgulanti & cachinno ſimilis: cachinnus enim eſt riſus cum gurgulatione: ſed quoniam non eſt valde manifeſtum, ſi cor in hoc affectu dilatatur, ob id potius dicerem, riſum eſſe dilatationem, hoc eſt, impetum quendam celerem emiſſionemque ſenſus & ſpiritus æquabiliter vſque ad faciem, ad quam partem ſen-

ſus aſpirat, & animus: ita namque videtur ſe ipſum declaraſſe Ariſtoteles trigeſima quinta ſectione Problematum quæſtione decima quinta, dum cauſam veſtigaret; quamobrem ridentes flentibus ipſis vocem edant grauiorem. Ait enim hoc modo: an qui flent, intendendo contrahendoque os vociferantur, vnde propere aer interior corpore ipſo intento mouetur, cumque per os anguſtum tranſeat, ferri velocius poteſt, qui vero rident è contrario emiſſo corpore, hianteque ore rident. Cum igitur ob eam rem late tardeque profundant aerem, merito vocem edunt grauiorem, quibus apertiſſime ſignificauit, ridenti fieri quandam emiſſionem corporis ſeu ſpiritus, inchoatam ſcilicet ab interna parte ventris medii, vbi ſedet animoſa facultas: deſinentem vero vſque ad extremum faciei, quoniam pars illa eſt ſenſus emunctoria, per quam animus noſter recipit redditque affectus, cum per eam partem ſentiat, ſibique credita ſint ſenſoria; quapropter ad eam totus ſenſus totuſque inſuper animus conſpirat; hinc ergo procedit æquabilis emiſſio intentioque ſenſus in facie, velut foras prominens, hinc aer confeſtim excernitur, hinc ſeptum contrahitur, & muſculi faciei, quoniam æquabilis emiſſio cùm ſenſus alacritate pertingens ad ſenſum faciei non poteſt fieri citra retractionem illorum lacertorum, & ſi

remiſ-

remiſſior eſt actio, fit ſola retractio illarum partium, ſed vbi ridiculum vehementius imprimit, hic motus repetit, & ſenſus magis ſoluitur; itaque interponitur gurgulatio cum ſuccuſſatione pulmonis & ſepti. Cęterum cur illa efficiatur emiſſio conceptione ridiculi, cauſa eſt multiplex: etenim voluptas per ſe ipſam nata eſt facere dilatationem, cumque etiam lætitia geſtiat, motum ſubſtinere non poteſt; itaque ſoluatur motus earum partium neceſſe eſt, quaſi prurigine ſint vellicatæ, & fit aeris emiſſio celer: tum etiam quia ridicula inania quædam ſunt, vnde nec animum quietant, nec firmam requirunt applicationem; quo fit, vt foras ſecedat: at feriæ voluptates non generant riſum; nam talia bona & iucunda nolunt motum, ſed fixionem, & permanentem animi applicationem, accedit etiam ſpiritus geſtitio, & partium illarum principum, atque aeris reſpirati agitatio contentioque: ſic enim excernitur confeſtim; quapropter non erit aliud, præterquam impetus quidam celer, emiſſioque aeris & ſpiritalium, vt ſentientium partium ad exteriora propter inanem voluptatem ridiculi, ac potiſſimum ad faciem, ad quam fit aſpiratio ſenſus & animoſæ partis, & geſtiunt adeo vna cum ſenſu, vt prope ad exteriora procumbant, neque tamen iſti modi inter ſe pugnant: nam ſi vario modo accipiatur riſus & affectus, motionesque

que ſinguli inter ſe congruunt, vt diligentius intuenti fiet manifeſtum. At neque ſuperuacuum erit, ſi dixerimus, quod riſus eſt lapſus ſenſus, emiſſioque ob voluptatem, hilaremque irriſionem turpitudinis: ſatis enim eſt conſpicuum, quod vtrumque illorum fiat in riſu voluptas ſcilicet & irriſio: nam propterea mouemur quaſi irridendo alacriter turpitudinem, quippe quæ poſita eſt eſſe materia riſus, & quoniam illa non poteſt fieri citra conatum,& fit æquabiliter reſpondens vſque ad faciem,in qua ſenſus propter ſenſoria plurimum viget; propterea fit illa retractio, & ſi ridiculum vehementius mouet, fit etiam gurgulatio tremuluſque cachinnus: interdum [illegible]ro fiunt quædam leues ſolutiones; & lapſus ſenſus ob ſerias voluptates, præſertim celeres, & lepore quodam obtingentes: ſunt enim oblectamenta quædam, in quibus animus quodam pacto recreatur, ſed exigui tantummodo ac perobſcuri rictus erunt quaſi riſus imago, quales etiam ex ſola conſuetudine, dum gaudemus, efficiuntur, & nunquam clari ac numeris abſoluti.

DE

DE FLETV OPVS TERTIVM.

CAPVT I.

An plorare ſit proprium hominis, & per quam animæ partem efficiatur & obtingat.

CVm hactenus de riſu, qui à voluptate proficiſcitur, tractatum eſſet, videbatur iam conſentaneum, & noſtro muneri neceſſarium, vt de fletu, qui dolorum eſt ſoboles, theoriam faceremus: nam diminute admodum ſcire ac docere videntur illi, qui ſuſcepta ridendi materia alteram huic familiariſſime coniunctam, quæ de fletu eſt, temere dimittũt, vel illa ſaltem ratione, quod ab omnibus deſideratur, ipſumque opus (ni fallor) eſt naturæ noſtræ familiariſſimum: fletus enim tanta familiaritate humano generi eſt coniunctus, vt ortus noſtri primitias in cunctis excipiat: multa tamen hic ſatius eſt ꝑtermittere tãquam vberrime declarata & expoſita in præcedenti tractatione: quędam autem neceſſariũ eſt in examen ponere, & quoad fieri poterit declarare, illudque in primis, ſi fletus eſt proprius homini, & in quam partem animæ ſit referendus. Quibuſdam enim vide-

videtur ploratum eſſe ſecundam operationem perfecti ſenſus procedentem ab illius dolore, ipſum tamen eſſe proprium homini, quoniam ſenſus humanus concretus, implicituſque ſuis inſtrumentis ac partibus, præſertim primis quadam propria ſubſtantia præditis, propriaque figura, & coalterna analogia nonnullas habeat promptitudines, & naturales potentias ſibi ſoli accommodatas, operationeſque itidem multas, prope dixerim ſecundas, vtpote à cognitionibus & affectibus ipſis tanquam primis prodeuntes, qualis mehercle eſt fletus, de quo eſt noſtra hæc inſtitutio, vt exinde poſſint homines virtute proprii ſenſus, & propriarum partium concinnitate ad plorandum ſe ipſos accommodare ſine vlla diſciplina, cum naturale opus ſit, eiuſque habitus ſecundum naturam connaſcatur: quod enim referatur ad ſenſum, illiuſque proprie ſit operatio ſecunda, manifeſtum eſt, quoniam videmus, pueros cumprimum in lucem hanc prodierint flere, quoniam emerſi ex loco tepidiore contrariam ambientis qualitatem ægre ferunt, & dolore afficiuntur, illo tamen tempore ipſorum intellectus pene obrutus iacet iners & ſtupidus, vt neque rationes adhibeat, nec vllo pacto intelligat; quamobrem fatentur Peripatetici, pueris nequaquam adeſſe intellectum quantum ad operationem: ſic enim poſterius

aduenit, ac per id tempus brutalem vitam ducunt, quippe qui ſolo vtantur ſenſu, & ſecundum illum viuant, quemadmodum brutæ animantes. Ob hæc igitur videtur fletus eſſe opus duntaxat ſenſus, nullo etiam ad ipſum prębente vſum intellectu: Id etiam confirmatur; quoniam per ſe pendere videtur ab illis acerbiſſimis doloribus tactus, & natura huius finis gratia viſa eſt illum gratis dediſſe; cum igitur è ſenſuum dolore exoriatur, manifeſtum eſt, reddendum eſſe ſibi, nec oportet aſſumptum probare: nam ſingulis patet, non eſſe exiguos illos fletus, quos hominibus affert triſtis ſenſatio tactus. Aliis autem viſum eſt, ploratum eſſe communem homini & multis aliis animalibus perfectis, quæ reſpirationem obtinuerunt ad tutelam caloris: nam motu hoc perfici, & inſtrumentis ad eum inſeruientibus videtur abſolui, exceptis etiam nonnullis eorum, quæ propter naturæ imperfectionem, & inſtrumentorum ineptitudinem, aut metum, vel alium quempiam affectum vehementem plorare non poſſunt: ipſoſque homines nunquam flere virtute intellectus ob ea, quæ ad illum pertinent, niſi affectus communicetur ſenſui, qui natus eſt intime corpus, & corporea inſtrumenta mouere, ac tales ſuſcipere affectiones, quæ à natura intellectus videntur extraneæ, cum ſit prope diuina pars ipſius animæ: illum vero

non

non eſſe traditum omnibus, quibus conuenit in eadem ratione, eodemq; modo, quantum ad operis actum propter diuerſitatem corporis & inſtrumentorum quoad figuram, compoſitionem, naturam & mutuam analogiam; quamobrem neque etiam voces inter ſe conueniunt, vt propterea ſicut metrum & menſura conſtituatur fletus humanus, quippe qui magis eſt exactus, numeriſque omnibus per ſe ipſum abſolutus, aliorum veró magis obſcurus, minuſque perfectus eſſe videtur, ac propterea dicunt, alios exiſtimaſſe, ploratum duntaxat eſſe illum, qui familiaris eſt homini. Ac certe ſi ploratus non eſt aliud præterquam à dolore facta perturbatio in anima, aut lapſus ſenſus ab eodem propter impotentiam ſubſtinendi, dubio procul videretur cunctis perfectis animalibus conuenire, poſtquam ſingula iſtorum in illis præ doloribus fiunt, & motionibus potiſſimum ſenſus primarii afficiuntur. Nonne in illis apparent quotidie motus & affectus huiuſmodi cum vociferatione clangoſa non dimittente? Ac ſi natura ob vitæ neceſſitatem repenſum hoc flendi dedit, videbatur neceſſarium cunctis animalibus perfectioribus, quorum habenda erat maior ſollicitudo, ipſumque ſenſui credendum erat, cui magis immediate ac proxime tradita erat cuſtodia vitæ, illique inter ſenſus potiſſimum, qui

qui-

quidem eſt vitæ magis affinis, quemadmodum eſt tactus, ob id vitæ ſenſus nuncupatus ab Ariſtotele. Ac ſi cætera intueamur animalia, nonnulla ſane conſpiciemus habere ploratum humano ſimillimum, vt pudeat negare illum eſſe fletum: cum enim cædantur, aut aliter doleant, egeantque, in luctum & voces erumpunt valde querulas, quemadmodum pſittaci, turtures, columbæ & aues quædã nocturnę, & quidam inſuper canes, vt quandoque illas gurgulationes non dimittant, & clamoſas voces repetentes, & quandoque aiunt, complura illorum in lachrymas prorupiſſe, vt propterea vere ac numeris abſolutiſſimi ploratus viderentur. Ego tamen arbitror, vtrumque abſurdum eſſe, illud quidem in primis, quod fletus ſit opus & paſſio communis homini, ac multis alijs animalibus, ac deinde alterum, quod fletus ſit affectio ſolius ſenſus per eius duntaxat virtutem obtingens. Quod enim ad primum attinet, manifeſtum eſt, quoniam riſus & fletus aut ratione contrarietatis, aut ratione cuiuſdam familiaritatis in modo motus, & lapſu partium ex neceſſitate debent eſſe in eodem: dicebat enim Ariſtoteles in libro de Somno, in eodem eſſe ſomnum & vigiliam cum ſint oppoſiti: ſed riſus (vt antea demonſtrauimus) eſt proprius homini; ergo fletus non egreditur humanã ſpeciem. Præterea ꝓprietas ploratus

eſt lachrymarum effuſio, ſed nullum aliorum profundit lachrymas; nullum igitur plorat, neque ipſos decet reſpondere, quod homo lachrymas ſolum profundat, quia cerebrum habeat ratione totius corporis maximum, illudque laxum & valde humidum, vt ſtillare facilius, & humorem hunc poſſit oculo ſubminiſtrare: hoc enim abſurdum eſt, nam vidi ex oculo equino quodam acri conſperſo puluere tam inſigne factum eſſe lachrymarum profluuium, vt prope fons ſcaturientis aquæ videretur. Quamobrem ſi lachrymarum materia ipſis non deeſt, mirum profecto eſſet, ſi plorarent, cur lachrymas etiam gemendo non effunderent, id vero non fit, quoniam vacant illa intrinſeca paſſione vſque ad animum pertingente; itaque non efficitur illius ſuſpenſio triſtis, & moleſta contentio cum ſpiritus attritione; neque retracta emiſſio ſenſus doloroſa. Præterea qui flendi facultatem habet, potiſſimum plorat ob illa, quæ ſunt in primo gradu rerum flebilium, ſed animalia bruta ob illa nequaquam plorant, nempe ſi videant parentes, filios aut cognatos defunctos, vel etiam ſi præceps eat Vniuerſum, nullo, inquam, modo ab iſtis dimouentur, nec vlla ipſis efficitur commiſeratio, niſi fortaſſe naturalis exiſtat, velut habitus connatus: neque illud refert, quod pueri, tametſi plorent, illorum non concipiant

com-

commiſerationem, nec etiam lugeant, ſed è rebus tantum dolorem afferentibus ſenſui ſecundum ſingulas ipſius facultates: nam paulo poſt vbi adoleuerint, incipiunt miſereri, & illorum cauſa magis plorare: cætera vero quamuis ſeneſcant, nunquam pro rebus iſtis miſerrimis plorant; igitur fletus eſt functio, operatioque hominum propria. Hinc ego etiam arbitror, nequaquam aſcribendum eſſe ſoli ſenſui, vt ſenſus eſt: quemadmodum enim riſus non eſt functio illius duntaxat facultatis per ſe, ſed eius prout coniungitur intellectui, & intellectus prout coniungitur ſenſui, aut animæ rationalis prout vtramque obtinet facultatem: nam neque intellectus ſolus, neque ſenſus ab illo ſegregatus idoneus eſſet huic muneri. Eodem modo ploratus ab vtraque procedit facultate, & eſt vnius cum altera: nam nulli dubium eſt, quandoque initium ſumere ab intellectu, interdum autem ab ipſo ſenſu, cum è rebus ſenſibilibus atque intellectis, & vtriuſque dolore proficiſcatur pariter. Atqui videbatur neceſſarium hoc: nam quemadmodum à natura traditum erat homini quoddam principium proprium ad oſtendendas proprias quaſdam voluptates; illud, inquam, propter quod ridemus, eadem ratione ad indicandos proprios dolores videbatur eſſe neceſſarium, & certe ſi pro eodem, quemadmodum cenſet Ariſtoteles ſe-

cundo Ethicorum, poteſt ſenſus & intellectus dolere, ſicut etiam affici voluptate, conſentaneum erat, eſſe quandam propriam functionem, ſeu motum & perturbationem ab illo proficiſcentem, atque hæc meo iudicio eſt fletus, idemq; ſequetur, ſi cum eadem ſit anima dolens, aut gaudens rationis particeps, ſenſu ſimul & intellectu prædita: patitur enim quaſdam intrinſecas dolorum reuocationes, præſertim ad caput; quapropter fit magis retractus lapſus & emiſſio ſenſus velut impedita. Nam ſicut hic animus eſt melioris conditionis & cognitionis profundioris particeps, ita in hiſce doloribus ſpiritus magis mouetur ad partem anteriorem capitis, quæ vergit ad faciem, vnde procedit fletus propter laborem, quem ſubſtinet idem animus ob vim doloris. Arbitror tamen, potiſſimam erroris cauſam fuiſſe terminorum ignorationem: ab his enim quaſi modicus in principiis error factus eſt, deinde ſummus in fine; nam ſi ſcirent, quid ſit proprie fletus, & qualem habeat generationem, certe ab hac puerili deſiſterent opinione: alia namque res eſt fletus ab ipſo gemitu, aut clamoſa voce: fletus enim remiſſio quædam eſt cum profluuio lachrymarum, at gemitus eſt acclamatio querula lamentatioque ob ſenſum doloris citra effuſionem lachrymarum, huiuſmodi ſunt illæ ægrotantium voces clamoſæ earum quæ

ſunt

ſunt in anima paſſionum notæ, talis etiam eſt triſtis acclamatio dolorum, index aliorum animantium, non autem fletus, vt illi perperam exiſtimabant, nihilominus verum eſt, quod ipſorum gemitus analogiam quandam habet cum vero humano fletu, ſiquidem vterque tum à dolore exoritur, tum etiam ad auertenda vitę incommoda ſubſtituitur. Differunt autem illo potiſſimum, quod gemitus ad indicandos primum dolores ſenſuum eſt inſtitutus, quemadmodum etiam ſimplices illæ voces, quæ emittuntur ob doloris acerbitatem: fletus vero ad animi potius dolores eſt ordinatus, & quemadmodum antea dicebam, fletus requirit illam profundam reuocationem animi in ſe ipſum, & quoniam cogitatio retrahit ac detinet; propterea fit motus retractior, & ad cerebrum aſpiratio maior, atque homini fit quædam remiſſio proiectioque totius animi, quæ quidem aliis animalibus non efficitur, vt intuenti patebit, ſi diligenter iſta conſideret. Cum autem arguerent, quod pueri vacant intellectu quantum ad operationem illius, & nihilominus plorant, reſpondeo, quod pueri nuper nati haud verum obtinent fletum, ſed vagor aut vagitus appellatur; propterea quod vel lachrymarum eſt expers, aut illas vagitus habet exiguas, arbitror equidem propter imperfectionem totius corporis tãquam inepti

inſtrumenti ad perfectas actiones præſtantiſſimæ formæ, qualis eſt anima humana ferme diuina parte inſignita. Et quamuis neque obſcuras eorum mens haberet actiones ſub id tempus, ſatis tamen eſſet, vt eius præſentia foueret & illuſtraret potentiam ſenſus: is enim illo modo vigoratus idoneus efficitur ad iſtas motiones, & triſtes affectus: ſatis etiam videri poſſet, ſi rationali per ſe animæ aſſcribatur, non modo ſenſum, verum etiam intellectum obtinenti. Nam etſi ſenſuum dolores moueant, ipſa tamen ſuſcipit affectum hunc, quia ſimul habet intellectum, & longe propter illum perfectior eſt omni anima cæterorum animalium; itaque ploratus per eam fit, qui per vim aliarum fieri non poteſt. Hinc etiam diluitur ſecunda dubitatio, quoniam fatemur, obtingere fletum propter dolores ſenſuum, eos tamen non eſſe per ſe ipſos ſatis ad hanc actionem, niſi vel cooperante intellectu, vel ipſo ſenſui præbente lumen, & vigorem melioris generis miniſtrante, vel prout eſt pars animæ rationalis obtinentis etiam intellectum, cuius eſt denique affectum hunc ſuſcipere, & motibus his affici primum. Quidam vero auſi ſunt dicere, ſenſum humanum eſſe deinceps etiam intelligentem, & per ſe ſolum auctorem immediatum cunctorum affectuum & humanarum actionum, ſed hoc falſum eſt, quemadmodum alias declaraui.

Alio-

Aliorum denique difficultates longe facilius diſſoluuntur: nam ille, quem putant eſſe ploratum, non eſt profectò, ſed gemitus tantum, quamuis fieri poteſt, vt ſimilitudine quadam vocis videatur fletus, imo ſunt quædam aues nocturnæ, quarum voces quotidianæ, illiſque familiares ploratum & ſuſpirioſum fletum referunt, vt propterea eos, qui audiunt, mœrore afficiant ſub triſtis alicuius imagine. Illud etiam abſurdum eſt, & antiqua fabula, quod lachrymas gemendo profuderint, aut ſi ita eſt, fluor erat potius redundantis pituitæ ſanieique, vel alio quopiam affectu coniunctò, irritatæ ſcilicet ex ira, vel indignatione furenti: ſæpe etiam pſittaci, propterea quod habent linguam paulo craſſiorem & latam, ac guttur etiam & palatum debito modo concauum, cęteraque inſtrumenta vocis recte accommodata, ſuntque ad diſciplinam magis idonei, tum partium illo apparatu, tum proprii ſenſus perfectione, ob id, inquam, ſæpe videntur humanum fletum ſimulare, & forſitan maiora facere, ſed vere ſimulatio tantum eſt: neque enim conueniens præcedit affectus præparatioque, nec lachrymas ſimulando gemendoque dolentes effundunt.

CAPVT II.

De ſubiecto & materia fletus.

CVM animaduerterem, pueros, quorum animus eſt magis expers aliorum affe-ctuum moris, minus ob grauitatem aut prudentiam retrahi, & ob ſingulos dolores flere, ſuſpicabar omnibus videri, quod dolor ſeu dolorificum eſſet ſubiectum, & materia fletus, quomodolibet vel ſenſu hominis rationali (vt ita dicam) aut intellectu percipiatur, dummodo non ſit dolor admodum leuis, ac pene inſenſibilis: oportet enim ipſum eſſe aut ſua natura grauiorem, aut ſaltem illo modo exiſtimari, quales profecto nonnulli, tametſi leuiores ſint, eis apparent, vtpote minus perfectis, aut propter immaturitatem & conſuetudinem è tota ſpecie minus confidentibus, & viuendi per ſe ipſos omnino ignaris, quaſi vero poſt firmiore facta ipſorum natura, tum etiam illo, quod viuendi conſuetudine & experimento multarum rerum magis confidunt, ac tandem prudentiores euadunt, timorem illum puerilem exuunt, ac meliorem induunt conditionem viuendi; quamobrem poſt illas priores ætates non omnis dolor excitat fletum, ſed grauiſſimi quidam ſenſus aut mentis, ac potiſſimum illæ calamitates, & miſerrimi caſus, cum aut excidia quædam ante oculos ponunt, aut vita ipſis videtur coniungi cum extrema miſeria; ac propterea fœtus humanos ſtatim exortos plorare, ridere autem poſtea, quoniam ſub-

ſubiectum fletus eſt dolor, qui per ſenſum tantummodo fieri poteſt; riſus autem fit ex illa turpitudine, quæ non tam cito cognoſcitur ab intellectu, ac multo poſt illos erubeſcere, quoniam difficilius eſt poſſe animaduertere cauſam verecundiæ. At vero cum fletus non aſcribatur ſenſui, vt ſenſus eſt, ſed potius vt eſt talis, nempe vt ſenſus hominis, qui eſt rationis particeps, ſiue vt coniunctus eſt familiariter cum intellectu, cuius ſplendor ſubſtantiæ ipſum fouet & vigorat, vel vt eſt pars rationalis animæ non ipſum modo, ſed intellectum quoque habentis, cuius primum ſunt omnes humanæ actiones, per ſenſum ſcilicet aut intellectum ſuſcipiendo agendoque; propterea ſequitur, vt ſenſuum iſti dolores homini duntaxat fletum alliciant, non itidem aliis animantibus rationis expertibus. Videtur profecto hæc prima ſententia nimis vera, & ſenſatæ rationi conſentanea, imo videbatur illo modo à natura faciendum eſſe ob finis neceſſitatem, quoniam ſeruare cupiens animal, debebat potiſſimum illi præbere facultatem cognoſcendi quamprimum obnoxios dolores, potius quam ridicula, & proprium ſubinde modum acclamandi, dum illos cognoſceret, qualis ab omnibus cenſetur fletus. Nihilominus videretur, non eſſe deſumendā materiā fletus, niſi ab illis, qui recte ſe habeant, &, ſicut oportet,

exiſtant diſpoſiti: nam dulce quale ſit aut amarum, non eſt cognoſcendum iudicio febricitantis ex bile: nam huic ſingula, quamuis dulciſſima, viderentur amara. Similiter deſipienti ſingula videri ſolent ridicula, quamuis triſtia ſint ex ſua natura, & dolorem alioqui poſſint afferre. Non igitur erat accipienda conueniens materia fletus, & proxima ab ipſo puero, qui eſt imperfectus; non ab inualido, ſicut eſt fœmina; non ex oblæſo, vt deſipiens & melancholicus; ſed à perfecto viro, quamuis fœmina, puer & deſipiens, ſinguli ſub ſpecie proprii & conuenientis ſubiecti plorant, quemadmodum etiam ſtulti rident preſuppoſito ſemper ridiculo, vt dicebam ſuperius. Cum itaque vel modica facta temporum ſucceſſione, & permutata ætate alii dolores fletum moueant, alii vero non; propterea querenda eſt illa forma, ꝓpter quã ſingula fletum alliciãt. Propterea viſum eſt aliis, dolorifica obiecta, vt dolorifica ſunt, ciere tãtum gemitus & ſimplices quaſdam acclamationes: eadem vero ſub ſpecie alicuius miſerię concepta ciere fletum, non theorice quidem illam concipiendo, aut in abſtracto, ſed practice, vt ita dicam, & concrete, vel ſaltem obſcure: indicio etenim eſt, quod ſæpe ſedatis doloribus tactus aduenit fletus, eaque leuiſſimis quibuſdam dolorificis coniuncta, vel ſola reflexione intellectus per conſenſum alio-

rum

rum inſignes excitat fletus, ac ſi fuerit quiſpiam aut vere miſer effectus, vel falſa quadam imaginatione deceptus, vt accidit melancholicis, cum proiectum remiſſumque habeant animum pro exiguo dolore, & rebus quam minimum triſtibus plorant, quoniam aſſidue refouetur refricaturque per illas exiſtimatio miſeriæ, & modica additione facta ſemper videtur eis fieri miſerabiliores, ac pueros ob id ipſum frequentius flere, quoniam confuſe ſe exiſtimant eſſe miſerrimos, vtpote nimium paſſibiles, & propter inertiam diffidentes per ſe ipſos viuere, eoque magis, quo animum habent & naturam præſtantiorem: corpus autem ſatis infirmum, immaturum & inualidum, tanquam inſtrumentum ineptum ad actiones illius meliores. Quapropter magis timent dolentque, & quemadmodum nimis egent, fletum oportebat illos habere familiariſſimum, vt vicem loquelæ ſubiret: ſic enim plorando gemendoque, ſicut loquerentur, proprios dolores & cupiditates indicant, parentes ſollicitant, quibus impendet cura ſuæ vitæ, & flendo petere videntur, vt ſubinde, quæ nimis cupiunt, aſſequantur; & quemadmodum ſæpe hæc accidunt, ita illis ſæpe efficitur fletus: nam indiga per ſe vita in immaturo corpore, quod etſi habeat animam præſtantiſſimam: iners tamen eſt, ſibique ipſi nullo modo ſufficiens; miſerrima hæc eſſe vide-

tur, & modica huic facta doloris additione, quaſi refricata miſeria, fletus exoritur. Sed iſta (vt arbitror) ſententia eſt magis abſurda, quoniam conceptus miſeriæ nullo modo fit pueris nuper natis, vel etiam paulo prouectioribus, quoniam ratione quadam indiget illius cognitio, & reflexione intellectus per quandam collationem, indicio huius eſt, quoniam nullo modo miſerentur, quod alioqui ex neceſſitate fieret: nam ſi cognoſcerent ob aliquod malum ſe eſſe miſerabiles, illud etiam ſi viderent alios pati, per conſenſum fierent miſericordes. Videmus etiam aſſidue homines flere, qui tamen ſe miſeros eſſe haud exiſtimant; non eſt igitur dolor aut malum cum miſeria coniunctum ſubiectum proprium fletus. Ob id ergo viſum eſt mihi, quod illud eſt ingens dolor vel malum, quod aut corruptiuum videatur, ſeu valde moleſtum vel effectiuum miſeriæ, prout laborem intrinſecus parit in animo, & remiſſionem etiam illius non ſenſus modo: hoc autem manifeſtum eſt tum ratione tum ſenſu inducendo per ſingula; neque tamen immerito dicebam ingens dolor aut malum, quoniam leuiora quædam deſpiciuntur, & nullo pacto mouent: alia vero tunc fletum pariunt, dum aut exiſtimat animus, aut ſenſus imaginatur ab intellectu vigoratus tanquam corruptiua & vitæ obnoxia, vel ſi malum ingens fuerit, vtpo-

vtpote magnum afferens damnum, & miſeriam quandam, hinc facile recens nati homines plorant, quoniam ob illam inertiam & naturæ perfectionem in immaturo admodum & paſſibili, inualidoq; corpore animus titubat, vtpote quod corpus non eſt tam cito conueniens reſpectu formæ illius præſtantiſſimæ: nam aliorum animæ, tanquam minus perfectæ, minus etiam perfecto egent corpore, quibus etiam natura propter neceſſitatem repenſum dedit, & magis confidunt, at fœtus humani prope ſingula timent, & quamuis leuiſſima ſint, exiſtimant corruptiua, & vitæ obnoxia, vnde ſtatim fit ille labor internus animi & impotentia ſubſtinendi cum animi remiſſione: ſunt enim ex ſe ipſis valde remiſſi & diffidentes; hinc etiam illi melancholici & afflicta corpora facilime plorant, quoniam habent principium oblæſum; hinc mulieres quoniam illud habent inualidum, ſed viri alioqui fortiores, & grauiori quadam prudentia freti, non omnia exiſtimant corruptiua, quoniam etiam magis confidunt, & ſecundum plurimum abſtinent ab ipſo fletu, quoniam ratio moderatur affectum ſenſus: cum enim ploratus remiſſum oſtendat animum, ratio illos retrahit, quoniã nemo vult apparere demiſſus, ſed quemadmodũ ab intellectu procedit, vt pro dolorib. quibuſdam ſenſuũ, aut aliis etiam abſtineãt, prout ratio-

nem adhibent in oppoſitum, ita cum ille aſſentitur, vti laborem ipſe quoq; ſentiat moleſtum, & remiſſio quędam illius fiat cum impotentia ſubſtinendi, tunc repente ſoluitur animus, & fletus obtingit; quapropter illis fletum alliciunt, aut dolores acerbiſſimi cum ſubſtineri non poſſunt, aut miſeriæ quædam & commiſerationes, quoniam illæ ſtatim animum remittunt, & ad ſenſum deſinunt; propterea dicebat Ariſtoteles ſexto Ethicorum, & ſecundo eiuſdem operis, cap. tertio, fortes viros in magnis periculis & doloribus, quos patitur ſenſus propter honeſtam mortem, animo aut gaudere, aut ſaltem dolore non affici; itaque plorare nunquam conſpiciuntur, qui ſi dolerent animo, & laborem illa pars ſubſtineret, etiam ipſi plorarent; non plorant autem, quoniam intellectus & ratio, delectatioque virtutis & actionis honeſtæ quodam pacto dolorem adimit, & ſenſuum moderatur affectus. Non eſt igitur mirum, ſi retrahente intellectu & ratione quamplurimum cohibeatur fletus, quamuis præſto ſit vera illius materia: nam videmus hoc idem fieri in aliis affectibus, ſiquidem verecundia ſæpius fieret, niſi ratio affectum illum compeſceret, ſæpius etiam fieret furor & ira, cum ſeſe offerret occaſio, niſi ſuperior illa facultas dominaretur ſenſui, & furores illius repelleret. Hinc plane fit omnis virtus & vitium penes ipſos

pſos affectus, vel ſaltem fiunt laude aut opprobrio digni, ſi ratio aut perperam, aut quemadmodum decet, adhibeatur. Et quoniam triſtia, quæ dolorem inferunt, & ſunt corruptiua, & quæcunque poſſunt interimere, & mala, quorum fortuna eſt cauſa, ſi magnitudinem habeant, fletum excitant, ipſo aut conſentiente intellectu in eodem, vel ſaltem non retrahente: hinc fit, vt ab illis propter commiſerationem maximi fletus exoriantur, quoniam ſtatim remittunt animum: commiſeratio namque triſtis eſt conſenſus & ſympathia propter dolores & alienas calamitates, ſeu dolor quidam ex apparente malò corruptiuo, ac dolorem inferente in non dignum pati, quod ipſe putabit, ſe etiam pati poſſe, vel ſuorum aliquem, idque ſic vt propinquum videatur. Quoniam vero afflictiones tunc miſerabiles ſunt, dum oculis cernuntur, aut ſunt prope, idcirco quæ mille annis antea fuerunt, aut multo poſt futura ſunt, forſitan nullam mouent miſerationem, vel non ſimiliter: ſigna tamen & facta, vt veſtes eorum, qui paſſi ſunt, cæteraque huiuſmodi, & verba cum morerentur, ac maxime ſi magno in his temporibus animo fuerunt: nam hæc omnia, quoniam propinquiora videntur, & ante oculos calamitates ponunt, ſimulque indignos fuiſſe oſtendunt, miſerationem mouent, & quoniam reflexio quædam

dam ſit in illo actu, & collatio cum opinione; propterea non eſt mirum, ſi potiſſimum homini conueniat; quaſi vero aliis aut non fiat, aut non conſimili modo, vtpote quæ ab innato ſecundum naturam habitu proficiſcatur, & à congenita ſenſus qualitate; hinc vero inter ſimiles efficitur valde ſecundum ſpeciem, ætates, mores, habitus, dignitatem & genus: in omnibus enim his ſibi quoque damnum dari poſſe maxime videtur, ac prout naturæ & qualitates ſunt magis affines, ita magis illi reciproce conſentiunt, & quo magis in non dignum collata eſt paſſio, ſi forma ſit præſtanti, animoque ingenuo, & illuſtri genere natus, eo magis commiſerationem mouet, alioſque trahit in conſenſum doloris; quædam autem maiora videntur, cum modis quibuſdam & funeſto apparatu videntur tum magis extolli, tum magis expoſita miſeria & lamentabile malum; nonnulla etiam cum ante oculos ponunt maiora excidia & imaginem poſtremæ calamitatis: quandoque tamen, quæ maiora fortaſſis viderentur, miſerationem non mouent, quemadmodum aiunt, Amaſim, cum ad necem filius duceretur, lachrymas non effudiſſe, quas tamen large profudit, cum videret amicum mendicare: ſed nullam hoc affert dubitationem; hoc enim miſerabile eſt, illud vero terribile, cuius ratione fletus non efficitur, ſed ingens metus

& ter-

&terror, atque adeo res eadem numero reſpectu diuerſorum eſt miſerabilis atque terribilis: ſiquidem patri terribilis erat ille interitus filii, amico tamen res miſerabilis: nam erga propinquos ita ſe habet, vt in ſe ipſum interdum etiam affectus affectum cohibet, & moderatur, vtpote iratus furenſque non plorabit, neque potentia fretus, aut medelam meditans, vel fortaſſe ſi dolorum ipſe ſibi cauſa fuiſſet. Huc autem ſpectant nonnullæ dubitationes, quarum ea prima eſt, quod affectus permixti non cohibent fletum, ſed potius illum mouent, aut acceſſionem faciunt: nam fœtus humani illique potiſſimum prouectiores pro doloribus plorant, nempe ſi dolori metus conjungatur, plorant etiam ſi deforme aliquid ac terribile ſuſpiciant, ſi quiſpiam fortaſſe illis acrius minetur, aut omnino vereantur, ne malum aliquid imminens ipſis contingat. Quamobrem manifeſte patet, minime ex doloribus tantum allici fletum: quin etiam illi indignati atque ira perciti plorant, aut ſi culpentur temere, irrideantur, vel acriter obiurgiis afficiantur & contumeliis. Inſuper ſolitudines, tenebræ, ſpectacula quædam, & cantus funerales fletum adducunt: hæc autem cum dolorificis nihil habent commune; ſequitur ergo, non ſolum id, quod dolorē affert, eſſe cauſam ploratus. Facilime tamē ſoluuntur omnes. Quod enim de timo-

timore obuiam attulerunt nihil eſt, quoniam metus poteſt eſſe cauſa ploratus tanquam coniunctus cum opinione rei triſtis, vtpote ſi interitus timor adſit vel magnæ pœnæ, & aliorum malorum: cum autem timor valde vehemens eſt, talem ac tantam ſpirituum reuocationem efficit ad principium vitæ, atque illos ita comprimit, vt quemuis alium intercipiat affectum: quapropter in nimio timore oculi caligine quadam ſuffunduntur, & cordis procedit tremor, ſeu palpitatio aut propter refrigerationem: timor enim refrigeratio quędam eſt, vel propter timoris impetum, qui celeriter fit hiante cordis corpore, ſiue illius præoccupato calore ob celerem retractionem. Ad ſequentem dico, quod illæ indignationes ſunt remiſſæ admodum & molles, vtpote mollioris atque remiſſioris animi, & qualeſcunque fuerint: nulla tamen freta potentia ſunt potius apparatus & diſpoſitiones quædam ad fletus generationem præſuppoſito dolore, & obiecto aliquo triſtifico. Solet etiam amor, quamuis alius exiſtat affectus, ciere fletum; quapropter fit, vt matris animus doloroſa perturbatione moueatur, & ferre non poſſit, quamuis minimam affectionem dulciſſimæ prolis ſuæ: ſiquidem facit amor apparere grauiora, quæ ſua natura ſunt leuiſſima. Ad poſtremam dico, quod propter illos apparatus ſeu voces, & ſigna in mentem ſub-

cunt

eunt triſtia, & per ea fit quædam animi proie-ctio remiſſioque cum profundo dolore & labore: ſolitudines namque & tenebræ momentum ad hoc habent, vel quia timorem & mœſtitiam afferunt: quibus præſuppoſitis triſtia ſuppetunt, atque eodem modo triſtium quarundam rerum ſpectacula fletum allicere conſueuerunt ſub eadem ſpecie, cætera quoque ſicut ſigna.

Capvt III.

De corporeo inſtrumento, quo fletus perficitur, & quale eſt illud primum principium corporeum, vnde procedit.

Hactenvs ea, quæ ad materiam fletus pertinebant, diffuſe pertractauimus, modo conſentaneum eſt, vt proxime accedamus ad explicandum, quemadmodum fiat, quod ſane fieri non poſſet, niſi prius declaretur, qua parte, ſeu quibus partibus corporis ſubſeruientibus miniſtretur, quod per eam, quæ ab initio ſuſcepta eſt, methodum facilime conſequemur, quandoquidem riſus & fletus ſunt motiones contrariæ, & quodam alio modo affines, non ſecus atque contrariæ affectiones ſunt timor & audacia; quibus igitur partibus riſus exercetur, eiſdem quoque fletus efficitur. Quapropter ex mente Ariſto-

 telis

telis oportet exiſtimare, partes illius primas eſſe cor atque præcordia: nam videmus, ſingulos affectus referri in hoc præſtantiſſimum principium, quemadmodum eſt ira, timor, audacia, confidentia, fortitudo, verecundia, odium, amor, & ſimilia iſtorum; igitur eadem pars vna cum præcordiis eſt principium flendi. Accedit inſuper, quod ea ipſa parte dolores vigent triſtitiæque; quapropter motiones dolorum, qualis eſt fletus, per eandem partem obtingunt, id quod etiam per ſenſum poſſumus animaduertere: nam ſine vlla controuerſia motus manifeſte ſentitur in pectore, incipiens primum à corde & diaphragmate, qui ſubinde communicatur pulmoni, & conſentanee hoc dicendum erat Ariſtoteli, cum poſuiſſet, corpus cordis eſſe principem partem tanquam animæ regiam, in quam deinceps referebat omnes affectus, omneſque operationes primas atque ſecundas ab affectibus ipſis prodeuntes. Sed quoniam Plato & Medici, præſertim vero Galenus, & qui eum ſectantur, exiſtimarunt, principium animæ quantum ad facultates animales eſſe cerebrum, mirum ni dicerent, hanc ipſam partem eſſe primum principium primamque radicem illarum operationum & affectuum, qui ad animalem facultatem pertinent, & certe videretur res ita ſe habere, quoniam cogitationes, imaginationeſque & memoriæ

.ibi-

ibidem fiunt, & dolores etiam accenduntur, à quibus exoritur fletus; quod etiam videtur illo argumento confirmari: nam lachrymæ, quæ ſunt veluti character ipſius fletus, à cerebro procedunt, & quandoque videmus fieri concluſos fletus, dum lachrymantur citra eiulatum, ita vt nullus thoracis motus appareat, ſed lachrymæ tantum foras ſecedant ex capit. Plato autem illo non obſtante aſſeuerabat, cor eſſe ſedem facultatis animoſę. Nam etſi cerebrum ſit principium ſenſus, & quodam modo etiam intelligentiæ, nihilominus ſenſus atque animus illius vitalis principii, in quo calor & ſpiritus affatim abundant, pars quaſi alia animoſa efficitur, eoque modo nuncupatur; quapropter poteſt ſuſcipere ſingulos affectus: per eam namque partem animal & homo ipſe confidens eſt, atque intrepidus, fortis & audax, timidus & remiſſus, verecundus & impudens, ibidem dolorum & lætitiæ impetus exacerbantur; itaque motus ab his procedentes hinc etiam exprimi eſt neceſſarium; ac propterea videtur Plato fere medium tenuiſſe. Nam etſi principatum illarum partium animæ in cerebrum conieciſſet, ipſos tamen affectus & actiones ab his prodeuntes cordi reddebat, in quo viget pars animoſa, cuius opinio ita mihi videtur vera, vt erubeſcerem ipſi contradicere: putandum eſt enim, initia ſingulorum affectuum primaſq;

radices ex ipſo cerebro proficiſci, quamuis exprimuntur tum ipſi tum actiones eorum in corde, vbi pars illa aſſiſtit animoſa; & propterea efficitur, vt fletus tum motum illum habeat ex pectore proficiſcentem, tum lachrymas emiſſas à cerebro, in quo profundus quidam dolor fouet altiſſimam illam imaginationem aut opinionem rei triſtis.

Capvt IV.

Quomodo generetur fletus.

Cvm itaque ad explicandum modum generationis peruenerim, meæ nunc erunt partes, vt cauſæ afferantur ſingularum motionum & accidentium circa fletum, quæ ſenſibus aut ſenſatæ rationi conſentiant: iam enim manifeſtum eſt, quod dolor à re aliqua triſti & dolorifica conceptus, eſt prima ipſius origo; ideo cum animi intentio & robur quoddam obſiſtat fletui, conſentaneum eſt, vt ad ipſum efficiendum animus ſuccumbat, & remittatur; hinc fit, vt magni dolores earum præſertim rerum, quæ miſeriam præ ſe ferunt, & remedii ſpes vlla non ſuppetit, omnium maxime fletum alliciant: nam ſimul afficiunt ſenſum & intellectum, ac vtrumque remittunt, quemadmodum & illa ſunt, per quæ vehemens timor oſſa inuadit, ſcilicet infamiæ, miſeriæ, paupertatis extremæ, morbi atrociſſimi, ſolitudinis, ac denique mortis, cum

cum prope videatur adeſſe: ob hæc, inquam, animi efficitur remiſſio proſtratioque, atque adeo puſilli facile plorant, & mulieres, quoniam remiſſos animos deiicere, & conturbare doloribus facilimum eſt. Propterea debemus ſupponere, quod ad efficiendum ploratum operæ pretium eſt, vt ipſum dolorificum, quemadmodum fieri poteſt, exiſtimationem attingat, aut imaginationem, atque in ea exiſtimatione perceptioneve doloris fit quædam ſenſus, animique ſeu partium primo ſentientium compreſſio. Nam dolor, vt omnibus patet, compreſſionem & anguſtationem parit, & cum dolor fiat, iniucunda pariter atque moleſta efficitur applicatio & ſuſpenſio quædam cum ingenti triſtitia; itaque dolor tum repellit, tum etiam contrahit, & cum animus talem tantamque moleſtiam ferre & ſubſtinere non poſſit, fit quidam labor & impotentia ſubſtinendi, ac proinde animus quaſi victus manus dat, & remiſſus procedit: facit enim illa ſolutio ipſi dolenti quandam voluptatem; videtur enim dolor illo modo vaporare, & illius nonnihil ſedari moleſtiam, vt inquit pręclare Ariſtoteles primo Rhetoricorum cap. de iucundis & voluptatem afferentibus: rem namque prorſus admirabilem narrat, vtpote quod flere parentes aut amicos res eſt iucunda, ea tamen ratione confirmata videtur clariſſima, quoniam,

niam, inquit, videtur illis ante oculos habere quem plorant, & iucundum eſt recenſere illius egregias actiones & præclaros mores: ait enim hoc pacto, & in luctu & fletu eſt quædam voluptas; mœror enim in eo eſt, quod non adeſt, voluptas autem quod recordentur, ac illum quodam modo videant, & quæ agebat, & qualis erat, & recenſet illud Poetæ carmen: *Sic fatus flendi cunctis immiſit amorem.* Sed neque hoc ſolo, verum etiam illo, quia ſolui compreſſum, & moleſtia coanguſtatum afflictumque iucundum eſt: ſic enim videtur doloris incendium ſedari euaporando, & intrinſecum laborem extingui, cum etenim iſti labores in corde fiant, quemadmodum eſt manifeſtum, aut voluptate aut impotentia ſubſtinendi, neceſſitateque oportet ſolui, ſecus enim ſtupidum videretur cor ac totum animal, vel parum ab eo differret, ſi videlicet tales dolorum affectus pateretur, & modum lamentandi ac remiſſionis non haberet: cum autem motus incipiat à corde & ſepto, neceſſarium eſt ſuſcipi ab ipſo pulmone; quamobrem vox illa procedit index doloris & intrinſecæ paſſionis animi laborem facientis, & impotentiam ſubſtinendi, quamuis fieri poteſt, vt ab eis, qui ſunt fortiores atque prudentiores, hic motus contineatur, ſed in ea retractione & compreſſione maiori, ac ſuſpenſione animi profunda impetus ſur-

ſum repit ad oculos, & lachrymæ prodeunt citra eiulatum, quod, aiunt, nequaquam indecens eſſe forti viro: nam ſatis illi eſt, vt puerilem hunc motum & ſolutam omnino remiſſionem, quæ imbecillitatis & deiectionis eſt ſignum, cohibeat: dolorem vero è magnis rebus cohibere non poteſt, & fortaſſe etiam non decet; ac propterea eximius Poeta Virgilius cum Æneæ fortitudinem laudaret, fatebatur, cum quandoq; in lachrymas proruPiſſe, quaſi vero ſolutior motus, qualis eſt eiulatus, tales viros non deceat vt lachrymæ: cum autem neceſſitate quadam hic motus proficiſcatur, illis præſertim, qui molliore ſunt animo, vtpote minus forti magis flexibili atque remiſſo, quoniam eorum animus remiſſe applicat ſe illis doloribus, & laborem quendam patitur intrinſecum: ideo accedente cum labore ſpiritus attritione nimium calefacto principio, vel ob id facta impotentia ſubſtinendi, relaxari celeriter oportet: quod enim dolor ſpiritus compreſſionem & laborem faciat, tum patet ſenſui, dum quiſq; plorat, tum etiam illud dixit Ariſtoteles ſeptimo Politicorum cap. decimoſeptimo; cohibitores, inquit, puerorum, & interruptiones ploratus, qui legibus prohibēt, nō recte faciunt: ſunt enim vtiles ad augmentum, cū ſint quodā modo exercitationes corporis; ſpiritus .n. compreſſio facit robur laborātibus, clare his

verbis illud demonſtrat, quippe qui dicit, non eſſe omnino interdicendum ploratum pueris, quoniam ad augmentum prodeſſe valeat, cum in eo fiat ſpiritus compreſſio: hæc autem robur laborantibus efficiat; ac deinde, quod corporis intentio compreſſioque fiat, propalauit vndecima ſectione Problematum quæſtione decimaquinta, dum quæreret, quapropter vox ridentium eſt grauior eiulantium voce; reſpondet, an qui flent, intendendo contrahendoque os vociferantur, vnde propere aer interior corpore ipſo intento mouetur, cumque per os anguſtum tranſeat, ferri velocius poteſt; hinc etiam patet, quapropter flentes ſpiritum emittant frigidiorem, ſiquidem facta maiori retractione & corporis intentione aer non affatim interior, qui calidus eſt, ſed plurimum eius, qui in extremo arteriæ manet, excernitur, vnde frigidiuſculus apparet, quam in riſu, in quo per emiſſum ac magis ſolutum corpus, hiſcentemque arteriam interior aer ad excretionem properat, quamuis Ariſtoteles eadem ſectione Problematum quæſtione decimatertia illud aſſcribebat dolori: dolor enim refrigeratio pectoris eſt; quantum vero ad motionis illius figuram pertinet, non eſt immorandum, quoniam fit ęquabilis ſolutio ſenſus & partium illarum ſentientium vſque ad faciem, ad quam ſenſus totuſque animus conſpi-

ſpirat propter ſenſoria, quæ ſunt repoſita in illa parte; hinc oportebat æquabilem fieri renixum & intentionem illarum partium propter robur: præſertim autem in fletu, in quo magis cogitatio ipſa retrahit, & horror quidam efficitur ob illam triſtitiam perceptam; quapropter facies magis riget & deformior apparet: etenim fit contractio ſimilis horrori, qualis fit, vbi ſapor acerbus fuerit deguſtatus. Sed quiſpiam fortaſſis quæreret, quamobrem fletus diutius permanet quam riſus; hic etenim motus cito ſoluitur, ille vero cum ſemel cœpiſſet, neſcit quaſi dimittere, tametſi ad mouendum voluptas & dolor vim non abſimilem habeant. Secundo, cur plorare turpius eſt, quam ridere, ſi lætari & dolere eodem modo conueniat. Tertio, an propter fletum interitus poſſit accidere, ſicut accidit ridendo, & quo pacto illud fieret. Quarto, quo pacto fiat fletus, ob inſignem lætitiam, cum alioqui poſitum eſſet ſuperius, illum eſſe effectum doloris, & qualis illa lætitia ſit futura, per quam fletus generatur. Quinto, qui magis aut minus ad plorandum ſint idonei, & quomodo fiant illi ſpontanei fletus melancholicorum & deſipientium hominum. Sexto, cur homines alioqui triſtes & dolentes ſæpe cum tacerent non plorabant, cum autem doloris cauſam velint dicere & narrare, confeſtim plorant? Reſpondeo primæ difficul-

tati:querebatur enim, cur fieret, vt fletus diutius perſeueret, quam riſus? fateor equidem, illud euenire ex natura ipſius obiecti, vel cauſæ mouentis, quoniam riſus ab inani lætitia, quæ veluti per tranſitum afficit, generatur; fletus autem à re graui & dolorifica ſerio, quæ diutius mouere poteſt: inſtat enim alta quædam cogitatio, & quo magis appellit animum, eo magis diſplicere conſueuit. Ad ſecundam dico, fletum eſſe magis turpem, quam riſus, ac minus etiam decentem, quoniam riſus non eſt immediate contra aliquam virtutem morum: fletus autem videtur è medio tollere magnificam illam fortitudinem, quam omnes affectare ſolent, & contra virilem illum vigorem, quem omnes habere exiſtimant, ſiquidem arguit animi remiſſionem; ac propterea, qui mores inſtituunt, aiunt, fletum eſſe rem puerilem, indignam viro, & muliebrem, animi videlicet mollioris, & paulo remiſſioris; & quemadmodum obiecta riſus, & inanes lætitiæ frequentius accidunt; propterea magis familiaris eſt illa operatio affectioque; cum itaque nemo velit apparere demiſſus, propterea nimis abſtinent, & cenſent, rem eſſe indignam. Ad tertiam dico, fletibus poſſe hominem mori, cum modum ſuperant, intemperate ſcilicet laxatis habenis, & ſoluto motu, quoniam profuſius ſoluto diaphragmatis motu poteſt accidere difficul-

tas attrahendi ſpiritum multo præſertim euacuato; quapropter calor ipſius cordis ſuffocatur, nonnunquam apparatus aliqui & medii quidam affectus generantur, ſcilicet lypothimia & ſyncopes, ſi paulo remiſſius illud fiat: cum autem in riſu ſolutior fiat motus, vtpote celerius ac vehementius vellicante ridiculo quaſi prurigine, nullaq; retrahēte cogitatione; propterea mors multo facilius ridendo, quā flendo poteſt accidere: nam ploratus cauſa minus inſolēter mouet, & alta cogitatio animum retrahit, parteſq; ipſas mobiles. Quartæ petitioni conati ſunt quidā ſatisfacere, ac dixerunt, ex ingēti lætitia fieri ploratū propter teneritatē, neq; plura his dicūt, neq; explicant, quid per eam teneritatem intelligant, exiſtimo tamen eſſe quandam mollitiem animi, ſeu potius fluxiliorē & molliorē naturam primo ſentientium partium, vtpote magis flexilium, & magis imbecillium; quapropter leues motiunculas & paſſiones ferre & ſubſtinere nō poſſint: qui, vt mihi videtur, ſatis diminute reſpōdent. Quoniā etſi animo ſint molliore per quandam tranſlationem; propterea tamen non ſequitur, vt nulla materia fletus præſuppoſita plorare debeant, & multo quidem minus ſi pro abundanti gaudio & voluptate triſtitia nō efficitur, à qua fletus debet oriri, ſæpe etiā non mulieres tantū, ſed viri, qui alias flere niſi ægre conſpiciebantur,

tur,

tur, ob tales lætitias ſoluuntur in lachrymas, & ploratus inſignes. Alii conati ſunt etiam illam diſſoluere, dicentes, fletum in lætitia oriri ex abundantia cordis, qui tamen per ſe non natus eſt fieri niſi è rebus dolorificis: hæc autem abundantia cordis eſt quidam affectus ex abundantia ſpiritus & ſenſus in ea parte. Hoc autem non ſoluit, vt diligentius intuenti patet. Ob id exiſtimo, quod vehementer ac totum ſimul imprimens gaudium cum amore coniunctum mox ſpiritum corripit, ipſamque ſpirationem & partes illas animoſas, quæ affatim ſpiritibus vigent, comprimit, ac modo quodam ſuſpendit cum quadam turgentia ad motum. Itaque cum ſenſus & ſpiritus velit ob grandem lætitiam dilatari, tum hoc, tum illo etiam, quod propter magnitudinem & correptionem cohibetur, fit quædam plenitudo ſpiritus, turbata tamen cum paſſione quadam concluſa, & ſentientium ipſarum partium minutiſſima prope vibratio, & turgens motus cum labore, & impeditus motus cum attritione, propter contrarios conatus; quamobrem motus conuertitur ſurſum, & partes ob impotentiam ſubſtinendi ſoluuntur, ac propter conuerſionem & retractionem dictam fletus efficitur; riſus enim vult motum magis expeditum & ſolutum: retractus autem motus facit fletum quomodolibet impellente gaudio aut dolore citra illam

retra-

retractionem, quæ aut correptione aut alta efficitur cogitatione: quandoque vero remiſſior fletus efficitur, aut lachrymæ tantum, prout cauſa eſt remiſſior, aut animus longe fortior, parteſque ipſæ ſolidiores, quæ flecti nec ſolui valeant, niſi maxima cauſa; interdum etiam iſtis ſimilia quædam fiunt, ſi miſceantur affectus, nempe ſi gaudium vel plenitudo ſpiritus cum admiratione, quoniam contrarie mouent, ac proinde partes illæ ſpiritales patiuntur. An fortaſſe tibi videtur, cum fiat hic fletus, vt ſupponatur ſaltem confuſa commiſeratio & paſſio blanda: interea namque cum propter amoris exceſſum miſcetur commiſeratio mollis & blanda perturbatio, tum hoc, tum etiam gaudii magnitudo, & ſpiritus abundantia ſuperant animum; itaque illum blande remittunt, & ſoluto motu cum retractione & paſſione huiuſmodi neceſſario fit fletus. Et quemadmodum mixta ſolet eſſe affectio ex molli commiſeratione & lætitia, aut ſolutione, & retractione motus, ita quoque mixta ſolet apparere actio: nam quidam plorare ſimul & ridere conſpiciuntur, interdum hæc viciſſim per interualla fiunt, prout cauſæ obtinent atque mouent. Cæterum qui magis aut minus ſint ad plorandum idonei, facile eſt intelligere ex iis, quæ paulo ſuperius fuerunt pertractata: cum enim efficiatur animi remiſſio, ſequitur,

eos, qui remiſſiore ſiue molliore ſunt animo, vtpote habentes ſenſoria prima fluxa, & minus robuſta, eſſe ad plorandum cæteris paribus magis idoneos. Et quoniam calor neceſſarius eſt, nam dolor incendium parit, & caloris tentiginem moleſtam, ideo fit, vt frigidę admodum naturæ plorare non poſſint, tametſi remiſſiones quędam illis fiant & fletus effigies, vtpote inchoati tantum, aut dimidiati fletus, quales perterritis contingere ſolent propter contrarium conatum: pueri vero minores natu videntur plorare frequentius: nam (vt antea dixi) vtuntur fletu tanquam loquela, vbi tamen paruuli ſunt, & recens nati, quoniam non habent corporis firmitudinem, ſed naturam valde imbecillem, nequeunt expedite plorare, etenim fit cum labore & magna corporis contentione; quapropter illos conatus ſubſtinere non poſſunt: hinc etiam lachrymæ ab illis non profluunt aut raræ admodum, quia ſpiritus contentionem ſubſtinere non poſſunt: fœtus enim humanus eſt valde immaturus & laxus, ob eandem quoque rationem valde ægrota corpora, & imbecilliora reddita aut non plorant, aut obſcure: nam propter corporis imbecillitatem ſpiritus illas compreſſiones, & corporeos illos conatus ſubſtinere non poſſunt, ſenes etiam tum vel iſta ratione, tum quia frigidiores ſunt, ac duriora, & veluti corneola habeant

beant ſenſoria, parteſque ipſas inflexibiles, vtpote ſiccitate retorridas, parum plorant, minus quoque ad plorandum procliues ſunt viri fortes, quibus aut alta mentis exiſtimatio & affectus vehemens actionis honeſtæ comprimit affectus ſenſuum, aut quia ſunt magis confidentes, parteſque ipſas habent ſolidiores, & maiori virtute præditas. Quidam autem melancholici facilime plorant, & fiunt mœſti, non, vt aiunt, vaporum caligine: namque intra corpus nulla fit aſpectio, nec cognoſcitur caligo, neque lux & perſpicuitas, ſed potius humoris frigiditate aliena lædente principium: cum enim ſit affectum, & frigiditas calorem illius obtundat, timor excitatur: nam calor audaciam facit, & confidentiam: frigiditas autem in mœſtitiam adducit & timorem, diffidentiam, ac denique in deſperationem, vt quidam ſibi ipſis mortem oppetant, exiſtimantes, ſe eſſe miſerrimos, ac melius illis fore ſi non ſint, quam eſſe in extrema miſeria, vel forſitan ille humor ſeu denſus & fœculentus vapor facit quãdam moleſtiam primo ſenſitiuo, & ineptitudinem cum pigritia ac prope onere, vt perinde videatur ſenſui eſſe oppreſſum, aggrauatum, ineptum, & minime expeditum cum moleſtia, atq; illis eſſe viros nequam, & ad nihilum aptos: hinc procedunt deinde mœſtitiæ ipſo nimirũ animo cõpreſſo, & ad actiones minus expedito,

nec adiuuante calore; quapropter illis calefa-ctio iuuat. Poſtremæ difficultati reſpondeo, quod ſoluto in dicendo ſpiritu, ac partibus il-lis, quæ alioqui continebantur, factoque do-lore magis in actu cum explicetur, & forſitan aucto cum dicendo innoteſcat & explicetur miſeria, coram aliis dicunt, etiam puerum, ſi velit accuſare illum, qui in ſe violentas & la-ſciuas manus iniecerit, non poſſe compeſce-re fletum: cum enim propriam infamiam ex-plicet, & infamem ſe eſſe aliis declaret, flere conſentaneum eſt, qui quidem non fleret te-mere accuſando: nam fictio eſſet citra dolo-rem, & potius cum voluptate & alieno af-fectu.

Capvt V.

De exortu lachrymarum, vnde, quomodo, & à quo profluant.

Cvm ſuſceptum eſſet onus agendi de la-chrymis, quæ ſunt vt accidens familia-riſſimum fletus, neceſſarium videbatur, vt quæreretur ipſarum qua coaleſcunt materia, quantum videlicet ſatis eſſet ad hanc tracta-tionem, & quamobrem ſalſæ ſint & calidæ; quædam autem dulces & frigidæ. Præterea qua ratione mouerentur in fletu, vnde & quomodo profluant; & quapropter alii aliis magis abundent. Multæ igitur conſpiciuntur humiditates in noſtro corpore ſimilis omni-

no con-

no conditionis & naturæ, quemadmodum eſt ſudor, vrina & lachrymæ: ſunt etenim aquoſum pariter corpus, & ſalis nonnihil habent; quapropter debemus animaduertere, quandam partem mixtam eſſe cum ſanguine magis dilutam, quæ omnino à calore euinci non potuit, eaque ex petulentis eſculentiſque generatur, vtpote illorum parte magis aquea; illius autem fluoris & excrementi, partem quandam magis fœculentam affatim genitam in hepatis coctione, animalis natura per renes expurgat, ne ſanguis adeo impurus ad cor perueniret, quod eſt pars præcipua, primaque ſedes vitæ, neve ſanguis fortaſſe prauus & morboſus efficeretur, vel ineptus optimæ nutritioni: relinquitur tamen nonnihil, ac pars longe tenuior, & magis ſyncera propter ſanguinis penetrationem ad partes anguſtiſſimas, tum etiam ne ſanguis ipſe forſitan concreſceret; ſiquidem hoc ſerum tale quoque officium præſtantiſſimum habet, vt mixtum ſanguini vna cum calore naturali prohibeat, quin minus denſetur & concreſcat, eadem ſubſtantia ſeroſa tandem inepta nutritioni ob ſuam tenuitatem, modumque omnem ſubſtantiæ deponitur in ſingulas partes noſtri corporis, & facit quandam irrigationem in eis, ne ſiccitate nimium areſcant, & tabidæ fiant: iis enim opus erat nutrimento & irrigante quopiam humore. Hoc

humidum plane corpus eſt illud, quod miſſo ſanguine ſegregatur à parte magis fibroſa & terrena, quod vbi ſeparatum fuerit, & extinctus proprius calor, ſtatim concreſcit ſanguis, hoc eſt etiam illud, cuius vitium non raro accendit febres, & ſapor proprius ipſum deguſtanti oſtendit humorum malitiam & prauitatem, ſi nimirum qualis eſt ſanguis dulcius, aut ratione putredinis & extranei caloris ſalſius appareat, quemadmodum optime illud docebat Ariſtoteles in libris de Partibus animalium, hoc etiam ſero natura vtitur potiſſimum ad vtilitatem partium, quæ iugi aguntur motu, & in ipſis pro maiori parte deponitur; quapropter videmus illo plurimum abundare corpus cordis: nam valido & perenni cietur motu; huiuſmodi enim eſt aqua, quæ in pericardio continetur, & efficitur illa ſegregatio reſpondens ſeparationi, quæ fit in hepate ad ipſos renes, quoniam cor ſuſcipit ſanguinem ab hepate non ſatis elaboratum, & propterea in illa actione, quæ eſt poſtrema concoctio perfectioque ſanguinis, calor cordis ſegregat heterogenea, & plurimum ſeroſæ partis in inuolucrum eius deponit, quod pericardion appellarunt, quam perperam nonnulli exiſtimarunt fieri vt pluuia, ex vapore ſanguinis, non ſecus etiam humiditas eadem etſi non ſola reperitur in thorace, & pulmone, pariter etiam in cerebro, & in ipſis ocu-

oculis: ſunt enim in continuo motu, & humectationis perpetuo indigebant, & quemadmodum oculi ac cerebrum natura erant corpora humidiſſima; propterea debebant humorem plurimum habere, & oculi præſertim, vtpote qui ratione temperaturæ motus & propriæ functionis humidiores eſſe debebant. Cum itaque pars iſta ſeroſa ſit materia lachrymarum, rationi conſentaneum erat, vt eſſent ſalſæ: videmus enim, quod pariter ſudor, vrina & aqua in pericardio ſalſedinem referunt; hoc etenim corpus indigeſtum eſt, atqui indigeſtum omne excrementum à calore diutius paſſum, & à dulci potiſſimum corpore ſeparatum, ſalſum efficitur: oportet autem hoc à dulci corpore ſeparari, & illo modo pati ab actione caloris, & ſiccitatem concipere: nam ſeroſitas recens miſſo ſanguine ſubdulcis apparet, & pene inſipida ſi corpus optime ſe habeat, aut ſanguis nō ſit morboſus: ea vero pars, quæ in pericardio cōtinetur, cum ſeparata ſit, non omnino eſt expers ſalſedinis. Sed quoniã à calore valido nonnihil digeritur, & ſuperatur excrementi natura; propterea minus ſalis habet, aut forſitan etiam mixta cum potulenta materia, quæ per arteriam deſcendit: eam enim ebibit cor, potum nimirũ è pulmone ſugens, vt ait Hippocrates in libro de Corde. Sunt autẽ ex genere lachrymarũ nonnullæ dulces aut inſipidæ, &

frigidiores ad ſenſum, quales profecto ſunt illæ, quæ in morbis profluunt ex redundante pituita, quod ſenibus potiſſimum accidit, qui pituitoſo excremento ratione frigiditatis abundant: ipſa namque pituita dulcis eſt, & frigida, & quandoque magis acutæ & ſalſiores apparent, aut ſalſæ & ſeroſæ humiditatis admixtione, aut putredine, ex quibus ſequitur, temperaturas humidiores magis paratas, atque vberes habere lachrymas; itaque mulieres oculos duntaxat exterendo lachrymulas profundunt, expreſſa nimirum per eas caruncula illa, quæ ſub angulo latet maiori perpetuo humoris plena: ea enim viam obſtruit, & ſua laxitate deſcendentem ſtillantemque humorem concipit. Qua vero ex parte plorantium lachrymæ prodeant, ſiue ipſarum materia, quomodo etiam profluere poſſint, non admodum facile patet, nec tamen oportet fruſtra laborem adhibere, ſi fluant prodeantque ex ipſo corde, vnde principium fletus exiſtit, quoniam nullæ apparent viæ, niſi fingere illas velis, nec modus vllus ſuppetit. Porro neque per venas aut arterias ſecedunt in eum locum, ſiquidem eſſent cum ſanguine mixtæ, & rubrico intinctæ colore, ac fluere non poſſent, niſi venis ipſis per ἀνασόμωσιν laxatis, & oſculis earum ſolutis. Itaque non eſſet amplius in noſtra poteſtate illas ſupprimere; multi exiſtimarunt, eas à prima origine

de cerebro ipſo ſtillare, vtpote quod ab illa etiam parte morboſæ lachrymæ ſecedant, & ratio eadem ſit illarum: hoc autem opinantur fieri ex vehementi compreſſione eiuſcemodi partis alioqui humidiſſimæ, ita vt eius humor exprimatur, quoniam dolor compreſſionem validam & anguſtationem parit: videtur enim plorantibus fieri propter intentionem atque compreſſionem in ipſo cerebro quidam dolor & labor ſubmoleſtus; cum igitur ille humor ad oculos exprimatur, apparent lachrymæ, quæ nihil præterea ſunt, quam fluor ex cerebro per oculos ſecedens. Hoc autem mihi videtur abſurdum atque impoſſibile: nam ſi totum cerebrum manibus comprimatur, quemadmodum in diſſectione vidimus, ne tantillum quidem humoris hoc pacto exprimeretur, ac deinceps quomodo fieri poſſet tanta conſtrictio, quæ ſi fortaſſis efficeretur, ſenſuum interciperētur officia, & facultatis motiuæ: atque in magnis conuulſionibus potius fierent, cum cerebrum nititur excutere illud, quod eſt moleſtum: neque per oculos neceſſario prodirent, ſi cerebri vis illas exprimeret: raro enim hæc pars, vbi ſe quopiam onere leuat, ad oculos dimittit, ſed potius ad palatum per infundibulum, aut nares, per aures, aut ſpinam, vt docet Hippocrates in libro de Glandulis. Propterea exiſtimo, quod prima lachrymarum origo procedit ab

humore proprio ipſius oculi: non modicus enim manet in illis latibulis, quamuis poſtea reuellatur alius humor ex cerebro per quandam continuationem, ſiquidem, vt manifeſte apparet, ſimulatq; lachrymæ ab oculis tantum proueniunt: non eſt igitur opus, vt aliunde quæramus lachrymarum primum apparatum & principium in fletu. Sed poſtea (vti dicebam) ab humiditatibus cerebri noua ſuppeditatur materia, ne fluxus ille deficiat, dum impetus & vis doloris mouet, quemadmodum ex procidente papyro oleum ſtillatim attrahitur, & effunditur, vel oculi velut accenſa flammula propter illum dolorem & laborem à remotis partibus reuellunt humores, donec ſedetur impetus cauſæ, aut dolor remittatur, vel laſſitudo cohibeat: ſeptum enim laborat & pulmo tum propter motum, tum propter conatum intentionis, ac ipſum lachrymale humidum fuerit conſumptum, quidam enim illo modo ſunt repurgati ab excremento, vel caloris remittatur incendium; difficilis tamen eſt modus, quomodo prodire valeant, ſed illum aſſequemur recolentes, quod, vbi fletus inſtat, fit quædam contractio intentioque propter dolorem, & ſpiritus ac caloris motus repit ſurſum incumbente quadam triſtis imaginatione opinioneve; aſpirat autem ad partem anteriorem, quoniam ibi videtur omnis vigere imagina-

tio

tio cogitatioque; propterea quod ſenſoria in parte capitis anteriore manent; quamobrem in eam totus conſpirat ſenſus atq; animus, ac potiſſimum ad oculos, tum quia proximiores ſunt parti priori ipſius cerebri: videntur enim ferme duo proceſſus cerebrales: quapropter nonnulli antiquorum decipiebantur, opinãtes, ſedem animæ eſſe in ſuperciliis, tum etiam quia ſunt valde ſpirituoſi, & quaſi ſpecula ipſius animæ. Cum igitur in eam partem ſenſus conſpiret inſtante fletu, in ea labor fit, & contrarius quidam conatus attritioque propter emiſſionem & retractionem, vnde procedit laſſitudo moleſta, & turgentia quædam ad motum; itaque agitatur humor & impellitur procedente impetu & conatu emiſſionis, vel etiam illo, quod in eo laboris & doloris motu attritioneque fit prurientis ſpiritus motus, atque caloris, per quem omnes ibi magis turgent humores, quemadmodum fit ſeceſſio lentoris genitalis ob eiuſdem ſpiritus pruriginem, & caloris agitationem in vaſis ſeminariis, ſiue in conceptaculis huic excremento dicatis: fit enim ob id turgentia, & ſemen foras procedit, ibi vero turget cũ labore & dolore. Conſentaneum igitur eſt, vt foras impellatur humor, & lachrymæ ob illud ſiãt, atque vbi propter dolorem & laborem, motumq; ſimilem horrori partes amplius ſubſtinere nõ poſſunt, ſimul cum earum ſolutione

ob impotentiam ſubſtinendi, & ſpiritus emiſſionem ſoluitur humor: aut quoniam in illo dolore laboreque earum partium, & animi remiſſione fit earum calefactoria laſſitudo; itaque humor ille concaleſcit, & cum ſua natura ſalſus eſſet, ſalſior fit & acutior, & agitatus pruritum facit, atque ad excretionem vellicat, ac propter eandem calefactionem, laſſitudinem & laborem ſubſtinendi vis ipſa contentiua vnita ſenſui confeſtim ſoluitur & laxat habenas; itaque profundit humorem, nonnihil etiam cooperante propter dolorem coarctatione, & motu horrori ſimili: hic enim humorem exprimit, & ad motum facit paratiorem; quamobrem videntur lachrymæ omnino proficiſci ex ſpiritus caloriſque motu, & prurigine cum attritione quadam efficiente turgentiam illarum partium & humorum, qui in eis continentur ex labore & laſſitudine, illa, inquam, calefactoria & impotentia earundem partium ad ſubſtinendum, ex emiſſione cum retractione & moleſtia, ex agitatione humoris propter calorem & motum ſpiritus, aut ſenſu humoris agitati calidioris effecti, ac paulo acutioris. Quod etenim motus ſolus humoris & ſpiritus id poſſit efficere, indicio eſt, quoniam ingens lux & calor lachrymas mouet quotidie, ac ſpiritus etiam contentio: nam qui ploratum cohibere nituntur, cum vis doloris ſenſum vicerit,

lachry-

lachrymas vberius effundunt, ſæpe etiam triſtis ſenſatio earum partium & membranarum oculi lachrymas frequentes allicit; itaque frigus illas mouet, non, vt aiunt quidam, conſtringendo exprimendoque, ſed quoniam frigidum mordax eſt præſertim neruoſis partibus, illiſque obnoxium, & maxime talis eſt Septentrio: frigidiſſimus enim eſt tenuis valde, & cito feriens quaſi acuta cuſpide: Ac forſitan mordax & accenſus calor, qui fit in dolore propter attritionem in eis partibus mordicando mouendoque, facit, vt humorem profundant, & lachrymæ in fletibus procedant.

DE SOMNO ET VIGILIA OPVS QVARTVM.

Capvt I.

Quibus proprium ſit dormire, & in quo ſomnus ipſe conſiſtat.

QVONIAM fletus ſomnos alliciunt, videbatur iam ad rem noſtram pertinere, vt illius peracta tractatione, theoriam hanc illi cohærentem alacriter ſuſciperemus. Cũ autem ſomnus vigiliæ quædam orbitas ſit, vt cenſet Ariſtoteles; propterea neceſſarium eſt, eum, qui de ſomno eſt tractaturus, initio præcognoſcere, ac perſpectam illam habere: conſueuimus enim ferme in omnibus prius cognoſcere habitum, deinde priuationem. Nam vt rectum eſt iudex ſui & obliqui, eodem modo habitus eſt ſui, atque priuationis index: ex hoc itaque procedit, vt ea omnia, quæ vigilare conſpiciuntur, ipſa quoq; dormiant, & per quam partem vigilant, per eam quoque ſomnus obtingat. Hinc perperam videtur lapſus eſſe Democritus, cum cenſeret, plantas quandoque dormire, ſi, ſiquidem nullo modo vigilant, mini-

minime fieri poteſt, vt dormiant: illud enim manifeſtum eſt, cum ſenſum nullum habeant, nec motionis principium obſcurum vel manifeſtum. Cum itaq; vigilare ſit proprium animalium, vtpote quæ à natura ſenſum & motionis principium obtinuerunt, per quos vigilia procedit, eorum quoq; proprium ſomnus eſſe debebat, & quemadmodum nullum eſt animal, cui vigilare non competat: animal enim per ſenſum eſt; propterea nec vllum eſſe potuit, quod ſomni particeps non eſſet. Ac certe ſi ſingula cõſideremus animalia, affectionem hanc plane omnibus fieri comperiemus, his quidé clarius, his vero obſcurius, & aliis breuiorem, aliis cõtra diuturniorem, quemadmodum naturæ ipſorũ ſunt diuerſæ, & aliæ aliis ad ſomni diſpoſitionem magis procliues, illa quoq; animalia, de quibus eſt maior dubitatio propter ineptitudiné & imperfectionem naturæ, quæ fere ancipitem conditionem ſunt ſortita, tametſi ſecundum ſenſum non ſatis cõſtet, rationabile tamen eſt, vt ſomno quandoq; ſeſe recreent: vires enim ſubmittãt oportet ex diuturno peruigilio, & quemadmodum neque ſenſum vllum habent, niſi tactum & guſtum, cum illo cõfuſum, ac principiũ ſentiẽdi minus diſtinctũ, ita neq; diuturnis, neq; nimis altis ſoporib. corripiũtur, ſed fortaſſe frequentioribus & minutis: nam vt virtus ſentiés eſt imbecillis

& ſe-

& ſegnis, quin etiam obſcuri motus, corpuſque ipſum laxum, & infirmum, ita ſæpe quietem ex ſomno ad vigiliam aptare debebant, ſed quia principium non eſt bene diſtinctum, breues & confuſi (vt ita dicam) ſomni ipſorum fiunt; ac propterea ſomnolenta tota, ac tota quoque vigil ipſorum vita eſſe cenſetur. Vt autem ſingula dilucidentur, quoad fieri poteſt optime, neceſſarium eſt, vt explicetur primum, penes quid ſomnus attendatur, & omnino in quo conſiſtat eius natura, quod, ſi memores erimus eorum, quæ dicebamus in principio, facilime diluetur, ſi videlicet cognouerimus, in quo eidem oppoſita vigilia conſiſtat: hæc autem, vt omnibus patet, eſt quædam ſolutio, & expedita promptitudo animalium facultatum, ac potiſſimum ſenſus, earumque expedita agitatio ſecundum actum; igitur ſomnus in quiete illarum operationum, & potentiarum ligamento, ac quaſi vinculo conſiſtit, vt perinde fateri liceat, ſomnum non eſſe operationem aut actionem aliquam, ſed quietem actionum & operationum quarundam ipſius animæ: eſt enim vt quies ſenſiuæ ac motiuæ facultatis; dicitur autem animalis affectio, vt proprium vel paſſio. Sed an non in ſola quiete conſiſtit? Hoc etenim repugnat Ariſtoteli in ſuo libro de Somno, cum diceret, non in otioſos eſſe ſenſus ſomnus conſiſtit; deinde repugnat ſenſui,

quo-

quoniam ſæpe fit, vt ſenſuum omnium functiones, & facultatis motiuæ intercipiantur: ſomnus tamen non eſt, quemadmodum efficitur in defectionibus animæ, in apoplexia & ſimilibus affectibus: poteſt etiam accidere, vt omnes ſenſus vere quieſcant cum motiuo principio; animal autem non dormiat, vtpote ſi viſus non videat, auditus ob ſomni priuationem non audiat, tactus non ſentiat, ac cæteri eodem pacto quieſcant ab actionibus propriis. Reſpondeo, quod vti vigilia non conſiſtit in actuali ſenſuum operatione, & principii motiui, ſed quadam expeditione libera & actuali promptitudine ſolutioneque, qui eo modo ſe habeat, vt ſi offerantur obiecta, & amoueantur impedimenta, quamprimum ſentiat: ille enim tametſi non ſentiret, erat tamen promptus & expeditus ad ſentiendum, ſi ſingulorum affuiſſent obiecta, eodem modo non in ſola vacatione illius operis conſiſtit ſomnus, ſed in compreſſione & ligamento ipſius ſenſus & motiui principii, & in non habendo illam promptitudinem actualem expeditam ad actionem aut paſſionem perfectiuam, vtpote non exiſtente libero ſenſus ipſius principio: at neque, ſi ita eſt, in omni ſenſus compreſſione vacatione que conſiſtit, ſed in ea potiſſimum, quæ veluti quies eſt, & ſolui poteſt cum ſit expergiſibilis, non autem vt vigilandi impotentia

ob

ob aliquem morbum effecta, per quam ſenſus & motus omnino ſupprimatur, quemadmodum fit in apoplexia & animi deliquio: illa enim affectio ſomnus eſt, aliæ vero impotentiæ vigilandi & morbi quidam, in quibus ſenſus non poteſt ſolui & expergiſci.

Capvt II.

Quæ actiones per ſe intercipiantur in ſomno.

Nvnc vero ſequitur, vt explicentur tres præcipuæ difficultates. Prima earum eſt, quales operationes in ſomno intercipiantur, vt ſicut diximus expeditæ non poſſint apparere, ſi vero non omnes intercipiuntur, quamobrem id fiat. Altera eſt, cuius potentiæ ſit affectio. Tertia, cuius gratia ſit homini, ac cæteris animalibus conſtitutus; ſunt etenim animalium actiones operationeſque variæ, nimirum opera vegetalis animæ, principii ſenſitiui, ſecus locum motiui, & intellectus, quas Medici trifariam diuidunt in actiones naturales, vitales & animales. Nemo (vt arbitror) ignorat hæſitatque in ipſa ſomni compreſſione liberas eſſe, & omnino ſolutas naturales facultates, quantum ad actiones illarum pertinet, cum quibus coniungenda eſt facultas ipſa vitalis, quippe quę, vt placet Ariſtoteli, non eſt diſtincta niſi ratione à virtute nutrice, illarumque operationes non minus inter

inter dormiendum, quam in vigilia expeditæ apparent: nam quælibet concoctio alteratioque nutrimenti fortaſſe melius in ſomno perficitur, & naturales quoque omnes excretiones familiares, exceptis iis, quæ ſponte aguntur præcedente aliquo appetitu animali, illæ namque in vigilia fiunt; quapropter dicere ſolebat Galenus, ſomni concoquunt, & vigiliæ digerunt; ideoque ſomno iam incumbente vis nutritiua & augens agunt, munúſque exercent ſuum; generatiua vero ſuo etiam agit modo, non prout agit in alio, ſed quatenus præparat ſemen, quod eſt ferme principium generationis in iis, quæ ex ſemine fiunt, ac denique omnes illæ facultates agunt in ſomno, quæ naturaliter operantur, & actiones habent non ſpontaneas. Ac neceſſarium erat, vt illæ potentiæ naturales nunquã eſſent otioſæ, ſiue quietem aliquam interponerent labori: primum ex neceſſitate operationis, quoniam vis nutrix & vitalis, vt cenſet Ariſtoteles, ſunt idem ſubiecto: nam dicitur nutrix, prout formam mediante nutrimento cõſeruat in materia; vitalis autem, prout ſingulas partes fouet mediãte calore imperticns illis eſſe & permanentiã, cuius virtutis interceptio interitus eſt; igitur quieſcere non poteſt iſta facultas, ſi viuere debet animal; quin etiã per opus illius vita quotidie laceſſita reficitur, vt perinde diceret Ariſtoteles, nos tãdiu viue-

viuere, quamdiu nutrimur; quapropter opus erat, hanc ipſam virtutem aſſidue vigilem eſſe, hoc eſt, actu agentem ſine intermiſſione ob vitæ incolumitatem: amplius operatio ipſius ſibi vigorem addit, quies ſaltem imbecillitatem parit; quamobrem magis agendo, quam quieſcendo reficitur, veluti ignis, qui ſi quieſcat, langueret & flacceſceret: ſi vero vel moueatur, vel etiam agat incombuſtibile, ſemper vires acquirit agendo. Eodem itaque modo & animal totum, & ſingulæ ipſius partes, & virtus, ſiue inſtrumentum illius magis vigent, & robur maius acquirunt, ſi circa alimentum agant aſſidue, vtpote quod ab illo reficiuntur, & vigorem aſſumunt, ac omnino anima, quæ forma eſt, ſeruatur in materia, vel etiam ſi ſupra hoc aliquid reponatur, fit acceſſio ad magnitudinem. Præterea cum neceſſaria eſſet hæc operatio, ipſa per ſe neceſſitas procurat aſſiduitatem operis & actionem ſine intermiſſione. Deinde confirmatur ex parte potentiæ, ſiquidem facultates naturales ſunt magis affixæ in membris, atque ad agendum non requirunt conſenſum & cognitionem aliquam, non mouentur ab extrinſeco, ſed mouent, & agunt naturaliter, ſuumque ſubiectum & paſſiuum coniunctum eſt: & ſi conſideremus inſtrumentum, videlicet calorem natiuum & influentem, hic operi ſemper incumbit, & quia naturaliter agit, ſemper eſt

ad

ad agendum expeditus, imo ad actionem fortaſſe promptior eſt in ſomno, cum calor ad infernas profluat ſedes, ac viſcera illa fiant ob id longe calidiora, tametſi minor appetentia ſub id tempus exoriatur, quoniam corpus minus diſſoluitur & diſſipatur propter quietem & ſpiritus contentionem. Deinde ex parte obiecti, ſiquidem alimentum, quod eſt obiectum virtutis nutrientis, æque præſens eſt, & æque ad patiendum idoneum, quin etiam ex actionum ipſarum natura; illa etenim opera paucioribus indigent: at ſenſus & motus vnius præſertim partis expeditionem, & quemadmodum imbecilliora ſunt inſtrumenta ſenſuum & actiones ſpontaneæ, ob id facile poterat illis accommodari nonnulla quies: itaque hoc etiam opus erat ratione finis, quemadmodum ſuperius dicebam; quapropter ex omni capite neceſſarium erat, vt facultas quælibet naturalis agenſque ſecundum neceſſitatem ſuas aſſidue exerceret functiones, nec minus in ſomno, quam in vigilia. Sed quoniam, vbi ſomnus obrepit, videmus extemplo ſenſus omnes intercipi, ac pariter motum, adeo vt ſingula ſenſoria conniueant, aut torpida fiant, vis corporis rectiua ſuccumbat, & corpus ipſum animalis procidat, ac tanquam immobile ſtupidumque requieſcat ſub quadam mortis imagine: idcirco ſequitur, ſomnum conſiſtere in quadam vacatio-

catione & quiete ſenſus & motus primo, ſed quoniam motuum, qui fiunt in corpore animalis, alii ſunt naturales, quemadmodum eſt motus arteriarum, alii ſunt animales & ſpontanei, quorum alii ſunt neceſſarii ad vitæ incolumitatem, alii nequaquam neceſſarii: hinc fit, vt motus naturales, quorum principium non eſt in nobis, id eſt, qui non efficiuntur ſponte, & electione aliqua, non ſupprimantur in ſomno, quemadmodum dicebam eſſe motum arteriarum cordis & cerebri, qui exurgente ſubſidenteque ſpiritu aut calore generatur. Cum etenim cauſa iſtius motus ſit neceſſario agens, nulla vis ſomni poteſt illum cohibere: aliorum vero, qui ad vitæ conſeruationem ſunt neceſſarii, neque etiam ſupprimuntur, quemadmodum eſt motus diaphragmatis, pulmonis & muſculorum totius thoracis, qui quidem motus tametſi ſpontanei ſint, cogente tamen ſumma neceſſitate ſemper efficiuntur, niſi aliquid violenter obſiſtat: mouet enim agitque ita neceſſitas, vt ille motus, ad quem momentum habet appetitus, videatur neceſſarius & naturalis: nobis etenim non eligentibus ſemper efficitur, inuitis autem non efficeretur, quod ſatis eſt ad naturam motus animalis & ſpontanei; alii vero motus, qui talem ac tantam neceſſitatem non habent, in ipſo ſomno comprimuntur, compreſſo nimirum (vt dixi) ſenſu & princi-

pio

pio illius. An vero pueri dormiant in vtero, vt pulli in ouo, cum neq; moueantur, neq; ſenſuum vlla motione agantur, difficile videtur eſſe, & non inutile ad hanc rem illius explicatio? Arbitror equidē, illos neq; dormire, neque proprie vigilare: ſomnus enim atq; perfecta vigilia ſunt affectiones animalis perfecti, & ſecundum naturam abſolutioris, illi vero imperfecti ſunt, & nequaquam, vt decet, abſoluti: neq; enim vigilia illis conueniret eo tempore; tunc enim non nati ſunt vti officio ſenſuum, vt manifeſte patet: nam proficere nihil poſſent, & fortaſſis non haberent conuenientem diſpoſitionem inſtrumentorum; cum igitur vigilia nondum fieret, ex neceſſitate debent eſſe expertia ſomni: nunquam enim priuatio eſt ante habitum, quod inſuper confirmatur teſtimonio Ariſtotelis in libro Prędicamentorum, capite de Oppoſitis: dicebat namq;, priuationem eſſe negationem in ſubiecto apto nato; ac propterea catulum ante nonum diem non eſſe priuatum viſu, quoniam eo tempore non natus eſt videre. Cum itaq; animal in vtero non ſit aptum vigilare, nequaquam dormit; patet autem, illud non vti ſenſu ſecundum actum, vel ſi ſentiat doleatque, non animaduertere, ſe ſentire atq; dolere, nullo etiam cietur motu, niſi forſitan obſcuro, qualis accidere ſolet ſtupidis, imo etiam neque reſpirationem habet, qui mo-

tus alioqui eſt tantopere neceſſarius ob ſalutem caloris, atq; illa profecto ratione quando aut in vtero ſit, aut in ouo, imperfectum quoddam eſt, & tanquam ciuitas nondum optime formata, ac legibus inſtituta, primæ illius partes ſunt admodum immaturæ & imperfectæ, calor proprius valde profuſus, ac longe hebetior, & ab initio aſſuetus carere illo motu, gaudens tamen quadam tranſpiratione: cum autem incipit adoleſcere & maturius eſſe, parteſque fieri perfectiores, & calor longe validior, & magis collectus in ſuo principio, tunc reſpiratione incipit egere, & quo foras ſecedat, vel rumpit putamina, aut ipſas ambientes membranas dirumpit & lacerat, nunc autem ad illud reuertamur: cum enim tale animal imperfectum exiſtens nullo vtatur ſenſu, nec etiam motu reſpirationis, opinor eius vitam eſſe ſimilem vitæ plantarum, & propter ſenſuum interceptionem poſſe appellari ſtupidam vigiliam, & affectionem quandam eſſe ſimilem ſomno, vtpote vigilandi quandam impotentiam, cum vigilare tunc temporis ſit ineptum, atque habere quoſdam gradus, vtpote quod nonnunquam propter aſpirationem corpulentam ad caput habeat principium magis aggrauatum minuſque ob id expeditum, alias autem longe magis ſolutum.

Capvt

Caput III.

Cuius animæ facultatis ſit affectio per ſe primo.

CVius autem potentiæ affectio ſit, modo eſt explicandum: iam enim in ſuperioribus demonſtraui, operationes nutricis potentiæ in quolibet ſapore ſolutas eſſe & expeditas. Hinc ergo manifeſtum eſt, ſomnum non eſſe affectionem illius facultatis: nam plantę etiam obdormirent, & fœtus in vtero, atq; adeo vera eſſet opinio Democriti, quam paulo ſuperius confutaui. Neque etiam eſt affectio intellectus, quoniam ſi modo aliquo comprimi poſſet, non eſſet vtique neceſſarium, ex eius compreſſione ligari ſenſum & motum: ſequeretur etiam, non fieri ob aliquam organi affectionem; ipſe enim eſt inorganicus & immaterialis omnino, & quoniam impaſſibilis eſt, & per ſe ipſum non defatigatur, ſed intelligendo perficitur ac illuſtratur, & à perfectiſſimis rebus longe magis vigoratur, vt inquit Ariſtoteles tertio de Anima tex. ſeptimo, ac denique ſomnus eſſet affectio hominibus duntaxat propria: nam cætera expertia ſunt intellectus & rationis. Conſequens eſt igitur, vt ſomnus atque vigilia ſint affectiones ipſius ſenſus & principii motiui, cuius concluſionis non oportet aliunde quęrere rationes, cum ſit expoſita ſenſui; vide-

mus enim, omnes vigilantes ſenſuum motione agitari, & ad motum eſſe procliues, motũ, inq̃, vel perfectũ progreſſionis, vel imperfectum & obſcurum, qualis eſt motus dilatationis & conſtrictionis, qui tum ratione ſenſus, tum ratione alimenti, vt extenderentur, ad illius ſuſceptionem videtur eſſe neceſſarius. Ex ſomno præterea illos proſtratos iacere, ac decumbere interceptis ſenſuum muneribus, & motu nullo, qui voluntarius ſit & ſpontaneus, atque omnino neceſſarius, cieri, vt nemini propterea dubium videri poſſit, quin ſomnus ſenſiuam præcipue partem animæ ac motiuam occupet, ſenſum autem primo. Et propterea Ariſtoteles primo libro de Plantis nõ procul ab ipſo principio, cum demonſtraret, plantas eſſe expertes ſomni, dicebat, ſomnum eſſe imbecillitatem quandam & quietem ſenſus, & quemadmodum vigilia eſt motionis agitatio, ita ſomnum eſſe illius motionis quietem. Cum vero ſpontaneus motus per appetitum fiat, hic autem ſubiecto & natura idem ſit cum ipſo ſenſu, (loquor enim de appetitu ſenſitiuo) conſentaneum perinde eſt, vt ſomnus non modo officium ſenſus, verum etiam motionis hoc genus intercipiat. Et quoniam intellectus coniunctus eſt cum ſenſu, & requirit phantaſiam tanquam ſociam in operando, ipſaq; intellectio à phantaſmatibus dependet; propterea efficitur,

tur, vt compreſſo primo ſenſitiuo dormientes abſtineant ab opere ipſius intelligentiæ: atqui neceſſarium erat, ſomnum eſſe vinculum & quietem tam ſenſus quam motus, tum ratione communis laboris, vt cenſebat Ariſtoteles citato loco, tum ratione principii communis, quod affici videtur in eo, tum ratione inſtrumenti ac ſpiritus, qui communiter ſentiendi mouendique facultatem cunctis partibus adducit & abducit, tum etiam ratione ſubordinatę analogiæ, ac denique ratione finis, vt paulo inferius explicabo. Sed cuius ſenſus, aut quorum ſenſuum procuratione (ſi modo plures habeantur) fiat, hoc certe maiorem habet dubitationem. Porro (vt antea ex opinione Ariſtotelis declaraui) reperitur in animali quidam ſenſus primarius, quem ab ipſa functione aut propria natura communem appellauit, & quinq; deinceps alii aſſidentes famulātesq;, qui veluti foris aſtant ad cuſtodiā vitæ, tanq̃ emiſſarii & internuncii, quippe qui extrinſeca intus referant; propterea emergit dubitatio, ſi ſomnus eſt q̃dam paſſio affectioq; ipſius ſenſus, an ſit ſenſus principis, vel potius alicuius particularis, aut particularium omnium? Reſpondeo ex mente Ariſtotelis in ſuo libro de Somno, eum per ſe primo eſſe paſſionem primi ſenſus, aut dicas primi ſenſitiui: nihil enim refert, ſiquidem impoſſibile ſit comprimi ſenſum cōmu-

nem citra compreſſionem aliorum. Ait namque Ariſtoteles hoc modo, eiuſmodi ſomnus comitatur ſenſum, qui in prima ſentiendi facultate oritur; atque ibidem aliis verbis ſic: itaq; conſtat, huiuſce ſenſorii tum ſomnum, tum vigiliam eſſe affectiones, eaſque ob id ipſum omnibus tribui animalibus, quod inſuper confirmauit ratione validiſſima. Illius ſane, inquit, affectio eſt ſomnus, qui cuncta fouet ſenſoria: ſenſus princeps eſt huiuſmodi; ergo ſomnus eſt primum ipſius affectio. Maior eſt ſatis manifeſta, cum pateat, in ſomno totum totaliter ſenſum eſſe interceptum; minor vero probatur, quia ſenſus ab vna prima parte, in qua eſt ſenſus communis, per cæteras miniſtratur, aut cum vnus ſit, ſicut tota natura animalis eſt vnà, ab vna tamen primaria parte dependet totus, qua quidem parte aut non influente in alias nullum ſenſorium externum idoneum eſt ſenſationi & motui, velut lumen, quod à ſolari corpore communicatur huic hemiſpherio ab vno compreſſo extinguitur totum, aut ipſa tanquam principio ſentiendi compreſſa confeſtim intercipiantur alii. Cum itaque hic ſenſus in alios influat, ſiue in alia ſenſoria, aut principantis coniuncti analogiam habeat ad illa, & non econtra neceſſarium erat, vt ſomnus ipſum primo ſequeretur; quapropter ex vacatione aliorum ſenſuum non efficitur ſomnus: ex

quic-

quiete vero & vacatione iſtius cæteri ſilent, & ſtatim ſomnus obrepit, vniuerſo ſimul compreſſo ſenſu interceptoque. Id etiam confirmatur: nam ſomnus facit compreſſionem totius ſenſus, & vacationem quandam, totus autem non ligatur & opprimitur, niſi principio ipſo compreſſo: conſequens igitur eſt, vt ſomnus ſit affectio, paſſioque primo conueniens primario ſenſitiuo; tale enim ſenſorium, ſi forte ſentire non poterit, cætera quoque nullo afficientur ſenſu. Præterea eiuſdem facultatis eſt ſomnus atque vigilia, cum ſint oppoſiti, ac proprie non ſit aliud, quam orbitas vigiliæ; ea vero eſt paſſio primum huiuſce principii, tanquam illius ſolutio, & expedita promptitudo; ergo ſomnus eiuſdem ſenſus eſt affectio. Quod autē eadem parte tam ſomnus quam vigilia fiat, non modo ratione oppoſitionis eſt manifeſtum, verum etiam aliter, vt probauit Ariſtoteles: nam ſi per vnam partem natura dediſſet ipſum ſentire, quod eſt in vigilia, aut ipſamet vigilia, per aliam vero non ſentire, quod eſt in ſomno, profecto accideret animal ſimul ſentire, & non ſentire: cum enim diſtinctæ eſſent potentiæ, & modo quodam contrariæ, nulla ratione ſubordinatæ ad actionem, neque coniunctæ, poſſibile eſſet, vt per vnam ſentiret, per alteram autem non ſentiret. Prǣterea (vt ad rem noſtram reuertamur) pro-

 batur

batur experimento ſenſato: ſunt etenim plurimi, quos inter dormiendum viſa frequentant atque perturbant, ita vt vigilantium opera videantur exercere; vident namque & forſitan audiunt, dormiunt tamen, ſed illud prorſus mirabile eſt, quod videntes ſe videre non animaduertunt, nec aliud quicquid faciant, eſt ipſis exploratum, vt potius agi, quam agere videantur. Alia igitur facultas eſt, quæ ſoporibus afficitur primo, atque hæc eſt illa facultas, quæ meritiſſimo nomine poteſt appellari facultas animaduerſiua, illa, inquam, quæ eſt ſenſus communis, quoniam veluti pro tribunali aſtando in ſede illa regia ſingulis ſenſoriis proſpicit, & eorum alterationes motioneſque diſcernit & luſtrat, quaſi vero ſtupida ſint cætera ſenſoria, niſi vel illa ſit expedita, eiuſque vis non foueat illa, & quaſi ſpiritali (vt dicam) luce perluſtret. Poſtremo in ſomno ſupprimitur ſenſus & motus tanquam actiones quodam pacto ſpontaneæ, quarum principium non eſt neceſſarium ſemper agere; igitur eſt paſſio ſenſus communis: is enim ad motum etiam momentum habet per appetitum, qui fit in eo, ſed quamuis illius dicatur primum adæquate, tamen eſt totius ſenſus, ſed per illam partem principem.

Capvt

CAPVT IV.

Cuius finis gratia factus eſt ſomnus animali.

SED cuius finis gratia ſomnus habeatur, & quales per ipſum vtilitates animalibus fiant, conſiderationem habet conuenientem. Primum vero oportet ſcire, quod ſomnus non eſt finis animalis, neque potentiæ alicuius, ſiquidem natura cuncta molitur alicuius gratia, ſomnus autem quam vigilia deterior eſt: nam melius eſt ſentire & agere, quam nullo modo ſenſibus vti & eſſe otioſum, & omnino præſtantius eſt eſſe actu, quam potentia; igitur vigilia potius eſt animalium finis & facultatum eorum. Præterea ſenſus & motiua potentia ad vitæ cuſtodiam ordinantur primum, ſed illam alacriter cuſtodiam tuentur in vigilia, quando ad agendum ſunt expediti: vigilia igitur eſt finis animalis, quin etiam propriæ operationes functioneſque potentiarum ſunt earum fines, vnde dicebat Ariſtoteles, animam eſſe primum principium quo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus: r. tus, iſtas operationes eſſe fines ipſius animæ, & potentiarum eius, ac plane abſurdum videretur, vt ſenſus minime ad ſentiendum, ſed ad quietem illius operis eſſet præordinatus; potius itaque rationem finis obtinet vigilia, quam ſomnus. Sed quoniam animal

ex nimio peruigilio vires ſubmittit, & vigor illius quodam pacto decumbit; idcirco talem quietis tranſlationem ad ipſam vigiliam aptare oportebat: enimuero ſi propriam naturam animal ſeruare voluerit, quædam habere oportet, ſine quibus res perperam eueniret. Quis enim ſatis eſſet diutius vitam ducere ſine quietis interpoſitione? Somnus igitur velut quies neceſſarius erat: omnia namque ſenſuum inſtrumenta & motionis laxantur, ſpiritus poſt diuturnam actionem celereſque motiones diſſipantur & flacceſcunt; itaque propter eorum imbecillitatem & diſſipationem neceſſaria erat aliqua tranſlatio quietis, vt partim vires reſumerent, partim etiam reficerentur: labor autem corpori potius quam potentiæ referatur; ſiquidem labores, impotentiæ, debilitates & ineptitudines aſſcribuntur animæ & potentiis eius propter inſtrumenta corporea, quibus familiariter ſunt concretæ. Quapropter dicebat Philoſophus primo de Anima, ſi ſenex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, accipiendo tamen cum oculo ſingula inſtrumenta, ad hanc actionem neceſſaria. Intellectus autem neque propter ſe, neque ratione inſtrumenti corporei fatigatur aut debilitatur; nihil enim commune habet ipſius actio cum inſtrumento materiali. Ex his ergo manifeſtum eſt, cuius gratia ſomnus contingat animali, &

quæ

quæ ſint eius vtilitates: prima quidem eſt, vt per huiuſcemodi quietem ſingula ſenſoria & inſtrumenta ſenſuum atque motionis poſt aſſiduos labores vigiliæ recreentur, ac ſubinde magis alacriter & expeditius poſſint reuerti ad proprias functiones, ac potiſſimum ratione primi principii, quod cæteris dominatur, & influit, tum ratione ſpirituum animalium, qui per ſomnum recreati, ac denuo ad ipſos facta acceſſione euadunt ad omnem actionem magis idonei, quemadmodum experimur dum expergiſcimur, ac propterea matutinæ actiones, ac præſertim cogitationes & ſtudia ſolent eſſe præſtantiores. Præter has dictas vtilitates ferme omnes addunt aliam, exiſtimantes ſomnos ad coctionem conferre, vtpote quod retracto ſub id tempus calore, ad viſcera & ſedes infernas concoctio melius procedat, tam ea, quæ fit in ventriculo, quam illa, quæ fit in hepate, in venis & corde. Addunt etiam omnes cruditates in vigilia derelictas, ſi ſomnus eas excipiat, concoqui, atque id non modicam afferre vtilitatem ad animalis ſalutem; id quoque videtur aſſeuerare Ariſtoteles in libro de Somno, cum diceret, ſoporibus oppreſſo animali ſolutam eſſe facultatem alteratricem, ac ſignum eſſe, quod nutritiua particula opus ſuum facit in dormiendo magis, quam vigilando: tunc enim nutritur & augetur magis, vt-

pote quod ſenſus, qui in hoc ſomno ſupprimitur, ad eiuſmodi functiones proficere nihil valeat. Ego tamen arbitror, ſomnum eſſe vtilem coctionibus, ſed illa potiſſimum ratione, quod per ipſum caloris ſubſtantia inſtauratur, quæ alioqui in ipſa diſſoluitur vigilia, quæ ſi diutius citra vllam ſoporis quietem perſeueraret, nulla concoctio bene ſuccederet, quemadmodum experimento videmus aſſidue, ſi videlicet aliquis diuturna torqueatur vigilia, fit languidus, nauſeabundus, & expers appetentiæ, ac ſi quantumuis comedat, non ſatis concoquit, nec etiam recte nutritur: ſi vero vigilia fuerit moderata, & debitis compenſata quietibus, per ipſum ſomnum redditur aptior ad coctionem, ac ſi vigiliæ labor addatur, atque exercitatio corporis longe magis, quam ſomnus, cõcoquit. Sed quoniam in ſomno efficitur concoctio & nutritio citra magnam diſſolutionem; propterea videmus, animalia in eo melius nutriri, ac refici, hæc omnia patent: experimento ſiquidem videmus, illo tempore minorem appetentiam fieri; fames enim citius ac vehementius inuadit, vellicatque vigiles, quam ſomnolentos, & nuper à ſomno excitatos, tametſi noctem duodecim horarum obdormitaſſent; videmus agreſtes homines, & operarios omnes minus abundare cruditatibus, profuſius vti cibo & potu, & cibis veſci ſolidio-

dioribus, quoniam exercitatio & labor ſiue conatus calorem intendit; itaq; ſubſtantiam tum diſſipat, tum coctiones accelerat: at quēadmodum exercitatio ſi quietibus compenſetur, facit robur, ita vmbratilis & ſomnolenta vita facit deſidiam, & membrorum effœminationem; & ideo ſegnius agit calor animalis in hiſce quietibus, quā in vigilia, præſertim operoſa, & quadantenus iuncta labori.

Capvt V.

Quænam pars corporis ſit ſedes ſoporis.

Modo conſequens eſt, vt quæramus, qua parte corporis ſomnus fiat. Nonnullis fortaſſe videretur eſſe affectionem totius, & nullam ſibi partem corporis determinatam præſcribere ac definire: nam quies eſt & copula totius ſenſus & motus: vtraq; vero potentia eſt fuſa per totum; igitur ſomnus eſt affectio paſſioque totius, in quantum totum, & non per aliquam partem, denominat quoque totum animal, totum quieſcit, non vna pars determinata; igitur totius eſt paſſio: quin etiam totius videtur eſſe vigilia: nam ſingulis partibus vigilare, id eſt, ſentire & agere aliquid, competit; ergo totius etiam eſt ſomnus. Sunt denique nonnulla animalia, quæ carent cerebro, corde, & hiſce primis partibus, illa tamen dormiunt. Ariſtoteles autē & Galenus deuenerunt in aliā opinionem, ſiquidem ab

ipſa

ipſa rei natura conuicti opinabantur, ſomnum eſſe affectionem totius quidem, ſed per vnam duntaxat principem partem, à qua ſenſus pariter atque motus cæteris partibus impertiretur, aut quæ faceret illis conſenſum aliquo pacto, ita vt per eſſentiam illi primo conueniat, cæteris autem per conſenſum, quemadmodum ſi lux huius hemiſpherii pendet ab vno principio, nimirum ex Sole, ſi principium iſtud obſcurum fiat, totus aer tenebris obducetur, iſta tamen obſcuratio per eſſentiam competeret Soli: per conſenſum autem & participationem, ſiue per modum ſequelæ aſſcriberetur aeri, nec alio pacto extingui atque intercipi poſſet tota lux ſeu lumen, niſi lucis ipſo compreſſo principio. Eodem igitur modo ſenſus animalis comprimi debebat, per vnius duntaxat principis partis compreſſionem. Hoc perbelle tetigit Ariſtoteles in libro de Somno cap. ſecundo, cum diceret hoc pacto; nam ſi eo quod omnes patiuntur aliquid ſenſus, fieret ipſum dormire, inconueniens eſſet, quibus neque neceſſe, neque poſſibile eſt aliquo modo agere ſimul, hos vacare ſimul, & immobiles exiſtere: contrarium enim rationabilius accideret, eis non ſimul quieſcere, volebat his verbis inferre, quod ſomnus non conuenit ſingulis ſenſoriis aut ſenſibus per propriam aliquam ipſorum diſpoſitionem, ſed per aliquid, quod eſt com-

commune omnibus, per illam ſcilicet communem facultatem, quæ æquabiliter cuncta fouet ſenſoria, & ſingulis proſpicit in ea principe corporis parte aſſiſtens; nam ſenſus per id, quod proprium habent, neque poſſunt ſimul agere, ac multo minus quieſcere & vacare ſimul, ac ſi neceſſe eſſet iſto modo in ſomno ſimul quieſcere, profecto neceſſarium eſſet etiam in vigilia ſimul agere, quod eſt abſurdum; conſequentia tamen eſt manifeſta: nam ratio eadem eſt contrariorum, ſiue oppoſitorum omnium. Ac propterea ſubiunxit Ariſtoteles, rationabile eſt, vt ſomnus per primam partem fiat, à qua dependent aliæ ſecundum virtutem: dum enim talis pars aliquid patitur, neceſſe eſt etiam, alias per conſenſum pati, & ſi comprimatur hæc, alias intercipi, ac ſi modo aliquo impotens fiat, illas infirmas & inualidas reddi. Ac denique ſi ſomnus (vt antea probauimus) eſt affectio vnius ſenſus principis; conſentaneum erat, eundem eſſe affectionem alicuius primæ partis corporis, quæ ſedes eſſet eiuſdem facultatis, [illegible]iones aliorum facilime diluentur; & propterea non oportet de illis curam habere. Veruntamen quæ ſit iſta pars princeps, in qua ſom[illegible] primo fiunt, & cuius exiſtit paſſio quaſi per [illegible]ſentiam, non omnes inter ſe conſentiunt, [illegible]tque inter cæteros Ariſtoteles & Galenus [illegible] fulmina belli in hac re fuerunt diſ-

 ſen-

ſentientes : itaque cum aliter ſentirent de principio ſenſus, neceſſarium etiam fuit, vt ſequerentur concluſiones diuerſæ; Ariſtoteles enim cenſebat, præcipuam ſedem ſoporis eſſe corpus cordis, quoniam ipſum cenſebat eſſe primam ſedem non ſolum ſenſus & motus, verum etiam totius animæ, ac reprehendebat Platonem quaſi trifariam diuidentem animam, ac triplex conſtituentem principium, cerebrum ſcilicet, cor & iecur, vtpote quod cerebrum eſſet ſedes facultatis animalis & rationis participis, cor vitalis ſiue animoſæ, iecur denique concupiſcentiæ; quamobrem ille Princeps Peripateticorum exiſtimabat, idem cor eſſe neruorum principium, quemadmodum ait ſecundo de hiſtoria animalium capite quinto, quippe qui videntur eſſe inſtrumenta ſenſus & motus, & proceſſus, per quos currules vocati ſpiritus emittuntur, atque in eandem ſententiam deſcendit Eraſiſtratus, ac plerique aliorum, qui ex mente Ariſtotelis citato loco cenſebant, cor eſſe radicem neruorum potius quantum ad materiam, quam ratione formæ: eam enim n cerebro videntur aſſumere, ab ipſo ete im corde dicebat Ariſtoteles procedit aorta ena valde nerusa in parte illius caua, & ab eodem principio exortum ducunt arteriæ, quæ ſtatim vbi ad cerebrum aſcenderint, aut dilatantur explicanturq;, & in membranas degenerant

rant duplices illas meninges admodum nerueas, & ſenſu præditas acutiſſimo, aut multæ ſimul complicantur & coaleſcunt, ac generatur neruus teretem habens figuram, vel etiam, vt cenſet Eraſiſtratus, ab ipſa membrana cum in teretem figuram dehiſcit ſciſſa per ſubſtantiam cerebri, quo etiam pacto efficitur ille admirabilis retiplexus cerebralis, ſenſus & operationis non exigue, ac profecto videtur neruus arteriam referre in ſubſtantia & colore, nec poterat eſſe ex ſubſtantia cerebri, quoniam laxum eſt, & ſenſus expers, atq; ita videbatur opus eſſe: cum enim nerui officium eſſet, ſpiritus deferre & miniſtrare ad motus, & ſenſus commoditatem ex re aliqua cauum habente debebat generari; itaq; ex multis arteriolis, cauis quidem, ſed ſimul coaleſcentibus ortum ducit, & quemadmodum ſpiritus ex arteriali generatur ſanguine, illoque ſinceriſſimo, non immerito per eaſdem arterias magis vnitas glomerataſq; ſe iterum inſinuat ſeparatus à ſanguine, & à cerebri attemperatus natura, quæ & ſanguinem magis ſincerum obtinet, & calorem ſatis conuenientem; itaque videntur ſubinde nerui omnes ex ipſo cerebro generari quantum ad formæ conſtitutionem, vel etiam ab ipſa ſpinali medulla, quæ proceſſus cerebralis eſſe videtur, atque ſi arteriæ & venæ ſenſum habent, videretur Ariſtoteles & Eraſiſtratus optime ſentire,

quod tamen confeſſus eſt etiam Galenus ſexta Aphoriſmorum commento quinto: cum enim diſtingueret renis inflammationes, vtpote quod alia carnem ipſius afficit, quæ dolorem inuehit aggrauanti ſimilem; aliis vero partibus, quæ ſunt in rene patientibus, dolor ſentitur acutus, appello, inquit, alias partes tunicam hunc obtegentem, & ventrem eius interiorem, & eas, quæ ad hunc terminantur, arterias & venas; ac præterea productiones vaſorum vrinariorum. Hoc etiam confirmatur illo indicio, quod ſtatim, vbi generari occeperit animal, animaduertitur in principio cor imperfectum quidem, ſed ſenſum quadantenus habens, vt perinde videatur, ipſum eſſe principium ſentiendi. Itaque ob illas rationes Ariſtotelis, tum etiam alias, quas ego, ne longior eſſem, dimiſi, ait ex profeſſo in libro de Senſu & Senſili iuxta finem, ac tertio de partibus Animalium cap. quarto, cor eſſe totius ſenſus & motionis principium, eaque ratione ob variam cordis diſpoſitionem ſenſum eſſe difformem; ait enim, ea, quæ ſenſum habent hebetiorem & magis ineptum, cor ipſum habere magis durum & ſpiſſum: at contra quæ mollius & alacrius illud habeant, ſenſu & motus agilitate pollere; & ſecundo de Partibus cap. decimo ait hoc modo: Sed enim principium ſenſuum eſſe cordis locum definitum iam eſt, cum de ſenſu ageremus. Et ibidem

dem paulo inferius inquit ſequentibus verbis: cerebrum vero parte capitis priore continet omnia, quibus hoc datum eſt, quoniam id, quo ſentiunt, in parte priore corporis ſitum eſt; ſenſus enim prouenit à corde, quod parti priori commiſſum eſt, ac manifeſte in illo capite demonſtrare conabatur, cerebrum non eſſe principium ſentiendi, quoniam eſt exangue ſqualidum & inſenſatum, quemadmodum ſunt omnia excrementa. Cum igitur tot tantiſque locis explicaſſet, cordis molem eſſe principium ſenſus, ac præcipuam ſedem animæ, conſentaneum erat, illum ſtatuere ſomnum, qui vt quies eſt & vinculum ſenſus ac motus, in corde fieri. Sed quoniam nonnulli voluerunt extorquere & trahere mentem Ariſtotelis ad libitum proprium, dicentes, eum putaſſe, cor eſſe principium ſenſus & radicem; ſed quoniam cerebrum pars eſt operum manifeſtatiua, aut contemperans ſpiritus ſeu pars, vnde procedunt formati nerui, ob id ſomnum in cerebro fieri, etſi poſſit aſſcribi deinceps cordi per modum ſequelæ, aut per conſenſum, vtpote quod cerebrum pars eſt illi conſentientiſſima; propterea non erit inutile, afferre quædam ipſius teſtimonia, vt certiores fiant, illam non eſſe opinionem Ariſtotelis, ſed propriam ipſorum fictionem. Ac primum videte in opuſculo illo de Somno & Vigilia, vbi dicebat, expreſſe ſomnum eſſe

affectionem primi ſenſitiui, ac tertio eiuſdem operis capite, cum ſtatuiſſet, cor eſſe principium ſenſus, mox ait (ſi vero eſt ſomnus & vigilia paſſio partis huius, &c.) & alias dicebat, ſomnum eſſe refrigerationem primi ſenſitiui. Cum autem explicaret, quomodo efficiatur illa refrigeratio in illo principio ſenſus, nimirum in corde, inquit, euaporationem corpulentam in cerebro refrigeratam, ſtatim deſcendere ad inferiores ſedes, ac refrigerare cordis calorem, vt perinde vis ſenſitiua & motiua, quæ ab illa parte procedit, comprehenſa non poſſit in opus ſuum incumbere. Hoc etiam ſatis expreſſe confirmauit in primo libro de hiſtoria plantarum, quin etiam ſecundo de partibus animalium cap. ſeptimo, vbi fatetur, cerebrum eſſe cauſam ſoporis; vtpote quod refrigerandi vim habeat, eam vero paſſionem in corde fieri, in quo eſt principium totius ſenſus & motus: ſic enim ad verbum ait: Somnus etiam à cerebro proficiſcitur iis, quæ illam obtinent partem animalibus, quæ autem carent, iis proportionale ſuppetit: cum enim ſanguinis alentis effluentia refrigeretur à cerebro, aut etiam ob alias cauſas ſimiles caput aggrauatur, & quidem ſomno ſopiti ea corporis parte ſolent tentari, atque efficitur, vt calor cum ſanguine ad ima ſubterfugiat, collectaq; copia vaporis in loco inferiori ſomnum facit; itaque conſtat, arbitra-

tratum eſſe Ariſtotelem, ſopores in corde fieri: Plato autem & Galenus poſuerunt, illud principium ſenſus ac motus eſſe cerebrum aut proportionale, & in eo fieri ſomnum, ſiquidem manifeſte ipſum eſt principium neruorum, nec opus eſſe, vt tangendi vim habeat, ſed ſenſum illum habere, qui ſingulorum motiones animaduertat, ipſumque, ſi paulo magis ſiccefcat, idoneum fieri ad hanc ſenſationem, quemadmodum eſt neruus, aut ſpinalis medullæ poſtremum, vbi ſiccior eſt effecta, ac partem aliquam in illo adeſſe, quæ illo etiam pacto ſentire valeat, vtpote membranas per totam ſubſtantiam implicitas retiplexum & neruеam quandam ſubſtantiam in eius radice: locus autem ille Aphoriſmorum mendoſus eſt, & forſitan temere adiectus, quoniam ipſemet Galenus ſecundo de locis cap. 2. & ibidem ſæpius, atq; in decimoſexto de vſu partium ducenteſimo decimooctauo inquit, venas & arterias eſſe ſenſus expertes, nec vllo pacto ſentire, ſi incidātur aut vinculis excipiantur, vel forſitan ſi ſenſum aliquem habent exiguum, illum etiam ex cerebro trahunt propter conſenſum vnum neruorum, & virtutis continuationem, in cerebro tamē primatū obtinentis; itaq; per experimenta videmus, ſi cerebrum comprimatur & male ſe habeat, interdum auferri ſenſum & motum cunctis partibus, vt prorſus ſtupidæ

& motus expertes maneant, qui quidem affectus manifeſte in cerebro fiunt, cum ipſi admoueantur præſidia, & in eo repertæ ſint cauſæ morborum, atque etiam videmus, quandoque ob ſolam compreſſionem cerebri ex oſſe depreſſo, aut aliquo inſtrumento per imperitiam Medici impotentiam ad vigilandum oriri, & partium ineptitudinem ad ſenſum & motum; ibi quoque generantur ſpiritus animales, & experimur, humidas cerebri temperaturas efficere in ſomnum delationes, ſiccas contra eſſe ad vigiliam magis procliues; & illius ſolam aggrauationem aut humorum aut vaporum, dummodo acuti non ſint & calidi nimis, efficere ſomnolentiam, & à contrariis cauſis eadem parte fieri vigilias, quin etiam refrigerato capite ex oppiatis, aut aliis rebus frigidis ſomnus quamprimum generatur, vel impotentia vigilandi: eadem vero ſi cordis regioni admoueantur, haud neceſſario allicitur, id etiam patet experimento: cùm enim ſomnus inſtat, ſentimus in capite quandam aggrauationem, & ipſum primo incipit ſuccumbere, ac deniq; omnes ſomni morboſi in cerebro fiunt. Non minor igitur ratio eſt, vt alii quoque ſalutares in eadem parte fiant; propterea ab ipſa veritate coactus fatebor, ſedem ſoporis eſſe cerebrum, aut aliud proportionale in iis, quæ cerebro carent: ipſum enim principium eſt totius

tius

tius ſenſus & aliarum facultatum, quæ animales appellãtur. Sed quoniam ſenſus cordis eſt vnitus cum principio caloris, qui vitæ tuetur incolumitatem; propterea paſſiones eius ſubitas quaſdam paſſiones mouent, vtpote lypothimias & ſyncopes, quandoque etiam celeres interitus.

CAPVT VI.

De ſomni generatione & cauſis, ac primum ponuntur aliorum opiniones, & confutantur.

DE generatione autem ipſius ſomni quemadmodum fiat, maior eſt controuerſia, atque hinc tota pendet difficultas huius tractationis: omnes enim tam Medici quam Philoſophi conuenerunt in hoc, quod ſomnus eſt quædam quies ac prope impotentia primi ſenſitiui, propter quam non poteſt in opus ſuum incumbere; quamobrem dicebatur ab eis primi ſenſus aut ſenſitiui compreſſio, & quaſi vinculum, cuius compreſſione cætera neque ſentire, neque motibus ſufficere poſſunt, ſed cum non eſſet ex voluntate, nec quies aliqua, vt quies brachii per ſe ipſum ſpontanea, ob id cœperunt explorare modum & cauſam iſtius compreſſionis & detentionis totius ſenſus & motus. Propterea Ariſtoteles exiſtimauit, compreſſionem hanc

atque impotentiam primi ſenſitiui incumbendi in opus proprium; qualis in ſomno contingit experrectilis atq; ſolubilis, fieri ob quandam refrigerationem, ſiquidem illa intemperies frigida calorem exturbat & cohibet; facitque torporem & immobilitatem, vnde in libello de Somno inquit, ſomnum eſſe refrigerationem primi ſenſitiui, ſed eam refrigerationem proprie fieri à corpulenta quadam euaporatione in cerebro refrigerata, quod inſuper ſecuti ſunt multi Peripatetici, quia viderunt hoc placuiſſe Ariſtoteli præceptori: is enim exiſtimauit ab alimento, aut alia re proportionali, humida præſertim & frigida, efferri ſurſum ad caput vi caloris aſpirationem vaporoſam & corpulentam, quæ ab eius loci frigiditate denſatur, vt nubes in media aeris regione, quæ inſtar Euripi poſt denſationem & refrigerationem proprio impulſu deſcendit, & primi ſenſitiui calorem refrigerat, partim etiam vias intermedias obſtruit, quas venas appellant carotidas, quaſi ſoporarias; itaque tum per ſe calorem turbat & comprimit, partim etiam obſtruendo cohibet influxum; quapropter fit ſomnus: ob id, inquit, potiſſimum ſomnos fieri poſt alimentorum aſſumptionem, quoniam vapor eo tempore non mediocriter ſurſum aſpirat ad cerebrum ex ipſa eſculenta potulentaque materia, ob id etiam vaporoſa omnia cenſebat

bat ſomnos allicere, vt vinum, lolium, allia, cæpas, & cognata ipſorum. Sed quoniam illa calida ſunt, idcirco dubitauit, quomodo fieri poteſt, vt talis calida euaporatio ſomnum alliciat, quippe quæ refrigerare debeat primum ſenſitiuum, aut calorem eius, ſanguinem & ſpiritum: reſpondet, ſatis eſſe, vt frigida videatur reſpectu maioris caloris, quemadmodum vrina, quæ in balneo apparet frigida, tametſi propria natura exiſtat calida. Non ſecus labores colliquatiui, & febres nonnullæ, in quibus ob caloris vehementem impreſſionem in membris & partibus ſolidis ſecedit colliquatio, ſomnos habent familiares, ſiquidem colliquamentum, vt cibus indigeſtus eſt, & aſpirationem ad cerebrum vaporoſam emittit: iis autem vaporibus, inquit, digeſtis, & à calore ſtatim euictis, ſolui ſenſum, & fieri ſomno contrariam vigiliam ſiue expergiſcentiam. Ego tamen non poſſum relinquere ſenſum, & ſenſata experimenta, vt credam Ariſtoteli: is enim dicere ſolebat, amicus Socrates, amicus Plato, ſed magis amica veritas, age obſecro videamus, ſi res ita ſe habeat, vt ſomnus à corpulenta ſolum aſpiratione fiat & refrigeratione primi ſenſitiui; ſcilicet cordis aut alterius cuiuſdam partis proportionalis: primũ videmus, ſomnos accedere poſt labores: cum .n. ex diuturno peruigilio laſſatę ſunt vires ac ſenſoria, & ſpiritus nonnihil debilitati

tati manus dant quieti, & facta hac ſomni diſpoſitione intercipitur vigilia: laſſitudo vero hæc cum euaporatione & refrigeratione nihil habet commune; neque vero fit in omni labore & laſſitudine colliquamentum, vt ſingulis patet: inſuper ſola debilitatis ratione contingunt, dum morbi homines inuadunt cito proſternentes virtutem, eodem quoque modo poſt ſudores, à quibus virtus laceſſita debilitataque ſuccumbit, & quietem oppetit cum vigilare & laborare tum ſpiritus, tum ſenſoria cuncta diffidant, nonnullis etiam ex quadam conſuetudine ſomni redeunt, ac temporibus certis repetunt, abeuntque determinatis horis: euaporationes autem ex arbitratu & conſuetudine non fiunt, neque ſoluuntur, ſicut accedit & ſoluitur ſomnus: quin etiam ſinguli experimur, in nobis eſſe imperium & momentum quoddam, vt dormire valeamus in quacunque hora, niſi quidpiam obſtet. Non eſt autem in poteſtate noſtra, vt fiat ad cerebrum euaporatio, ſæpe etiam cum decernimus contra abſtinere, tametſi cupiditas aduenerit, ſomnum auertimus. Præterea ſola compreſſione meningæ eius, inquam, membranæ, quæ cerebrum inuoluit, ſomnus generatur altiſſimus, aut ſenſus compreſſio. Non eſt igitur euaporatio propria cauſa dormiendi, quoniam non eſt de omni. Præterea ſæpiſſime fit ſomnus, dum frigida

gida quædam capiti admouentur, nimirum ſuccus mandragoræ ſolatri, lactucæ, papaueris, & ſimilium; igitur fiunt interdum ſomni citra corpulentam euaporationem. Amplius ex moleſta lectione aut concione ſomni ſolent euenire ſimiliter ex ſonis quibuſdam, vnde nutrices ſolent puerulis ſomnum allicere quibuſdam ſonis, & cantu, multiſque etiam aliis modis citra euaporationem obtingit, quemadmodum per ſingulos diſcurrenti erit manifeſtum. Ac multo minus refrigeratio videri poterat ipſius cordis, cum prædicta experimenta nullo pacto refrigerare valeant; ſæpe etiam ipſo refrigerato ex opio & ſimilibus, ex timore, ex morbo, ex vaporoſa ſubſtantia frigida in palpitationibus cordis ſomni non efficiuntur, qui tamen fieri deberent, & magis inſignes, vtpote principio illo magis per eſſentiam refrigerato; atq; in nonnullis prauis febribus & euaporationem mittentibus ad caput, aut propter virtutis celerem diſſolutionem ſomni fiunt inſignes, cor autem calore æſtuat, quoniam per ſe ipſam febris eſt calor accenſus in corde. Ob id aliqui exiſtimarunt, ſomnum eſſe quidem vinculum & compreſſionem ſenſus, eam vero fieri propter refrigerationem cerebri: illud enim eſt ſenſus & motus principium; itaque illius refrigeratio facit ineptitudinem ſentiendi, & impotentiam effundendi virtutem ſenſus & motus,

motus, ſiquidem frigiditas immobilitat, calorem exturbat, & ſpiritus coercet, vnde talem efficit pigritiam, & prope impotentiam: comprobant hoc, quia manifeſte viderunt allici ſomnum refrigerato hoc primo inſtrumento, ac principio è rebus valde frigidis, vt antea dicebam, quin etiam frigidas cerebri temperaturas eſſe magis ſomnolentas, calidas autem omnino vigiles, & ſoporibus ferme ineptas. Quidam autem opinantur, ſomnum eſſe vinculum & compreſſionem primi huius ſenſorii, adeo, vt virtus eius amplius effundi non poſſit per partes mobiles ac ſentientes, id autem ab illius partis obſtructione proficiſci aut propter refrigerationem aut obſtruentem aliquam materiam: ſic enim neceſſarium eſt, vt obſtructis meatibus, per quos illa virtus effunditur, emiſſioni reddatur inepta, & pro vigilia ſomnus obtingat. Itaque refrigerato cerebro cum illo pacto fiat obſtructio: frigiditas namque denſat, & aſtringit, ſomnus efficitur, multitudo etiam vaporum in cerebro id ipſum facere conſueuit; ac propterea ſomnum allicit, idem humores & fluores aquei: humidum enim impletiuum eſt, eos autem expertes eſſe debere qualitatum, quæ excitandi vim aliquam habeant, ita videlicet, vt non ſint nimis calidi aut acres, & mordicationem præ ſe ferentes: ſed quoniam nō eodem pacto omnes obſtructiones fiunt,

exiſtimant eas, quæ leues ſunt, & affectionem inducunt expergiſcibilem, eſſe ſomni productricem, alias autem, quæ affectiones generant inexperrectiles, eſſe morboſas & malorum morborum productiones. Vtraque tamen ſententia quantum repugnet ſenſui & rationi, ſuperiora demonſtrant, quoniam labores, laſſitudines, conſuetudo, lectio, ſoni, cantus, faſtidium per auditum aut omnino agendi, nimis ſtabilis hærenſq; applicatio primi ſenſus, tenebræ, ſolitudines, mœſtitiæque nullum ipſorum potens eſt refrigerare, neq; obſtruere cerebri ſubſtantiam & vias ſpirituum. Bernardinus Teleſius vir magni ingenii exiſtimat, ſomnum eſſe affectionem ſpirituum, quibus opinatur etiam conuenire vigiliam, vtpote quod ſi per ipſas animalis partes effundantur, & actionibus operibuſque incumbant, fiat vigilia: cum autem ad cerebrum redeunt, quaſi reuocato motu efficiatur ſomnus, adeo vt ille nihil aliud prætereà ſit, quam retractio reuocatioq; ſpirituum ad cerebrum, quorum deinceps ſolutio & celer emiſſio faciat expergiſcentiam. Et quoniam ſpiritus iſti dant motũ & ſenſum ſingulis partibus, q̃ talem habent promptitudinem, idcirco fit, vt per eorum reciprocũ motum ſenſu deſtituantur & motione, ac fiat vtraq; ineptitudo, ipſumq; animal ſopitũ recumbat, ac ſentire nõ valeat, ac propterea fieri vt omnia

allicíant ſomnum, quæcunque poſſunt ſpiritus ipſos fugare, & modo quodam intro impellere ad primum ſenſitiuum & principium eorum; exiſtimat etiam, huiuſcemodi ſpiritus habere ad corpus dominicum imperium, ac ſe ipſos promouere agitareque, & per ſe cognoſcere, appetere, & in omnia pro arbitratu ſuo irrumpere, ita vt ipſi ſapiant, ſentiant, moueant, & cuncta denique faciant in animali, quaſi vero eſſent vt porcelli intra saccum. Quæ quidem de ſomno ſententia fuit antiqua Medicorum opinio: nam plerique dicebant, in eo fieri retractionem caloris & ſpiritus ad ſuum principium; & corpus totum ob id maiori indigere tegumento cum dormit. Hanc etiam opinionem vidimus ſubſcriptam eſſe à Galeno in eo libro, cui titulus eſt, de hiſtoria Philoſophica, ſiquidem ad verbum ait hoc modo in eo capite de Somno & Morte: Plato & Stoici dormire putant animal quieſcente ſpiritu illo, qui ſenſibus vigilantibus miniſtrat, non quia velut in terram concidat: ſed quia ad principem animi facultatem feratur, quæ intra ſupercilia ſedem habet: occidere vero ſi ſpiritus ille prorſus omnem motum amittat. Quibus verbis palam eſt, eos arbitratos eſſe, ſomnum fieri ex retractione ſpiritus ad ſuum principium, & quiete illius in eadem parte, ita tamen vt non omnino quieſcat, ex quo ſuffocationes ipſis videbatur

batur eſſe cauſam interitus, quoniam motum ſpiritus omnifariam ſubmoueant prohibeantque: motus enim eſt prima caloris perfectio, qui ſicut illum accendit, ita priuatio eundem extinguit, & de medio tollit, vt perinde calida omnia moueantur, frigida contra quieſcant perpetuo, & immobilitate gaudeant. Quorum ſententia mehercle videtur probabilis & conſentanea veritati, ſi vero examinetur diligentius, manifeſte apparebit, eos non eſſe aſſecutos adæquatam & propriam cauſam dormiendi, quod eorum pace ſit dictum. Enimuero ſæpe videmus, fieri hominibus & cunctis ferme animalibus magnas ſpirituum reuocationes & caloris, illa tamen ſomnus non inuadit, vehemens ſcilicet retractio fit ipſis metuentibus, præſertim ſi timor ingens ſit, & celeriter inuadat, indicium retractionis eſt partium extremarum frigiditas, vt quidam etiam obtremiſcant: dormituris autem, aut dormientibus nunquam tantus eius ratione apparuit contractus horror, multis etiam cum timor eos vehementior derepente aggreditur ſenſuum officia intercipit, vt omnino non videant, & non audiant, eos tamen dormire nullus cenſeret. Hoc etiam confirmatur: nam ſæpe contingit, vt homines alta quadam cogitatione occupati & detenti, prope inſenſati fiant nihil videntes audienteſque, quod ipſe Bernardinus fa-

O tere-

teretur effici propter retractionem ſpirituum ab his partibus extremis ad cerebrum, in quo alta ſedet cogitatio & animæ princeps facultas: ſomnus autem propterea non fit; ergo non eſt ſufficiens cauſa dormiendi ſpirituum conuerſio retractioque in eam partem, quod etiam manifeſtius fit exemplo delirantium phreneticorum. Videtur præterea, huiuſmodi retractionem ſpiritus non eſſe ſomno neceſſariam, neque ſub illud tempus aliquo modo fieri, quandoquidem ſingulæ partes manerent ſenſu & motu deſtitutæ, vnde ſi dormienti pars aliqua incideretur vel pungeretur, quæ remota admodum eſſet ab ipſo cerebro, nullo modo animaduerteret, quemadmodum nō ſentit pars paralytica, vel quomodolibet ſtupida: eas enim partes vis ſenſitiua non fouet, per quam ſentire valeant; id autem abſurdum eſt. Nam videmus manifeſte, dormientes non eſſe expertes ſenſus, imo non ſolum grauiora, & vehementius imprimentia cognoſcunt, & ſentiunt, verum etiam leuiora quædam: ſunt etenim nonnulli dormientes, qui pulicum tranſitus animaduertunt, & leuiores palearum contactus, quæ, ſi ſenſus retractus eſſet, minime ſentirentur ab eis. Is forſitan reſponderet, in ſomno fieri retractionem ſpirituum, ſed tamen non omnium; quoniam pars aliqua eorum remanet non retracta, per quam iſta ſopitum animal po-

poteſt cognoſcere. Sed hæc ſolutio (ſi ita diceret) non eſt alicuius momenti, ſiquidem leuiſſima eſt illa retractio ſpirituum, cum qua ſenſus ſeruatur partium, quippe quæ non grauiora tantum, ſed leuiora etiam, vt dixi, ſentire interdum valeant, leues autem huiuſmodi retractiones vigilia poteſt ſubſtinere, in qua eſt ſenſus incolumis: ſomnus enim nequaquam eſt, quando ſenſus ſparſus ac fuſus eſt per totum, vt ſingulæ partes ad actionem hanc ſufficere valeant: cum vero talis facultas & ſpiritus relinquatur, ſomnolenta tamen exiſtat paſſio, aliud profecto erat ipſi dicendum, vt illius generationem proximius explicaret: neq; vero fit ſomnus ex difficili ſenſu tantum, vtpote quod ſentire quidem valeant, ſed tamen ægre & tactus ſolum, non autem alii ſenſus, qui leuius mouētur à ſuis ſenſibilibus: nã ſi torpor fiat vniuerſo corpori, & motus hebetudo, fortaſſe animal vigilaret, & ſenſus parum ſentiret. Præterea ſi retrahũtur hoc tempore ſpiritus ad cerebrum, aut ſponte, aut vi, aut natura. Si ſpõte & electione, duo ſequentur. Alterum eſt, quod ſtatim vbi in mentem venerit cupiditas, dormiremus; noſtra enim appetitio deliberatioque vel eſſet ab ipſo ſpiritu, aut in eo ipſo conſiſtens, vel ipſi ſaltem communis, & ita vt ſtatim ſi aduenerit, cupido effunditur, & per totum ſpargitur, idem à toto in illud principium cõfeſtim

rediret. Alterũ eſt, quod totus retraheretur: nam ſi ſecus fieret, certe vis ſenſitiua non eſſet vna, neque ſpiritus totus conſentiens, ſed appetitiones in illo contrariæ, vtpote quod vna pars velit retrahi ac retrahatur, alia autem velit manere ac maneat, & ideo ſequeretur etiam, quod idem animal ſimul poſſet dormire & vigilare; porro vigilaret per eam partem, quæ non vult retrahi, dormiret autem propter aliam, nec poteſt dicere, eam partem, quæ remanet, eſſe ineptam vigiliæ, quoniam ſatis eſt idonea ſenſationi, vt vidimus paulo ſuperius: ſi vero per vim aliquam compellatur, aut ab extrinſeco id fieret, aut ab intrinſeco vim inferente;at certe ratio eadem eſt, vt compellantur omnes: idem namque ingratum, moleſtum aut corrumpens obnoxium eſt omnibus, niſi fortaſſe dicat, partem aliquam deponi in extrema parte tanquam cuſtodem, ſicut in exercitu arceque munita, in qua expiatores quidam aſſignantur noctu diuque ad cuſtodiam arcis aut exercitus totius. At ſi naturaliter ille motus retractionis efficeretur, dubio procul omnes conuerterentur in eum principii locum ſecundum eandem naturam, poſtquam nihil obſtat: cum enim in fornace concluſus eſt ignis, niſi aliquid prohibeat, totus ſecedit contendens ad ſuperas ſedes. Præterea cum homines dormiunt, tametſi ſomnus ſit pro-

fun-

fundus, ſolent ſe ipſos adhuc dormientes in alterutrum latus vertere, brachia interdum mouere, & iactare crura: motus autem cum ſit actio, maiori eget copia ſpirituum, quam ſenſus, qui in patiendo conſiſtit. Cum itaque motus fiat, quomodo poteſt fieri tanta ſpirituum retractio, vt ſenſus proprio muneri ſufficere non poſſit? Confirmatur deinde, nam multi delatione quadam in ſomnum occupati ab aliis vocati ſolent reſpondere, & confuſa quædam dicere, aut ſtatim expergiſci, ac ſtatim iterum dormire. Quomodo autem fieri poſſet, vt tam cito fierent illæ ſpontaneæ emiſſiones & motus reuerſiui? Præterea, multi dormientes exercent quamplura opera vigilantium, ſiquidem ambulant, clamant, vocant, reſpondent, & audire videntur, ac maiora iſtorum faciunt, quæ quidem ſi reuocatus eſſet ſpiritus, fieri non poſſent, ac ſi ſpiritus non ſatis eſt ſenſationi, longe profecto minus ſatis eſſet actionibus, quippe quæ maius robur exigunt, ſed vnum habent commune omnes, quibus talia contingunt, quod neque audire, videre aut facere quidpiam ſe animaduertunt. Præterea ſi ſola dormiendi cauſa eſſet retractio ſpirituum animalium, ſequeretur, quod ipſimet in cerebro congregati, vel quacunque in alia parte ad imaginationes cogitationeſque eſſent idonei, aliaſque proprias functiones: ad has enim mi-

nime requiritur actualis operatio externorum ſenſoriorum, experimur tamen, dormientes non cogitare, ſi vero cogitent aut imaginentur, id eſſe ſomnium, & non fieri in eo niſi interciſas quaſdam & inordinatas imaginum compoſitiones, diuiſioneſque & exiſtimationes ineptas, cum tamen eius temporis cogitationes deberent eſſe meliores: nam ſi intenſius cogitanti ſpiritus in locum cogitationis affatim conſpirent, certe ob id cogitatio melius ſuccedit: nam virtus vnita eſt longe paratior, ac magis ad agendum idonea. Cęterum ſi dixerit, in quolibet ſomno fieri cogitationes, earum vero nos eſſe immemores, diceret perperam, quoniam ipſemet omnem recordationem actionemq; omnem animalem in eundem ſpiritum coniecit, ac ſaltem in ſomno leuiori eſſemus memores, quod tamen non fit. Si vero dicat cum Platone & Stoicis ab illis operationibus abſtinere, quoniam quieſcat ibi ſpiritus, cum alioqui actiones illæ non niſi cum motu perficiantur, ſed ipſe ſibi contradiceret, cum cenſeat, calorem per ſe perpetuò ciere motum, & niſi alio modo mouere poſſit ſaltem circulariter: motus enim eſt eius propria perfectio, quomodo igitur poterit quieſcere? & niſi quieſcat, quomodo abſtinebit? Pręterea efficitur ſæpiſſime ſomnus, vt ſuperius dicebam, ex ſola meninge compreſſione; ergo fieri poteſt citra ſpiritus

tus retractionem. Niſi reſpondeat Bernardinus, illud fieri pariter propter retractionem, quia patiente hac cerebri membrana, in eundem locum confluunt ſpiritus audacter propter principis partis affectionem, opem nimirum ferre cupientes. Hoc autem facilime confutatur, quoniam ſi ſpiritus vere ſapiunt in nobis profecto Medici alicuius ſi comprimatur illi membrana nequaquam confluerent: dignoſcerent enim, vanum eſſe laborem, vtpote quod ferre opem non poſſint, ac fortaſſis afferant detrimentum: adhuc etiam ſequeretur, quod in dolore capitis vehementi, in inflammatione cerebri, atque doloribus ex pungente materia illuc etiam conſpirarent, & ſomnus efficeretur, nec certe vigilia fieret ob ſiccam aliquam materiam redundantem in capite, ſed pro ratione affectus ſpiritus ipſi in eum locum à toto corpore proficiſcerentur, quin etiam ex cordis paſſionibus & compreſſionibus, quales fiunt in eius palpitatione, pariter ſomni euenirent frequentes, quoniam pars princeps eſt, & vitæ totius principium, imo ſi cerebrum inflammationem patiatur, aut eius membranæ, cum paſſio vehemens ſit, ſpiritus tamen neque in principio, neq; paulo poſt illuc aſpirāt, nec ſomnus vllo modo generatur. Præterea ex ſola humidorū irrigatione in ipſo cerebro facta ſtatim ſomnus obrepit, ſpiritū tamen ob id retrahi

non eſt neceſſe: nam pariter omnis humorum profuſio in ea parte ſomnum alliceret, ſed multę alluuies pro ſomno afferunt vigiliam. Præterea ſola euaporatio ſomnum allicit, dummodo non mordicet, vellicetque aut erodat; quapropter aſſumpto cibo, & rebus præſertim vaporoſis, mox ſomni adueniunt inuincibiles, ſpiritum autem ob id retrahi non eſt opus: præterea fiunt ſomni ex moleſta lectione, ex iucundis pariter ſonis, quamobrem Syrenas aiunt dulciſſimo cantu ſoporem allicere nauigantibus, vt curam nauigii ſoporibus victi prope omnes deponerent: ac ſi moleſtia facit ſomnum, quia compellit truditque ſpiritum auditus intro, nequaquam iſtud fieret propter iucunditatem, contrariorum etenim effectus ſunt contrarii.

Capvt VII.

Ponitur propria ſententia de generatione ſomni.

VT autem valeamus ingenuę veritatem huius quæſtionis explicare, operæ pretium eſt nonnulla primum animaduertere, vnum quidem eſt, quod ſenſus, vt ait Ariſtoteles in libro de Somno cap. ſecundo, eſt vnus & principium vnum, tametſi per applicationem ad diuerſa ſenſoria prope dehiſcat in multas facultates poſitione & officio diuerſas; quapropter dicebat Themiſtius, cum dixi,

dixi, quinque ſenſus, volui dicere, quinque ſenſoria: melius enim eſt dicere, ſenſoria diuerſa, quam ſenſus diuerſos. Et eadem ratione Philoſophus inquit, iſtis ſenſoriis quoddam eſſe illis proprium, nempe applicationem & naturam propriam, aliud commune, quod eſt facultas illa à principio primo dependens, & contendens etiam ad illud: cum vero cerebrum tale principium ſit, efficitur, vt tota ſentiendi mouendique facultas ab ipſo dependeat. Inſuper ſi principium eſt, fieri non poſſe, vt iſta pars ſeu ſenſus eius non proſpiciat ſingulis ſenſoriis, & partibus omnibus quaſi pro tribunali ſedens, imo ſi tanquam facultas animaduerſiua ſuſcipiens motus aliorum (vt ita dicam) ſenſuum, hæc illos non proſpiciat neque animaduertat, reliqua ſenſoria eſſe per ſe ipſa ſtupida, ac ſi oculus videat animalis, ipſum tamen nequaquam animaduertere quod videat, neque ſi agat ipſum agere: ſenſus enim eſt vnus & principium hoc vnum ſingula animaduertens proſpicienſque perfecte, atque hinc eſt, vt quidam influxus conſpirationis ab illa parte principe in ſingulas emittatur pro ſenſu, & motu obeundo, cæteraque ab ipſa dependeant ſenſoria; & propterea dicebat Galenus primo de ſymptomatum cauſis capite octauo, cerebrum eſſe ſenſorium ſenſoriorum, & inſtrumentum inſtrumentorum,

hinc pendet illa lux ſenſiua & motiua, & quia cætera fouet ſenſoria, ceteraſque itidem partes ad motum idoneas; propterea ſi eius influxus intercipiatur, ipſa deſiſtunt à propriis muneribus, & ſi ſentire ac vigilare pars iſta non poſſit, conſentaneum, imo neceſſarium eſt, vt conſentiant aliæ, eaque inſuper quieſcente quieſcant, & compreſſa modo quodam ipſæ ſimul comprimantur. Hæc omnia ſunt manifeſta experimento ſenſato, illud quoque manifeſtum eſt, quod virtus, quæ in aliis partibus reperitur, pendet ab iſta in eſſe, & conſeruari, quemadmodum lumen aeris ſibi ab aſtris communicatum, quod perpetuo ab ipſo aſtro pendet in eſſe, & conſeruari; nam vidimus in ſectione canis viui rem prorſus admirabilem ligari, ſcilicet neruos recurrentes, & ſtatim vocem eſſe interceptam, eiſdem denuo ſolutis à vinculo, vocem integre recuperatam fuiſſe, aut alterutro comprehenſo dimidium vocis auferri, pariter etiam ſi propter obſtructionem ſiue mollificationem nerui, aut aliam ipſius imbecillitatem paralyſis obtingat, vt aut influxus, aut virtutis continuitas auferatur, aut inſtrumentum ipſum fiat inualidum, nempe ex obſtructione abſolutionem eius impediente, aut mollificatione auferente vigorem: pars enim quæ relinquitur niſi ſit principio continua, & conſentiens, ab eoque non refoueatur, omnino

eſt

eſt inepta proprio muneri, neque vero ſpiritus, qui ſubiectis partibus permanebant, ſtatim recurrunt ſurſum. Nam ſi tu ponis, fieri non poſſe, vt alii deſcendant, quomodo aſcenſus erit poſſibilis? Itaque vt per vigiliam huius partis & ſenſus primarii cætera vigilant ſenſoria, ſi recte ſe habeant, ita per eiuſdem quietem & compreſſionem illius ſenſus cętera quieſcunt, ex quo ſtupida illa videbuntur, niſi hæc ipſis incumbat, & proſpiciat prope emittens quandam virtutis aſpirationem. Cum itaque in vigilia talis pars ſit expedita, adeo, vt intentionem quandam ſubſtineat, quam proprius vigor facit, & virtus ſpiritus atque conatus, cum illius agitatione quadam & motu (vt ita dicam) conico, & illius ſit prompta quædam idoneitas cunctis incumbendi, & animaduerſio non impedita neque interciſa: ita talis partis quies ac prope compreſſio, in qua deponitur omnis omnino applicatio ſpiritus ferme omnino quieſcunt, & vigor illius partis cedit, vt pars ipſa fere coniueat & decumbat, illa diſpoſitio affectioque ſomnus eſt, ſimilis profecto oculorum cõniuentiæ & corporis totius remiſſioni, aut procidentiæ manus: cum enim cerebrum expeditum eſt, manet vt brachium tenſum & conatum ſubſtinens, qui aſſcribitur rectrici facultati, & neruos intendenti: cum vero inexpeditũ eſt, ſed remiſſum quieſcit, & vigorẽ

atque

atque conatum illum deponit, ſomnus eſt, & non abſimilis remiſſioni eiuſdem brachii, atque ita principio ſenſuum quieſcenti cætera conſentiunt ſenſoria, vel etiam ſi quidpiam agant, ſe illud agere non agnoſcunt, quia ſopita eſt ipſa facultas animaduerſiua, & cunctis proſpiciens perfecte, idemque fieri, ſi quæpiam materialis ſubſtantia aggrauationem pariat, vt vel ipſam faciat conniuere, & remittere ipſius vigorem atque intentionem, aut aſpirationem illam intercipiat cohibeatque. Hinc eſt, vt merito poſt laborē ſomni efficiantur, atque poſt animi quoſdam defectus & ſpontaneas laſſitudines, hinc etiam eſt, vt quicunque cerebrum habent minus firmum, ſed laxum quidem illud atque obæſum, ad ſomni diſpoſitionem ſint cæteris paribus magis procliues. Somnus ergo eſt quies cōpreſſioque animalium facultatum per quietem & compreſſionem primæ partis, quæ primum appellatur ſenſitiuum ac principium ſentiendi, & ſi quis vellet ſubſtinere, nequaquam fieri ſenſationem per emiſſionem ſpiritus animalis non cogeretur vtique, vt alias explicaui.

Capvt VIII.

Proponuntur nonnullæ dubitationes, ac diſſoluuntur.

Qværvntvr modo nonnulla, quorum explicatio maior erit totius quæſtionis dilu-

dilucidatio. Primum, quod quæritur, eſt, an dormiente animali impediatur influxus virtutis animalis ab ipſo cerebro in ſubiectas partes: nam ſi non eſſet præpeditus, mirum, quin aliæ partes in ſomno ſentiant, & motui proprio ſingulæ ſufficiant: ſi vero eſt interceptus, ſequeretur, manum dormientis aut pedem nullo pacto eſſe ad ſentiendum idoneam, poſtquam ſenſus harum partium pendet in eſſe, & conſeruari ab illa prima: ſic enim videmus fieri, ſi pars aliqua ſit paralytica, & apoplectica certe non ſentit, & forſitan eſt expers motus, cum cerebrum virtutem illam non impertiatur. Secundo, an illa quies & vacatio primi ſenſitiui ſit ſpontanea vel naturalis: nam ſi eſſet ſpontanea, poſſemus ſtatim dormire, cum primum in mentem ſubiret dormiendi deſiderium. quemadmodum motus brachii, quia ſpontaneus eſt, & quies illius ſimiliter, cum primum nobis placuerit, mouemus ipſum, aut contra ſubmittimus, vt indulgeat quieti: ſi vero eſt naturalis, vtique non poſſemus quandoque ex arbitratu captare ſomnos, quemadmodum ſæpe facimus. Tertio, ſi ſomnus eſt quies ſenſiuæ ac motiuæ partis animalium, vacatioque potiſſimum primi ſenſitiui per eſſentiam; quamobrem non dicimus, apoplexiam, caros, ſyncopes, & ſimiles affectus eſſe ſopores: ſunt enim ſimiles quædam primi ſenſitiui vacationes. Quar-

to, quomodo fit; vt dormientes nonnulli; quemadmodum diximus, opera quædam vigilantium obeant, ac poſtea illorum non ſint memores, ſomniorum autem prope omnium poſſunt recordari. Quinto, quamobrem dormituris oculi primum cunctarum partium conniuere incipiant, & grauentur veluti onere preſſi, ac ſi ſomnus in oculis eſſet; & quare frigida eis partibus illita, impetum & torporem ſomni nonnunquam reſtinguat; cum alioqui ipſa per ſe frigiditas potius ſomnum quam vigiliam alliciat, vtpote quæ immobilitati & pigritiæ momentum conferat, ac torporem per ſe inducat. Pro ſolutione primæ difficultatis recolendum eſt illud Ariſtotelis dictum, quod ſenſus eſt vnus & ſenſorium primum vnum; quod vel eſt cerebrum aut ſpiritus ipſe, vt Ioannes Grammaticus: ſpiritus enim eſt ſenſorium commune, & ſenſus, qui in eo continetur, dicitur communis; qui in particularibus quibuſdam ſenſoriis applicatus fit varius, & in principe quadam parte tanquam primario inſtrumento eſt ſenſus princeps; ideo quamuis multa eſſent ſenſoria, ſatis eſſet ad comprimendum ea ſola compreſſio illius primæ particulæ, tametſi nullo modo aſpiratio eſſet præpedita: nam ſatis eſt, eſſe impeditam aut interceptam eius animaduerſionem, & ſuſpenſam omnino promptitudinem illam ad omnes applicatio-

tiones,ac vigorem eius eſſe remiſſum: videtur etenim ſomnus proprie tanquam remiſſio & vacatio primi illius ſenſitiui, aut quies. Hinc ergo fit, vt totus homo ſiue animal totum dormiat aut vigilet, ſentiatq;. Et quamuis vna ſit pars quæ videt, animal tamen dicimus videre, animal mouere pedem, hominem mouere brachium: ipſum enim mouetur, mouet autem homo per appetitum & propriam formam, eſt autem illud principium ſentiendi, quemadmodum ſi poneremus, telam aranearum totam eſſe ſentientem & veluti animal vnum: araneam vero in medio adeſſe tanquam in centro & principio, profecto ſi medium illud ſentire non poſſet, cæteræ quoque partes ſentire non poterunt, quoniam ſingulæ conſentiunt eidem principio: quomodo enim totus ſenſus expeditus erit, ſi principium ipſum inexpeditum maneat? quo animal totum vere ſentiens eſt, atque cognoſcens, & cæterarum partium, motiones alterationeſque ſuſcipiens, & recte diiudicans, & reſpondet huiuſmodi conſenſus pro ratione affectus illius partis, quoniam ſi leuis eſt copula & quies, vacatioque non nimis alta, certe leuiſſimus torpor efficitur aliis partibus: ſi vero maiori ex cauſa altius comprimatur, profecto torpidiſſima, & pene ſenſus expertia fiunt alia ſenſoria, poſſumus etiam fateri, nequaquam ſolutũ eſſe & expeditũ illum

præ-

præclariſſimum influxum ſenſiuæ lucis ex cerebro in ſubiectas partes, nunquam etenim fit, niſi illo vigorem obtinente & ſubſtinente vigilem intentionem, quemadmodum neque neruus particulæ dat motum niſi intendatur; non ſecus itaque ipſo flacceſcente cerebro motus aufertur ab al is partibus, & ſenſus etiam illarum euadit ineptus. Ad ſecundam reſpondeo, ſomnos variis modis allici: ſæpe enim violenta eſt quies iſtius, & præter naturam à cauſis nimirum præter naturam agentibus excitata, quemadmodum fiunt ſomni morboſi: interdum naturaliter obtingunt poſt laborem vigiliæ; interdum etiam noſtra cupiditas & deliberatio momentum ad ſomnum habet valde opportunum. Sed propterea non eſt quies omnino ſpontanea, qualis vtique eſt quies brachii aut cruris: habet enim ad illam quietem abſolute imperium appetitus; pars enim, quæ motum habet voluntarium, poteſt captare quietem, cum primum in mentem venerit, & ceſſare ab illo motu, poſſumus tamen nos indulgere quieti, conniuere oculos, ſuſpendere omnem actum applicationis, corpus ipſum remittere, atque intentionem corporis deponere. Hinc vero ſequitur paulo poſt ipſius cerebri demiſſio vacatioque: ea enim non ſtatim fit, quia ſpiritus eius conatum ſubſtinet, ſuaque agitatione & motu conico non vult dimitte-

re

ſe actionem propriam: gaudet enim quadantenus motu, ac nonnulla ſolent eſſe impedimento, nimirum cogitatio alicuius quod auide moueat, imaginatioque non iniucunda ſiue etiam neceſſaria, ſollicitudo, & curæ ſpirituum agitatio indefeſſa, vigilandi conſuetudo, & delectatio, & multa eiuſmodi. Complura igitur noſtro occurrunt appetitui, vt propterea non ſtatim poſſimus captare ſomnos, cum acceſſerit cupiditas: nonnulli vero, qui cerebrum habent mollius & quaſi flaccidum minus, ſcilicet firmum & laxius, ſiue etiam humore effectum languidum & tanquam onere preſſum, ii quamprimum in ſomnum deferuntur citra vllam reſiſtentiam, niſi voluptas vigilandi efficiat, vt cerebrum nõ dimittat ſuam iucundam intentionem: nam viciſſim vtraque iucunda eſt. Sed dices, quomodo poteſt cerebrum conniuere, ſi perpetuo reſpirat, aut ſaltem mouetur conſtrictionis quodam motu atque dilatationis, propter motum arteriarum frequẽtium, exurgente nimirum ſubſidenteque ſpiritu? Reſpondeo, ſemper ipſum illo motu cieri, ſed tamen in ſomno ipſi accidere ſicut homini compreſſo, qui moueri poſſet obſcurius, & minus abſolute ac expedite. Ad tertiam dico, primum hoc ſenſitiuum multis modis affici poſſe, ſenſumque ipſum comprimi, ac facultatem animalem, primum per modum quie-

ſcentis, & quietem captantis poſt diuturnam vigiliam: omne namque nimium laborem parit: ſecundo poteſt comprimi ab aliqua cauſa cogente omnino præter naturam: tertio ſecundum modum quendam medium: quicunque innaturales ſunt, & à cauſis præter naturam geniti varia & propria ſuſcipiunt nomina. Cum etenim cauſæ ſint diuerſæ, affectus non conſentiunt; itaque nec proprie ſomni debent exiſtimari: neque enim omnino excitabiles ſunt, ſed impotentiæ quædam vigilandi: reliquæ diſpoſitiones ſunt ſomni, hi quidem altiores, illi vero minus profundi, reſpondet enim affectus affectui, & conſenſus principio. Sed dices, quamobrem viſus minus agere poſſit in ſomno, ac per eum minus expergiſci valeamus, quam per alios ſenſus: nam tametſi oculi eſſent aperti, obiecta tamen illis oblata non cognoſcunt, attamen cognoſcere deberent, quia facultas non eſt retracta, & inſtrumentum erit bene affectum, per alios tamen ſenſus expergiſci poſſumus. Reſpondeo, quod iſtud fit ob varium modum, quo mouent obiecta, ſiquidem viſibile mouet ſpiritualiter tantum, & leues ſunt eius alterationes à proprio obiecto; itaque non ſtimulat ſenſitiuum, ac propterea maiori eget conuerſione ad ſe ipſum, & attentione videntis: repugnat autem, ſopitum animal eſſe conuerſum intentumque circa rem viſibi-

ſibilem, & quamuis videretur ſe videre, nullo pacto ipſam animaduerteret, quia ſopita eſt vis princeps, quæ eſt principium totius ſenſus ac facultas per ſe animaduerſiua: cætera autem ſenſibilia mouent vehementius & ſtimulant; igitur poſſunt excitare. Nam ſomnus & vox alta impellit membranam, quæ eſt in concauo auris, & facit bombum in capite. Cauum etenim eſt, itaque facilime partem illam ſopitam excitat. Ad quartam dico, eos homines, qui à viſis altius afficiuntur, aut ſecundum naturam, aut ex vehementi occaſione, vel potius conſuetudine, quales potiſſimum ſunt melancholici, & curis circumplexi, talia per ſomnum faciunt perperam ſomniando: nam vehemens aliqua imaginatio in ſomno, quæ ſomnium eſt, dum vehementer imprimit, tametſi rudis ſit & interciſa, inexpeditaque, poteſt mouere corpus ex illa occaſione, & apparens illa neceſſitas, vel impetus validæ imaginationis ſuadentis vires intendit ad motum & actionem imaginatam, quod ſenſum alioqui magis reprimit. Sed quia principium illud animi non erat expeditum, & per vim validæ imaginationis interciſæ magis ab omni alio extraneatum, & compreſſum vtraq; ratione, ſcilicet ſomni & vehementis imaginationis; propterea ſe illa agere non animaduertunt, neq; memores eſſe poſſunt eorum,

cum fierent vigiles: noſtis enim, nos eſſe illorum memores, quibus fuimus intenti, & animaduertimus cum obtingerent, tunc autem altiſſimus erat ſopor, & mens tota in aliud quidpiam conuerſa magis comprimitur, & minus eſt expedita; itaque cum nullo modo animaduerterent, quæ agebant, non poſſunt recordari, quia ſi animaduertiſſent, deſtitiſſent vtique, ac ſi quandoque fiunt memores, dicunt ſe ſomniaſſe, non autem egiſſe: nam imaginationis poſſunt recordari, cui incumbebant, actionum vero non poſſunt, quia quod agerent nullo pacto animaduerterunt: nam etiam in vigilia ſi alta inuadat cogitatio in itinere, cogitamus quidem & vna incedimus, recordamur eorum, quæ cogitabamus, ſed inceſſiſſe minime, quia non animaduertebamus illum motum aut alias huiuſmodi actiones: ſomniorum vero niſi ſint admodum leuia & celerius obtingentia, nec alta nimis compreſſio, vtplurimum recordamur, quoniam intrinſecis illis phantaſmatibus, quæ ſibi præſentia ſunt, tametſi exiſtat inexpedita, ob diſpoſitionem indebitam inſtrumenti poteſt incumbere. Ad poſtremam dico, ipſos oculos eſſe cerebro conſentientiſſimos: hoc enim ſenſorium tum viciniſſimum eſt, tum etiam ſolum ſenſoriorum omnium mouetur aſſidue; quapropter inſtante ſomno & cerebri quadam remiſſione atq;

pigri-

pigritia, confeſtim pigerrimus ſit oculus, & ad motum ineptus; itaque videtur ſibi eſſe onus & palpebra, vult conniuere, ac videtur ſuomet onere grauari, inſtrumentis ſcilicet ad motum eneruatis ob conſenſum principii & vicinitatem: cum autem frigida illinitur, quoniam totus aqueus eſt, & contractu illo gaudet, ſenſum aperit, ac mouet.

CAPVT IX.

Explicatio in particulari, quomodo ſingula alliciant ſomnum, & qui magis ad ſomnum ſint procliues.

HIs itaque abſolutis, conſequens eſt, vt quomodo ſingula magis in particulari ſomnum alliciant, explicemus. Primum igitur ex laſſitudine, quæ ob diuturnum peruigilium contrahitur, adeſſe oportebat iſtam ſomni tralationem & quietem, ac viciſſim vtrumque: nam omne nimium eſt obnoxium. Cum igitur vis ſenſus vel ſenſitiuum ipſum eſt propter vigiliam labefactatum, quietem expetit alioqui neceſſariam, vis eius ſubmittitur ac flacceſcit, & ipſum ſibi ipſi videtur onuſtum, onus, inquam, moleſtum, & pigritia fit; itaque ſomnus obrepit, & corpus totum decumbit, primum autem ob id caput reclinat. Eodem modo poſt labores ſomni contingunt: nam laſſitudo facit debilitatem vir-

tutis & omnium inſtrumentorum, ac denique vigilandi, agendique amplius moleſtiam, ac forſitan quandam impotentiam. Primum itaque motus ac ſenſus inſtrumentum, quod eſt ſenſorium ſenſoriorum, & inſtrumentum inſtrumentorum, ad motum, inquam, pigerrimum fit, & quies ab ipſo incipit primum: ſenſus enim ac mouendi agendique facultas vna & principium duntaxat vnum, non aliter ex balneo, quoniam diſſoluit plurimum, & imbecillitatem parit, itidem ex quibuſdam animi defectibus, qui celerem laſſitudinem afferunt: quanto enim celerius fit, tanto etiam pigritia maior, & ferme vigilandi impotentia procedit, eadem ratione ſudores quidam diaphoretici, quippe qui non modicam imbecillitatem & laſſitudinem afferre poſſunt, & ſpirituum præſertim reſolutionem. Conſentaneum igitur eſt, vt vigor, qui potiſſimum è ſpiritibus dependet, flacceſcat, ac primum ipſum principium, primumque inſtrumentum graue onus ſibimet eſſe videatur, & impotens ad ſubſtinendos vigiliæ conatus, tametſi alias eſſent ſibi gratiſſimi. Somni quoque à vaporibus fiunt, ac præſertim ab aſſumpto cibo & potu: nam replent caput, & calorem ſpiritumque exturbant; itaque cerebri vigorem eneruant, & compreſſionem faciunt, ac vigilandi faſtidium, partim etiam meatus ipſos obſtruunt, vt faſtidium hoc magis

gis

gis ſubcreſcat; itaque ſomnos non immerito cient; id itaque in febribus fieri ſolet circa acceſſionum initia, cum vapor affatim plurimus ſurſum reſpirat ad caput: pariter ex vini potu, & rebus aliis vaporem emittentibus copioſiorem: nam ſedem illam animi præſtantem comprimunt, & replent, pariuntque faſtidium vigilandi, cum reddant illam inexpeditam ad actiones obeundas, & vires eius eneruent, ſolent etiam vapores ibi in humorem conuerti, ac partem eandem irrigare vt pluuia, aut ros: ſola enim multitudo præſertim in humido loco facit denſationem, & humoris generationem, ſicut in alembico & operculo: humor autem facit aggrauationem & obſtructionem, & ideo parit pigritiam, & vigilandi ineptitudinem; itaque in ebrio, niſi ſoluantur crapulæ, ſomnus ſemper perſeuerat. Pariter etiam humores tum comprimendo, tum aggrauando, obſtruendo & eneruando per mollificationem ſomnum alliciunt, quia videtur ob id cerebrum eſſe ſibimet oneri, & vigilare non poſſe, quia non eſt expeditum, & robur eius refractum: illi vero ſi in partibus ſentientibus fuerint vt triſtis ſenſationem aut diſtendendo, aut pungendo, rodendoque faciant, vel quomodolibet alias dolorem pariũt, ſi vero etiam in cerebri ſubſtantia non exigui aut ibi ſolum, acres tamen, mixtam generant affectionem ex ſomno

& vigilia: nam aggrauatio obſtructioque, & eneruatio illius viſceris ſoporem parit, ſiue in ſomnum delationem: eroſio vero & punctio, aut mordax calor parit excitationem ſenſus, quia vellicat & ſtimulat perpetuo: in hunc modum ſunt illæ lethargicæ phrenitides, & coma vigil, & variant affectus ſecundum magis & minus, prout alterutra cauſa magis obtinet. Ex compreſſione meningæ non eſt mirum, ſi ſomnus fiat, & ille quidem altiſſimus, ſeu potius impotentia vigilandi, quia cerebrum velut onere preſſum, inexpeditum eſt, & conatum illum alacrem refugit ad vigiliam neceſſariam, ſed vires ſubmittit, & prope eneruatum decumbit, quandoque etiam ſolum veſtigium, & nota compreſſionis hoc idem facit, quoniam pro eodem eſt, ac ſi materiale aliquid actu ſemper comprimeret, quantum ad ſenſum, & hoc perſeuerat, quouſque paſſionis hæc ſoboles non erit extincta. Frigida quoque omnia ſoporem alliciunt, quia ſenſus immobilitatem & pigritiam faciunt, atque omnino vigilandi ineptitudinem ſtuporem afferunt, aut torporem modicum, qui ſomnum facit in cerebro: nam maior torpor maiorẽ facit affectum. Ex moleſta lectione ſomnus allicitur, quia facit in anima tædioſam & moleſtam applicationem, vnde fit moleſtia vigilandi & ſentiendi; quamobrem pigritia fit ſenſui, & præſertim ſenſorio

pri-

primo, cuius officium eſt ſingulis proſpicere, & animaduertere. Amplius ex ſuauiſſimis ſonis & harmoniis, quales per fabulas produnt fuiſſe in mari concentus Syrenarum iucundiſſimos, quoniam blandiſſimi ſoni demulcent aures ſuauiter, ac totum cerebri ſenſum: cauum enim eſt, & conterminum auditiuo; quapropter in illa blanda & ſuaui applicatione quaſi manus dans recumbit ac requieſcit; itaque facit delationem ad ſomnum, quemadmodum apro accidit habenti craſſum corium, & ſenſum eius minus alacrem & inſolentem, gaudet adeo prurigine, vt totum ſe extendat & recumbat, & decumbente totius conatu ſomnus illum inuadit: ſomnus enim vt quies eſt, atqui per ſenſum auditus magis appropriate allicitur homini, quia ſuum obiectum blande mouet, proximum eſt cerebro illud ſenſorium, & minus diſtrahit, videturque cerebrum intus afficere, vt ſuperius dicebam, quietem amat, & fixionem blandam, quamuis etiam calores ſuaues ſomnos mouere eodem modo ſoleant. Vidimus præterea motionibus quibuſdam & ſonis minus blandis ſomnos cieri, quemadmodum nutrices ſuis infantulis ſæpe illum accerſunt: eos namque in cunis poſitos æquabiliter mouent, & canunt parum ſuauiter, aut ſonis quibuſdam ineptis obſtrepunt, atque ita ſomnus illos inuadit, quoniam motus ille facit videndi faſti-

dium, ſonus autem audiendi; quapropter ſenſitiuum primum propter tædium & faſtidium ſuſpendit applicationem ſuam, & requieſcens vires ſubmittit; itaque ſomnus efficitur iure optimo. Tenebræ deinceps & ſilentium ſoporem afferunt ob ſentiendi impotentiam: ſic enim facta quiete mouetur ſenſus illius partis in amorem & voluptatem quietis. In hac poſtrema parte videbatur conſentaneum, vt exponeremus, qui magis aut minus ad dormiendum aut vigilandum ſint idonei: dicebat Ariſtoteles, habentes venas latiores minus eſſe ad dormiendum procliues, & ratio eſt, quia magis liberam habent tranſpirationem, & effluxum; quapropter minus obſtructionibus corripiuntur, & in his maioris eſt caloris impetus, qui ad vigilandum haud parum prodeſſe poteſt, hi quoque minus obæſi fiunt, & ideo magis expeditum habent cerebrum: ſunt autem ſomnolentiores, quibus cerebrum eſt humectius, quoniam humor facit aggrauationem, & cerebrum ipſum, quo minus firmum eſt, quale per humorem efficitur, magis prompte vires ſubmittit, & manus dat quieti: cum autem ſiccius eſt & durius, promptiſſimum eſt ad vigilandum: prope enim inflexibile eſt, & remitti non poteſt, & quidam ob ſiccam cerebri temperaturam prope omnino ſunt vigiles, hoc modo contingit ſenibus propter ætatis

tis temperaturam ſicciorem: neſcit enim ſiccius cerebrum conniuere, & vires ſubmittere: nonnulli quoque ſunt propter frigiditatem ſomnolenti, atque alii propter calorem vigiles, atque nonnullis humor quidam acutus & calidus affluit, qui perpetuam fere vigiliam parit, quia vim habet excitandi non remiſſam. Ex his facile eſt plura cōgregare tum de temperamentis naturalibus, tum ætatum, tum denique ſecundum varios caſus accidentium.

DE

DE FAME ET SITI OPVSCVLVM QVINTVM.

Capvt I.

De exortu famis & ſitis, atque earum diſtinctione, & quibus conueniant.

QVONIAM natura cunctorum entium non eſſe modo, verum etiam conſeruationem affectauit; propterea cum ſublunarium præſtantiſſima conſtituta iam eſſent corpora, vitali hac luce inſignita, vt ipſa diutius poſſent permanere, & vitam degere, fomitem quendam inſtituit, nempe alimentum vitæ neceſſarium, quod non ſolum vtile eſt ad augmentum, cum imperfecta quodam modo exoriantur, & periodum quandam perfectæ magnitudinis deſiderent pro conuenientia formæ, & operationis ſecundum ſpeciem præſtantiſſime, verum etiam ad conſeruationem, & caloris ſalutem: nam calor tum proprius, tum alienus, vt colligitur ex Ariſtotele de longitudine & breuitate vitæ, atque Hippocrate in libro de Alimento, ſubſtantiam propriam diſſipat, quamobrem fit, vt animantium

tium illa cumulatius, hæc autem minus egeant pro ratione caloris. Sed quoniam viuentium corporum, quibus eſt opus alimento, alia ipſum habent prope aut coniunctum, quemadmodum ſunt plantarum genera; alia vero remotius quæritant, eo quod ſeparatum habeant, ideo factum eſt, vt plantæ, quæ tanquam in matrice perpetuo nutriuntur ſugendo alimentum è terra paratum, cui ſunt affixæ, nullo ſollicitarentur deſiderio nutriendi, neque eſuriant, tametſi naturalem (vt aiunt) habeant appetitum, qui profecto non eſt aliud, præterquam naturalis quædam, & inſita promptitudo ſeu propenſio, atque potentia ad excipiendum alimentum ſibi conueniens, humorem, inquam, è ſinibus terræ ſuſceptum, quemadmodum diceremus, appetere ac trahere ad ſeſe oleum papyrum ardentem, aut quemuis alium ſuccenſum fomitem; ideoque ſatis (vt arbitror) improprie, & per quandam analogiam appetitus nuncupatur: cæteris vero, quæ habebant alimentum remotum ac ſeparatum, opus erat ſenſu, atque deſiderandi potentia, vt non oblita ſemper, quandoque famis tentigine ſollicitarentur ad alimenti deſiderium, ne fortaſſe opus naturæ factum præclariſſimum momento temporis contabeſceret, atque hunc appetitum famem, quendam vero alium ſitim nuncuparunt, idque proprium duntaxat eſt animali-

malibus, quippe quæ deſiderandi habeant facultatem, videlicet ſenſum. Hinc præterea effectum eſt, vt mouendi quoque ipſis potentia aſſcriberetur, qua poſſent ad alimentum ferri, cum non habeant præſens, ac traditus eſt talis motus hiſce quidem clarius, his vero obſcurius: motum namque manifeſtum obtinuerunt ea, quæ ex vno in alium ſecedunt locum, immanifeſtum vero atque obſcurum alia, quæ paulo minus, ac plantæ affixa viuunt, ob id ſane plantamina nuncupata, ſed hæc talem habent motum, vt poſſint ſeſe dilatare, & contrahere, atque ita ſibi ſolent parare alimenta neceſſaria, nequaquam tamen credendum eſt, motum etiam cæteris ineſſe propter alimentum, quaſi vero plantæ vt animalia ad illud moueantur, adeo vt radices tanquam manus extendant & porrigant: hic enim non eſt proprie motus, ſed naturale augmentum ſecundum viam generationis, quod nihilominus efficitur, vt per eas radices, veluti per os ſugant, & corpus totum nutriatur, quemadmodum inquit Ariſtoteles in libro de Plantis, & Hippocrates in libro de natura pueri. Empedocles vero, cum nimium tribueret calori & frigiditati, cenſebat, omne alimenti deſiderium, qualecunq; illud ſit, omnemq; nutritionem calori referendam eſſe, cum ſeruare ipſum oporteat per alimentum ſubminiſtrato fomite, atque ipſummet

cau-

cauſam eſſe ſuæ, ac totius inſtaurationis ob perennem renutritionem: nam manifeſte videbat, quæcunque corpora calidam vim obtinentia, ſi paulo ſint craſſiora, quam natura ignis deſideret, ex neceſſitate indigere fomite, & humore aliquo, ſi diutius debeant permanere, quod plane in ſingulis erit manifeſtum intuenti, & eorum quæ magis calida ſunt, aut magis etiam imperfecta, minuſq; ſolida, frequentius egent hoc dicto fomite, reliqua vero minus: calor enim natus eſt conſumere ſubſtantiã propriam, nam ſine ratione agit, facitq; ipſam cõtabeſcere, niſi reparetur humidũ extrinſece, vt quaſi pabulo refoueatur aſſidue: frigida vero videntur ceteris paribus diuturniora, & nullo egere alimẽto, quẽadmodum ſunt lapides, metalla & eorum cognata, quæ vel omnino ſunt frigida, & ſolida, vel parum obtinent caloris in ſubſtantia ſolidiſſima, cuius pertinacia & reſiſtendi potentia vincit actionẽ modici caloris. Quæ plane vera videri poſſent, ſi ſumeretur alimentũ latius, nequaquam vero ſi in propria ac germana acciperetur ſignificatione: ſic enim ad viuentem, vt viuens eſt, refertur, quemadmodum declarauimus in tractatu de nutritiua potentia. Sitis vero minime fit cunctis viuentibus; quapropter minus quam eſuries patet, neq; etiam communis eſt cũctis animalibus, quoniam non eſt propter nutritionem eſſentiali-

tialiter:potus enim aquæ non nutrit, nullamque acceſſionem ad ſubſtantiam facit, ſed tamen ipſa quoque vtilitatem non modicam ad alimentum habet. Cum enim ſiccis veſcamur cibis, & ſicciores fiant in ventriculo, ſi parum tenues aſſumantur; idcirco videbatur neceſſarius aliquis fluor, vt alimento miſceretur ſicciori, hic autem eſt potulenta ſubſtantia, cuius indigentia facit ſitim; itaque prima vtilitas eius eſt, quod per ipſam miniſtratur talis fluor, humidaque natura, cuius ratione melius vnaquæque procedit concoctio in ventriculo: ſic enim in leuorem detrita & attenuata facilius concoquuntur eſculenta, quemadmodum plane videmus in externis decoctionibus igne factis, & Chimiſtarum genus cum ſoluere aliquid tentant, humorem commiſcent ſolido, vt opus ſuccedat ex voto; ac propterea nonnunquam in medio decoctionis alimenti efficitur potandi deſiderium, & fortaſſe tunc potum dare aliquibus non eſſet inutile. Nam ſi plus æquo ſiccetur alimentum, tandem corrumpitur, & fœdum concipit odorem, parit grauitatem, & febrilem calorem: cum vero præclarum hoc munus peractum erit, abutitur deinceps natura eadem potulenta materia ad alium vſum: nam pro vehiculo eſt ipſi alimento per anguſtiſſimas venas: id enim ſi relinquatur, ſolum obſtruet meſeraicas venas ſuo lentore

&

& craſſitie, ſed mixtum humidæ fluidæque naturæ per eas multo facilius ſeſe inſinuat. Tandem vero hoc alteratum, & ſanguineæ ſubſtantiæ nonnihil obnoxium, in propriam quandam excernitur regionem: pars vero altera adhuc relinquitur minus fœculenta, mixta cum ſanguine, ne concreſcat in propriis vaſis, & commode adhuc per vniuerſam corporis molem diſtribuatur. Præterea multam affert vtilitatem ad eam omnem ſiccitatem, quæ fit in corpore propter motum & calorem, necnon etiam ad teporem excedentis caliditatis; quamobrem ſitis appetitus quidam frigidi & humidi definitur, præſertim vero ob cordis calorem & ſiccitatem, earumque partium, quæ ſpirationi momentum habent, vt latius iam iam explicabo, eaque potiſſimum ratione, vt ait Philoſophus tertio de partibus Animalium capite ſeptimo. Hinc etenim fit, vt nonnullæ animantes nullo modo ſitiant; aliæ vero perexiguo indigeant potu, vt præcedenti aſſerebat capite: quæ enim ſunt exangues, ac potiſſimum inſecta vel omnino non bibunt, aut potulentis ipſis vtuntur, non potus, ſed cibi gratia, ſiquidem natura ſanguinis facit feruorem, defectus contra remiſſionem caloris & imbecillitatem; itaque proprium illis ſatis eſt humidum cum aliqua eſculentorum humiditate, quippe quæ cibis vtuntur nequaquam ſiccis,

Q quan-

quandoque tamen vtuntur potu, vt apes, veſpæ & cognata eorum, præſertim in æſtiuo caumate, quando & labor & extraneus calor propriam diſſoluit humiditatem, & interraneus calor videtur accendi, plurima vero non ſitiunt, & illa forſitan cibi potius, quam ſitis gratia proficiſcuntur ad aquas, aliorum illa, inquit Ariſtoteles, non ſitiunt, quæ carent pulmone, vnde neque veſicam obtinuerunt, veluti ſunt piſces, qui propter humidam temperiem, & loci in quo degunt naturam, ac ciborum qualitatem & aſſumendi modum nequaquam egebant potu; quapropter nec ſitiunt, neque veſicam habent: corticata etiam omnia tum veſica, tum potus, qua potus eſt, deſiderio carent excepta teſtudine: in hac enim corticatorum omnium natura tantummodo aptauit veſicam, cuius rei cauſam attulit Philoſophus, quod marinæ, præſertim teſtudines, pulmonem habent carnoſum ſanguineum, & ſimilem bubulo, terreſtres autem proportione maiorem. Aues præterea ex toto genere parum ſitiunt, quoniam pulmonem habent laxum, pene exanguem, ſpumæque non abſimilem, & quorundam illorum adeo exanguis eſt & laxus, vt omnino non ſitiant, niſi febricitent, aut præter naturam caleant, quemadmodum ſunt rapaces accipitres, aquilæ, falcones & eorum affines, atqui ſatis rationi conſentaneum erat, vt a-

ues

ues parum vel nihil biberent propter commoditatem operationis, quoniam potus haud parum inutilis eſſet ad volatum; itaque cœpit ex neceſſitate hac oriri naturalis conſuetudo. Veſcuntur præterea ſecundum plurimum humidis alimentis, quoniam rapaces aues veſcuntur carnibus crudis cum multo cruore, ſolidumque habent ventriculum, vnde minus humor tranſpirat, & parum illius dimittit, cum ſemel conceperit, ac potus gratia eructat in ventrem quidam humor proportione reſpondens bili aut ſero, qui tum coctionem accelerat, atteritque ſtatim alimenta, tum celeriter facit ipſa prolabi, cumque humor in veſicam non excernatur, poteſt illemet ſufficere, ne ſubinde potum deſiderent, cum autem pulmonem illorum aſpicimus, naturam exanguem intuemur & laxam; vnde poſſumus colligere, in humano genere eos, qui calidiores ſunt & ſicci, pulmonemque habent tum denſum, tum magis ſanguinolentũ, ſi ſiccam pręſertim ventriculi ac iecinoris ſubſtantiam obtineant, eſſe magis potatores, alios contra exiguo egere potu.

Capvt II.

Quid ſit vtraque appetentia, fames, inquam, & ſitis.

Cvm autẽ operæ pretiũ ſit ante alia determinare, quid eſt ſitis & fames, ſuſcipiẽda

eſt vtriuſque definitio, quam tradidit Ariſtoteles ſecundo de Anima tex. vigeſimooctauo, cum palam diceret, famem eſſe appetitum calidi & ſicci; ſitim vero appetitum frigidi & humidi, vtraque certe definitio tum methodo eſt aſſignata, tum etiam ratione confirmata. Omnibus namque manifeſtum eſt, vtramque paſſionem eſſe deſiderium quoddam. Sed quoniam hoc vel ſenſus, aut certe ipſius mentis eſt operatio affectioque: propterea citra vllam controuerſiam vtraque concupiſcentia reddenda eſt ſenſui, quippe quæ cunctis aſſcribatur animantibus: ſenſuum autem proprie conuenit tactui; is enim eſt ſenſus vitæ & nutrimenti, vt ait Philoſophus ſecundo de Anima. Idcirco credendum erat, famem & ſitim eſſe appetitum eorum, quæ tactiua cognoſcit facultas, hæc autem eſt calidi, frigidi, humidi & ſicci; idcirco fames & ſitis eſt appetitus iſtorum, atque horum potiſſimum, quoniam ex his conſtamus, & prout duplex efficitur indigentia, calidi ſcilicet & ſicci, frigidi quoque & humidi, ita duplex appetitus oriri debebat, eum vero, qui calidi & ſicci indigentiam ſectatur, appellarunt famem, alterum deinde ſitim nuncuparunt: ſatis enim id manifeſtum eſſe debet, eandem facultatem, quæ cognoſcit, deſiderare, & appetere: nam ſi ſecus fieret, idem eſſet, atque ſi ego cognoſcerem bonum aliquod, tu vero ipſum deſiderares,

tes, ſiue Socrates haberet alicuius rei indigentiam, attamen illam appeteret Plato. Cum igitur ſentiat tactus indigentiam humidi & frigidi, vel contrariam intemperiem, calidam & ſiccam, quam ægre ferat, appetit frigidam humidamque potionem, vt indigentia hæc, quæ triſtis eſt, repleatur, & ſentiens defectum calidi & ſicci, eſculenta deſiderat, & famis prurigine ſollicitatur. Id etiam optima ratione confirmatur: nam fames debet eſſe appetitus eorum, quæ corpora nutriunt; fames enim eſt propter inſtaurationem deperditi, vt conſeruetur ſubſtantia, aut etiam augeatur, quantum fieri poteſt, ac decet pro forma, ſed calido & ſicco nutrimur; ideo fames calidi & ſicci eſt appetitus. Hic tamen me pupugit quædam difficultas, quoniam inquit Ariſtoteles in libro de Iuuentute & Senectute, nos calido humidoque nutriri, quomodo igitur fames erit appetitus calidi & ſicci? Quin etiam ſi conſiderentur alimenta, aut ſermo erit de intrinſeco alimento, aut de eo, quod extrinſecum appellatur, ſi ſumamus extrinſecum, certe neque natura hominis omnino ſicca deſiderat, imo pueri lac appetunt, adultiores iuſcula quædam, contuſa & liquida, quæ actu & poteſtate ſunt humida, ſi intueamur alimentum intrinſecum, hoc plane humidum eſt & calidum, vt inquit Ariſtoteles tertio de partibus Animalium; quamobrem

potius dicendum erat, fames eſt appetitus calidi & humidi, quam calidi & ſicci, aut ſimpliciter fames eſt deſiderium cibi, qualiſcunque is ſit, dummodo videatur conueniens: ſæpe enim ſicca, interdum etiam humida deſideramus eſculenta; ſitis autem dicetur potandi concupiſcentia: ſin autem in aliorum ſpecies aciem conuertamus, pleraque tantum abeſt, vt ſicca deſiderent, quod niſi humida actu habeant, omnino abſtinent, & famem diutius ferunt: ſi vero accipiamus alimentum intrinſecum, illorum etiam humidum eſt; itaque fames non eſt appetitus calidi & ſicci. Reſpondeo huic difficultati, quod humidum eſt duplex, alterum fluidum & roridum, alterum autem ſolidum, atqui fames appetitus eſt humidi ſolidi, id vero cum ſolidum ſit comparatione humidi roridi, quod ſitim mouet, dicitur ſiccum, ac fames calidi & ſicci deſiderium, appello nunc ſolidum quandam ſubſtantiam paulo craſſiorem, & quantum ad modum pertinet, paulo conſiſtentiorem, quippe futura ſit nutrimento ſolidarum partium, totumque animal, & caloris naturam refouere debeat, ac reparare id, quod erat deperditum: ſed quoniam hoc humidum ſolidum animal ipſum coniunctum non habet; propterea extrinſeca cupit alimenta. Cum autem quæritur, vtrum ſit appetitus extrinſeci alimenti; fateor

equi-

equidem: nam manifeſte id patet, atque illud eſt, quod appetentiam hanc ſedat, dum ingeritur; attamen hoc alimentum, inquit Ariſtoteles ſecundo de Anima textu quadrageſimoquinto in principio, eſt diſſimile, & quodam modo contrarium: in fine vero vi caloris efficitur ſimile, ac propterea calidum humidumq; redditur, ea nimirum humiditate, quale eſt id, quod nutritur; ſic enim inquit ad verbum: (At enim intereſt plane ſi nutrimentum ſit id, quod vltimo tandem adiungitur, atque additur, an non hoc, ſed id, quod primum ingreditur, quod ſi vtrumque quidem eſt alimentum, alterum tamen eſt digeſtum, alterum indigeſtum, vtroque profecto modo & contrario contrarium, & ſimile ſimili dicere licet nutriri: nam ſi vt indigeſtum ſumatur, contrarium contrario alitur, ſin vt digeſtum, ſimile ſimili nimirum hoc pacto nutritur.) Ex his ergo ſatis patet, famem eſſe appetitum calidi & humidi, id tamen aut in principio tale, vel ſaltem in fine, cum paſſum aliquid atque alteratum fuerit. Sed iam reuertamur ad propoſitum noſtrum, vnde diſceſſimus: nam probare nitebamur, famem eſſe huiuſcemodi calidi atque humidi ſolidioris deſiderium. Etenim illius eſt appetitus, in quo vita ipſius animalis conſiſtit, id enim nutriens eſt, & vitam reparans, ea vero in calido & humido conſiſtit; igitur

ſames eſt talis humidi appetitus. Amplius eorum eſt fames, vt initio dicebamus, quibus etiam conſtamus, calido autem humidoque ſolido conſtamus, quod ſiccum aliquo modo eſt, cum termino proprio cõtineatur, aut tale ſaltem in reſpectu. Præterea fames eſt appetitus inſtaurandi deperditum: quale igitur eſt id, quod fuit deperditum, tale etiam debet eſſe illud, quod appetimus, id vero eſt calidum & humidũ ſolidum; ergo fames eſt quædam illius concupiſcentia. Amplius tale eſt nutrimentum, quale eſt id, quod ab initio generationis miniſtrat natura: hoc autem eſt calidum & quodam pacto humidum ſolidum, vt patet in iis, quæ ex verme, ex ouo, aut ſemine generantur, quibus omnibus talem ſubminiſtrat ſubſtantiam, quæ futura ſit nutrimentum eius quod generatur. Cæterum quia dicit, etiam in definitione eſt appetitus calidi, ſeſe offert occaſio dubitandi, ſi ſit calidi in actu, vel poteſtate tantum: multis plane videretur eſſe appetitus calidi in actu, atque ob id nos fercula deſiderare actu calida: quod tamen abſurdum eſt, vt paulo poſt profuſe dicemus, ob id fateor ex mente Ariſtotelis loco nuper citato, famem eſſe appetitum calidi ſaltem in fine, atque adeo ſi quiſpiam diceret, fames eſt appetitus cibi ſiue alimenti, hoc ipſum fateretur diminute, ſiquidem Ariſtoteles aſſecutus eſt definitionem hanc perfectiſ-

fectiſſime: alimentum enim eſt pro materiali ſolum, ſed ponendo calidum & humidum connotatur hoc, & alimenti ipſius natura, in quam conuerti debeat, & qua potiſſimum ratione alimentum dicatur; namque hoc modo natum eſt actu, & proxime nutrire. Et hæc proprie eſt formalis definitio, quoniam hæc eſt natura famis, & illa ſitis: cæteræ autem, quas attulit Galenus, ſunt cauſales, quippe quæ per cauſam facientem, coniunctam tamen, aſſignantur, cum diceret, fames eſt ſenſus ſuctionis, aut alias fames eſt ſenſus indigentiæ alimentorum.

Capvt III.

Qua parte corporis, item qua parte animæ cognoſcente fiat fames, atque omnino de partibus cibo accommodatis.

Mihi viſum eſt, ſemper aliquos poſſe ſuſpicari, vt fames ſit paſſio quædam totius ſenſus, nullius autem determinate, ac ſingularum etiam totius corporis partium, conceptaculum tamen eorum, quæ comeduntur, eſſe duntaxat vnum. Etenim ſi fames indigentiam ſequitur, & propter inſtaurationem fit eius, quod eſt deperditum, vt perinde ſeruetur animalis ſubſtantia, certe in ſingulis partibus noſtri corporis fieri deberet, poſt-

quam ſingulæ inaniuntur, & reparationis egent: accedit etiam, quod æque omnes habeant ſentiendi facultatem, vt gaudere valeant, & viciſſim triſtari, gaudere quidem propter conueniens & ſalutem, triſtari vero propter defectum & contraria, neque videri poteſt, vt aliqua tantummodo pars corporis eſuriat per diſciplinam & conſuetudinem, quoniam eſuries eſt appetitus, quoad originem pertinet naturalis, & ęque fit primis diebus atque in ſenio. Alii contra exiſtimarent quidem, per vnam duntaxat partem eſurire, quam ventriculum appellant, ſed tamen eam proprium quendam ſenſum huic rei conſcriptum obtinere, cuius expertes ſunt aliæ partes: quemadmodum vna duntaxat parte videt animal, nimirum oculo, quippe qui ſolum inſtrumentum ſit idoneum ad hanc actionem propter ſubſtantiam tranſpicuam. Cum enim ſenſus animalis ſit vnus, idemque applicatione ad inſtrumenta fiat varius, vtpote applicatus tympano fit virtus auditiua, coniunctus pupillæ fit idoneus viſioni, & ſic de cæteris. Erit etiam, ſi coniungatur ventriculo, peculiaris quidam ſenſus alimenti, & eorum omnium, quæ comeduntur ac bibuntur, ipſe etenim ventriculus eſt inſtrumentaria pars, & proportionem habet ad pupillam, ad membranam, ad carunculam, & conſimilia inſtrumenta; quamobrem cunctarum partium

tium vna duntaxat eſuriret, ac ſextus daretur ſenſus, alias vero ſi ſenſum haberet eundem, & ratione huius inſtrumenti nullo modo eſſet diuerſus, certe non minus aliæ partes fameſcerent, atque adeo ſumpto cibo, qui ſatis ſit, fames adhuc inſtaret, non accedente iam alimento in omnes partes, neque id videtur aſſcribendum eſſe ventriculo propter ſenſus alacritatem: nam multæ partes ſunt, quæ vel non deficiunt ab eo, vel fortaſſe etiam ſenſum habent acutiorem, & magis inſolentem, neque ratione ſuctionis: nam pariter fieret in hepate, in quo venæ radicantur ſecundum opinionem Galeni, vel in ipſo corde ex opinione Ariſtotelis; quin etiam ſuctio magis ad meſereon pertingit, in quam partem lactes, ſeu venæ meſeraicæ producuntur, neq; etiam ob diſciplinam & conſuetudinem; hoc enim confutauimus paulo ſuperius: reliquum eſt igitur, vt ſi in vna parte fiat, nempe in ventriculo, cum proprium quẽdam habere ſenſum, vtpote ſextum in numero, qui propterea dicatur ſenſus cibi & potus, ſiue alimenti. Mihi tamen videtur vtrãq; opinionẽ decipi: quod enim ad ſenſuum numerum acceſſionẽ facere nõ oporteat, manifeſtum eſt. Nam ſi ex ipſa definitione fames & ſitis ſunt appetitus calidi & frigidi, humidi & ſicci, quomodo fieri poteſt, ne tactus ſit ſenſus eorũ? quamobrem Ariſt. hoc ita determinauit ſecundo libro de Ani-

Anima tex. vigeſimooctauo his verbis: Alimenti præterea ſenſum habent: tactus enim ſenſus eſt illius; nam ſiccis & humidis, calidis atque frigidis aluntur viuentia cuncta, horum autem, vt patet, ſenſus eſt tactus, cæteris vero per accidens nutriuntur. Vides hoc loco, quam clare id fateatur, & quomodo illius demonſtrationem auſpicetur ab obiecto, quoniam, inquit, fames eſt appetitus calidi & ſicci, vel humidi ſolidi, tu vero ſcis, nequaquam augendum eſſe numerum potentiarum, niſi ſubcreſcat numerus ſubiectorum. Attamen quod ad primam pertinet opinionem, appetitus alimenti diuiſus eſt bifariam, in naturalem videlicet appetentiam, atque etiam in animalem. Peripatetici fatentur, partes omnes totius corporis naturaliter deſiderare, ſed propriam indigentiam plantarum more nec ſentire, neque cognoſcere: nam ſi trahant, ſuſcipiantque alimentum, ſi inaniuntur omnia ſunt vt habitus quidam & actiones naturales, vnde ſicut plantæ naturaliter attrahunt, primum videlicet illud alimentum ex venis, venæ ex hepate, hepar autem ex ventriculo mediantibus venis meſeraicis, in quibus tanta partium orta eſt diſtinctio, & naturalis ſecretio propter commoditatem neceſſitatemque naturæ, & magnitudinem corporis, vna duntaxat pars relinquitur, quæ ſuo ſenſu, & illo quidem non obtuſo, ſu-

ſo, ſuctionem & indigentiam cognoſcit alimentorum, & ægre fert, quapropter auet: ſed hoc videtur Ariſtoteli repugnare, ſiquidem ait tertio Ethicorum cap. quinto, famem neceſſitate fieri, & nequaquam eſſe in nobis, attamen ſi appetitus eſſet animalis, contingens eſſet: hoc enim modo animalis appetitus à naturali differt. Satisfacit ibidem Ariſtot. quod animales appetitus, quorum principium non eſt in nobis, non ſunt ſpontanei, fames autem & ſitis ſunt illo modo: nam cauſa mouet neceſſario, attamen non ſine cognitione; alii vero, qui fiunt aliquo duntaxat obiectiue mouente, non ſunt neceſſarii, ſed ſpontanei appetitus. At credere dignum eſt omnem partem cibo accommodatam veluti conceptaculum eius, & inſtrumentum ad coctionem eſurire, quippe quæ alimenti extrinſeci ſenſum habeat, & cuius gaudet plenitudine, eius quoque inanitionem ægre ferat, quamobrem deſiderium illud exoriatur, neceſſe eſt. Et certe ſi fames eſt propter alimentum extraneum, hoc autem à determinata parte ſuſcipitur pro toto animali, dicendum eſt, totum quoque animal fameſcere ſecundum partem eandem, ideoque fieri, vt ſtatim ſuſcepto cibo, qui quidem ſatis ſit, continuo ſedetur fames, tum vel magis quia ſenſus eſt vnus, & per vnam, vt diximus, partem ſuſcipiens, quod videtur ab ipſa natura haud temere

mere factum: nam ſi cæteræ etiam partes eſurirent eodem modo ſicut ventriculus, profecto ipſum animal incidiſſet in dogma perpetuæ calamitatis, quoniam perpetua cogeretur fame vexari, cum non ſtatim aſſumptum alimentum per ſingulas partes diſtribuatur: partes autem illæ, quę cibo accommodantur, non omnibus ſunt eædem, nec numero & ſpecie pares: nam alia vnicum habent ventrem, alia vero plures; quod quidem factum eſt, aut propter naturam animalis, vel propter qualitatem alimentorum, magnitudinem corporis, & modum, quo ingeruntur: ea enim, quæ ſunt vtrinq; dentata, vnicum duntaxat ventrem ſolent obtinere, quippe quæ has partes habeant molendo cibo, & quadantenus pręparando ſatis idoneas, nonnulla vero ob corporis magnitudinem & cibi difficultatem, & nequaquam ad coctionem idonei, ſed ſpinoſi & lignei multiplicem habent ventrem, vt camelus, qui veluti non dentatis animalibus ſimiles habet ventres, ita dentes etiam ſimili modo ſortitur, vtpote parum neceſſarios; quapropter more cornigerorum ruminare videtur: factum eſt autem, vt ruminantia & cornigera, ac quæcunq; non ſunt vtrinq; dentata, multos haberent ventres propter inopiam dentium, vt alius ab alio ſuſcipiat, & in poſtremo demum perficiatur conceptaculo ſatis iam in aliis attritum alimentum,

tum, atque adeo hiſce ruminantibus quatuor ventres diſtincti aliquo pacto reperiuntur, quorum nomina, vt placuit Ariſtoteli, ſunt venter, arancum, ſiue reticulum, omaſum, & abomaſum, eademq; ratione aues vel ſaltem geminos habent, ipſumq; præſertim ventriculum ſolidiſſimum, quoniam præduris veſcuntur alimentis, & nullo dentium ordine muniuntur; primam itaque partem apposite nuncuparunt ingluuiem, alteram autem ventriculum, & natura, vt dixi, in eius partis formatione robur adhibuit caloris & ſubſtantiam ſolidam, vt oris defectum ita rependeret & compenſaret; ac propterea non eſt mirum, ſi columbarum genus parietum fragmenta & tectoria comedat, ac digerere poſſit, & ſtruthiocamelus veſcatur, vt aiunt, ferro, ipſumq; faciat fluxile: nam ventrem habet ſolidiſſimum, denſum ſcilicet & craſſum, multoque præditum calore, qui propter vehemens robur talia nonnunquam deſiderat eſculenta, tum frigidiora, tum valde ſolida, vt impetum actionis cohibeat, ac cætera non diſſipentur alimenta, quæ paulatim actione diuturna in aliam inuertit naturam. Sed ego, vt ingenue fatear, non ſum admodum facilis ad credendum: qui enim cito credit, leuis eſt corde; ac propterea dubitaui, ne hoc temere crederetur: res enim ardua eſt, vt ferrũ atteratur, & ſoluatur adeo in fluorem, vt ſpeciem

mu-

mutet, ac fluidum, mutatumque in aliam naturam, omnino permaneat ab animalis ſcilicet calore, quod alioqui, ſi à calore ignis fundi & liquari debeat, id niſi diuturno tempore, & ab igne validiſſimo fieri poſſet, & forſitan non immutaretur; quamobrem vereor, ne paulo poſt non immutatum quidem excernatur, vel ſi forte id non eſt, ne humor aliquis generetur in eorum ventriculo, proportione reſpondens cuidam menſtruo Chimiſtarum, quod poteſt emollire, & attenuare ferri ſubſtantiam, quæ ſic præparata facilius deinde poſſit tranſmutari ab illo calore valido, adhibita potiſſimum actione diuturna: atqui non eſt mirum, ſi talis humor in ea parte generatur: id enim ſi ſecundum artem fit, id ipſum certe multo forſitan facilius ſecundum naturam fieri poteſt. Cum vero plures ſint animalium quorundam ventres, non inepte quiſpiam dubitaret, vtrum fames æque in omnibus fiat, aut in vno tantum, videlicet primum ſuſcipiente. Porro ſi fiat in omnibus, non eſſet conſentaneum rationi, vt mox ingeſto cibo ſedetur fames, quoniam non poteſt eodem tempore in omnes ventres deſcendere. Cum itaque adhuc inanis permaneat aliquis venter, qui indigentiam natus ſit cognoſcere, profecto ſequetur, ipſum adhuc eſurire, & famis deſiderium non eſſe penitus extinctum; ſin autem fiat in primo tantum

ven-

ventre, fames nequaquam fieret in ventriculo, qui maius alioqui ad alimenta momentum habet. Reſpondeo huic difficultati, quod ſenſus alimenti eſt æque in omnibus ventribus, ſed quia ſenſus eſt vnus, & natura vna, expletur appetitus plenitudine primæ partis, & propter hanc vnitatem naturæ & conſpirationem communem efficitur, vt totum animal mox ſuſcepto alimento refici videatur. Accedit etiam, quod alimenti pars ſemper aliqua tranſcolat, & prolabitur, illæque omnes ſunt partes colligatæ, & ad vnum idemque munus conſentientes, ac prope ſe habentes tanquam magni alicuius conceptaculi multæ cauitates, quarum omnium membrana ſubcingens eſt vna atque communis. Cum itaq; prima pars impletur cibo vel potu, conſentanee explebitur deſiderium vniuerſim; nequaquam igitur credendum eſt, in primo duntaxat ventre fieri famem. Nam ingluuies, vt manifeſte patet, minus momentum habet ad alimenti confectionem. Patet etiam, quod fames non repetit, quouſque cibus non exiguus in alterutro permaneat ventre, reficitur etiam & roboratur calor, & vis aliorum ob plenitudinem primi, atque ita ſedatur illa triſtis ſenſatio, quæ erat cauſa deſiderii.

R Caput

Capvt IV.

An paruula animantia, cum ſunt in matrice, eſuriant, & cibum quo pacto aſſumant.

Magna equidem ſeſe obtulit difficultas, cum præcedenti capite conſtitutum eſſet, famem eſſe paſſionem ventriculi, & omnino conceptaculorum alimenti, quæ ſunt in eadem affinitate, atque inter ſe tum officio, tum communi vinculo coniuncta, hinc ſane videretur, ne immatura animalia, cum in matrice viuunt, nullo pacto famem ſentiant, quippe quæ cibis non vtantur per os aſſumptis, neque potibus vllis, ſed omnino vita matris viuant, aut potius, ne fames etiam in hepate efficeretur; poſtquam attrahunt alimentum per venas & arterias vmbilicales, quæ radicum more inſeruntur in vtero, & inde adducunt alimentum ſanguineum in iecoris ſubſtantiam, & niſi pars illa ſenſum haberet ſuctionis, profecto nunquam moueretur ad alimenti deſiderium, & fruſtraretur opus naturæ. Hippocrates vero ob id ait in libro de Carnibus, puerum in vtero materno ſugere alimentum labiis, vnde ſequeretur, ipſum eſurire per partem conuenientem, ſcilicet ventriculum, poſtquam in illo fieret prima ſuſceptio cibi, imo etiam ſpiritum trahere eodem tempore confitetur, quod etiam dixerat

xerat in libro de Natura pueri, ait ſiquidem hoc modo: Cæterum puer in vtero comprimens labra ex vtero matris ſugit, & tum alimentum, tum ſpiritum cordi intro trahit, vbi ſane matrix reſpirarit: hoc enim calidiſſimum eſt. Et ne videretur hoc temere dixiſſe, duabus potiſſimum confirmauit rationibus, quarum prima hæc eſt, quia pueri naſcuntur ſtercus in inteſtinis habentes, & vbi nati fuerint, celerrime ventrem tum homines, tum pecora exonerant, attamen ſtercus non haberent, niſi in vtero ſuxiſſent labiis. Cum primum etiam nati fuerint, incipiunt mammas ſugere, & videntur os ipſum extendere & iactare, quaſi vero adhuc eſſent in matrice, nequaquam tamen id facerent, niſi didiciſſent prius. Accedit quoque & tertia ratio, quandoquidem videmus, animalia, quæ naſcuntur ex ouo, cum alimentum proportione quadam coniunctum habeant ipſum, ſcilicet vitellum, nam ex albumine animal generatur, cuncta profecto per os attrahunt, non ſecus atque ſi perfecta iam fracto putamine foris degerent, & alimento veſcerentur extraneo: eodem quoque modo nutriuntur alia, quæ generantur ex verme, quibus natura partem quandam relinquit, velut alimentum coniunctum vitæ neceſſariũ, quoad perficiatur, & maturũ fiat animal, non ſecus igitur credendum eſt, vt alia, quę in

vtero degunt, ſuſcipiant alimentum ſibi à natura paratum.) Idem verò Hippocrates ait in libro de Alimento, puerum in vtero matris ſuſcipere alimentum per abdomen, ac proprie per ipſum vmbilicum. Porrò ſic inquit ad verbum: (Principium alimenti & humidi & ſicci, os, gula, venter; verum antiquius ac primordiale alimentum per abdomen vmbilicus.) vbi clarè fatetur, primordiale, hoc eſt, vetus illud alimentum, quo in primitiis ætatis noſtræ vtimur, in vtero materno principium habere in abdomine, vtpote quod per vmbilicum trahatur, quemadmodum diximus ſupra: poſteà verò inquit, principium eſculentorum omnium, & potulentorum ſiue recentioris alimenti, eſt os & gula: itaque manifeſte videtur Hippocrates de eodem contraria dicere, quà in re ſi ſequamur Galeni ſententiam, qui credebat, librum de Alimento non eſſe germanum Hippo. hominis tamen nequaquam plebei & vulgaris, ac forſitan ipſius Theſſali, vel, vt aliis placet, Herophili, tollitur quidem nota contradictionis in eo, ſed relinquitur illa poſitio, quam auerſati ſunt omnes alii, præſertim Ariſtoteles & Galenus. Nam manifeſte videtur abſurdum, vt pueri per os ſugant in vtero compreſſis labiis, poſtquam ſanguineo veſcuntur alimento, confecto prius in iecore matris; fruſtra ſiquidem repeteretur hæc actio, fruſtra etiam

ſie-

fierent illæ venæ, & arteriæ vmbilicales, nullum præterea vſum habentes, ac propterea credimus, immaturos fœtus, ſi in vtero exiſtant, habere duntaxat appetitum quendam naturalem, ſimilem plantis, animalem autem appetentiam non habere, quippe quæ ſequitur ſenſum ſuctionis in ventriculo, tunc autem fit ſuctio attractioque per venas ipſas vmbilicales ab vtero matris, non ex ventre; quamobrem matris vita videntur viuere, quaſi partes ipſius adnatæ, & appendices vterorum: fieri tamen poſſe exiſtimo, ſi modo aliquo obſtruantur hæc vaſa vmbilicalia, vt generetur fames; nam alio ſecundum naturam auerteretur ſuctio; fugerent enim ab ipſo ventriculo, & pro triſti ſenſu ſuctionis efficeretur illa ventriculi fames, quæ eſt appetitus animalis, niſi fortaſſis adeo imperfecta ſint, & ſenſus adeo obtuſus, vt fere plantarum more viuant: cum vero adoleuerint, & vberius incipiunt egere alimento, ac fortaſſe etiam reſpiratione, tunc ſuctio fit etiam à ventriculo, & incipiunt eſurire; quapropter ſtatim videntur fameſcere, cum foras eruperint, & pro ventris appetitu, quem antea ſentiebant, os adhibent paratum ſuctioni ob naturalem neceſſitatem citra diſciplinam: hæc enim & ipſius cognata ſine vlla diſcipſina fiunt. Reliqua itidem animantia, quæ intra ouum generantur, ſine vlla controuerſia per

os ſugent alimentum; ac propterea dignum eſt credere, his fieri famem, ſi fortaſſe venter inanis fiat: nam ſuctio in illis fieret, & propterea propter indigentiam triſtis ſenſatio; ideoque deficiente, vt aiunt, coniuncto alimento frangunt putamina, & foras ſecedunt. Rationes autem Hippocratis facilime diluuntur: quod enim ad primam pertinet, in eum ſtatim reflecteretur, ſiquidem ipſi mirum videbatur vt puer, cum foras prodiiſſet, ſciat ſugere alimentum labiis, niſi id prius feciſſet in vtero, & mihi videretur etiam difficilius, vt idem puer longe imperfectior inciperet ſugere in vtero, niſi prius didiciſſet officium ſuctionis, ſed quomodo illud fieri poſſit ſine diſciplina & conſuetudine, ſuperius explicaui. Secunda itidem ratio reflecti poteſt: nam ſi puer in vtero per os ſugeret alimentum, toto profecto illo tempore efficerentur fœda excrementa primæ concoctionis; quamobrem puer in vtero egereret, ac fieret pro matrice cloaca, & quoniam huiuſmodi excrementorum genus prauum eſt & putridum, diutius citra noxam contineri non poteſt, neque ſatis videri poteſt, quoniam ſit ſubſtantia ſanguinea. Nam ſi nos ſanguine veſcamur, efficitur etiam illud excrementum, ac certe ſi ſanguis in ventriculi cauitatem deſcendat, mirum eſſet, niſi congelaretur vel denſior fieret & concreſceret, quemadmo-

admodum videmus fieri, ſi venæ aliquæ ſanguinem effundant in ventrem, aut aliam huiuſmodi cauitatem: illud autem excrementum, quod paulo poſt exortum egerunt, eſt pars fœculenti ſanguinis, quæ loco excrementi ſecernitur, & deponitur ab hepate in locum illum ſatis huic excremento accommodatum, quod proportione reſpondet ei, quod fit ab alimento recentiori, eaq; ratione videtur eſſe quædam ſubſtantia ſubnigra, & nullum prauum referens odorem modicæ quantitatis, quoniam propter neceſſitatem nutriendi parum ex multo deiicitur: in conſiſtentia vero eſt craſſiuſculum propter diuturnam actionẽ caloris, atq; hinc etiã patet, neq; illud tale excrementũ eſſe factũ ex parte eius aliqua, quod per os deſcẽdit, tametſi maior pars alimenti per venas vmbilicales abeat, vt aliqui fortaſſis exiſtimarent. Tertium poſtremo argumentũ nullius eſt roboris; idcirco ad alia, quæ magis inſtãt, proficiſcamur.

C A P V T V.

Qua parte fiat ſitis.

SED quo in loco fiat ſitis, & in quam partem potus abeat, differendum eſt, quoniã Ariſtoteles, Hippocrates & Galenus prębuerunt occaſionem dubitandi, & controuerſias ſcribendo fecerunt. Ariſtoteles tamen tertio de partib. animaliũ, capite tertio fatetur, po-

tum per gulam, quam œſophagum appellant, deſcendere in ventriculi cauitatem, & reprehendit eos, qui potum per arteriam prolabi exiſtimabant, quod aſſcripſerunt Democrito, profecto, inquit, irridendam eſſe iſtorum opinionem multiplici ratione. Primum quia meatus nullus de pulmone in ventrem obducitur, quemadmodum ex ore gulam tendere ſuſpicimus, id vero neceſſarium eſſet, quoniam deiici, poſtquam fuerit aſſumptum, oportet, & cum alimento adduci, poſtquam neceſſarium valde ad hoc vnum potum eſſe dicebamus, vt alimenti coctionem iuuaret, ipſumque deinde efficeret idoneum penetrationi; itaque in ventrem oportet delabi, vt miſceatur eſculentis ſiccioribus, & elixatio illa ventriculi optime fiat humidi commixtione. Præterea inquit, per vomitum & nauſeam vnde nam humor remeet, incertum non eſt, quaſi vero dicere hoc velit, ſi vomitus educit ex ventre, tuſſis autem expectorat, humor non vomitu, ſed tuſſi tantum excerneretur. Cum igitur per vomitum prodeat, ex ipſo remeat ventriculo; in eum igitur etiam deſcendit omnis potulenta materia; itaque locus idem eſt conceptaculum potus & cibi, atque eadem hac ipſa parte fit fames & ſitis. Præterea confirmat hoc experimento, quoniam ſæpe apparuerunt excrementa tincta fece vini atri, & in ventris vulnere, ſeu

quod

quod vſque ad inteſtina penetrabat, hoc idem patuit, cum foras ex vulneris orificio talis humida prodiret ſubſtantia, qualis antea fuerat aſſumpta. Accedit etiam, quod potiones medicamentoſæ & laxatiuæ, quæ bibuntur, in pulmonem etiam allaberentur, atque adeo non euacuarent per ſeceſſum, neque etiam vomitu redderentur, quod ſæpius accidit: tum etiam, quia plerunque experimur, ſi bibendo aut edendo pars aliqua per arteriam deſcendat, tuſſim fieri propemodum incompeſcibilem, ſtrangulatus, & tormina. Quomodo igitur fieri poteſt, vt potus vniuerſim deſcendat in hunc locum? Propterea namque videmus naturam, quæ coniunxerat gulam & arteriam, vt incommodum hoc vitaret alioqui non exiguum, molitiam eſſe minorem ligulam, vt arteriam operiret, eamque ſingula obtinere viuipera, quibus nec cortex, neque penna eſt operimento: corticatis enim pannatiſque animalibus guttur vice ligulæ cooperientis ipſum contrahitur & diducitur, quemadmodum illis ſpiritui trahendo reddendoque aperitur, ciboque ingerendo clauditur, ne quid illabatur cum magno incommodo. Ego tamen innixus eiuſdem Ariſtotelis auctoritati, Hippocratis atque Galeni, exiſtimo, potum prope totum deſcendere in ventriculum, eius vero partem aliquam prolabi in pulmonem per aſperam arteriam,

teriam, atque adeo ſitim fieri pro qualibet ſiccitate & calore iſtarum partium, potiſſimum autem in ventriculo, quemadmodum ipſe eſt præcipuum conceptaculum potulentorum, eamque ob rationem Medici prope omnes ex gulæ etiam & palati ſiccitate exiſtimant fieri ſitim, eam tamen eſſe mendoſam, ſiquidem non fiat neque in proprio viſcere, neque defectum humidi roridi in toto aut in ea ipſa parte ſectetur, quod alioqui ad veram germanamque ſitim neceſſarium illis eſſe videtur. Quod enim per arteriam nonnihil deſcendat, manifeſte declarauit Hippocrates in libro de Corde: inquit etenim, homo multo maximam partem in ventrem bibit, gula enim ſiue ſtomachus velut infundibulum potus copiam, & quæcunque volumus, excipit: bibit autem & in guttur ac arteriam, minus vero & quantum latere poſſit per rimam illapſum; operculum enim exutum epigloſſis, ligula, ſeu minor lingua appellata, ne permiſerit quidem aliquid amplioris potus penetrare. Hoc etiam confirmauit experimento, ſignum, inquiens, illius rei hoc eſſe, quod ſi quis admodum ſitienti animali aquam rubrico intinctam colore bibendam dederit, præſertim ſuibus, (hoc enim pecus non eſt curioſum, neque munditiei deditum) paulo autem poſt ipſius guttur reſecet, inueniet ipſum eodem intinctum colore, quaſi

vero

vero per eam partem humor allapſus eſſet, id quod etiam ſatis manifeſte declarauit altera hiſtoria in libro de aere, aquis & locis, & Galenus ſubſcripſit eidem opinioni, oues, inquit, plurimas interiiſſe ſimul, vnde cuſtodes id quomodo eueniſſet ignari, ſecuerunt nonnulla corpora, & inuenerunt thoracis cauitatem, ipſoſque pulmones fluctuantes in humore ſubuiridi: erat autem is ex aqua paluſtri, quam biberant eadem die. Et hoc etiam tacendo videntur aſſeuerare Medici, cum in affectibus thoracis vtuntur quibuſdam paſtillis, ac lambitiuis, & omnino potibus cum cochleari, iubentes vt ſenſim hæc deſcendere ſinant ægrotantes, in quibus profecto deluderentur omnes Medici & ægroti, niſi fieri poſſet, vt ex eis pars aliqua in locum illum deſcenderet. Sed etiam Hippocrates cauſam ſubſcripſit, quamobrem pars aliqua potus per arteriam deſcendat, de corde ſic dicens: (Habet ſane cor ipſum humiditatem tantam, quanta ſatis eſt æſtuanti in medelam, cæterum hunc humorem cor emingit bibendo ipſum aſſumens, & conſumens, pulmonis nimirum potum lambēs. Quibus (vt videtis) aſſerit, cor potum frigidum humidumque ad ſeſe ex pulmonis potu attrahere, vt feruor caloris moderetur, vtque ſufficere valeat ad neceſſarium motum: nam ſi contrahat ſiccitatem ipſam, aut pulmo, certe ad motum

illum

illum redduntur inepti; ſed enim commode poteſt hic humor ſeſe inſinuare per has partes, quoniam membrana, quæ illas ſubcingit, eſt vna & communis etiam cum palato, & faucibus; ac per rimulas extremæ partis arteriæ res, quæ humida eſt & fluxilis, poteſt ingrodi, & ſenſim illabendo deſcendere, atque ita fatetur, ſi potus aceruatim deſcendat ciere tuſſim, ſtrangulatus, & tormina, quoniam contra reſpirationem opponitur; ſi vero ſenſim & quaſi per parietem deſcendat, nec aeris elationi inſtare, neque ob id tuſſim promouere.) Ariſtoteles præterea tertio de partibus Animalium cap. ſexto, omnem prope cauſam ſitiendi, ac non habendi ſitim, retulit in pulmonem; Quapropter dicebat, viuipera, quæ pulmonem habent denſiorem & magis ſanguineum, ac propterea magis calidum, aliorum comparatione nimium ſitire, ac plurimo egere potu, ſed ouipara cum pulmonem habeant fungoſum, ac prope ſimilem ſpumę, minus ſitiunt, & bibunt; quædam etiam omnino abſtinent propter illorum exceſſum, tum etiam quia coniungitur ineptitudo & inconcinnitas roſtri, multaque neceſſitas volandi celeriter; quapropter (vt antea dicebam) cibis veſcuntur humidioribus, nempe crudis carnibus cum multo cruore. Id etiam confirmauit iterum octauo capite eiuſdem libri, vbi veſicam, inquit, nequaquam tradi-

tam

tam eſſe cunctis animalibus, quoniam aliqua pulmonem non habent, alia vero exanguem & fungoſum, cætera vero propter caloris exceſſum, qui in ea ipſa parte continetur, & congenitam ſiccitatem ſoliditatemque maiorem, frequentius vberiuſque egent potu, vt refrigerentur atque humectentur. Quapropter ſi pulmonis ratione tota pene oritur occaſio ſitis, quomodo fieri poteſt, ne ex potulenta materia aliquid in eum locum illabatur? ſecus enim quæ ſemel exorta eſt ſitis, nunquam deficeret, nulla re prorſus accedente, quæ poſſit illos exceſſus caloris & ſiccitatis, quantum in medelam ſatis eſt, moderari. Niſi quiſpiam dicat, aſſumpto frigido ac humido potu in ventris cauitate mox totam naturam recreari, ac totius caloris feruorem obtundi, quemadmodum ſola accidit refrigerata manu, ſiue auricula, quoniam calor eſt vnus, natura vna; conſenſus vnus, & conſpiratio vna, vt ait Hippocrates in libro de Alimento. Et quanquam illarum partium natura nonnunquam eſt occaſio vel cauſa ſitiendi, ipſam nihilominus ſitim nunquam, niſi conſentiente ventriculo fieri. Sed hęc reſponſio non eſſet ſatis in propoſito, quoniã manifeſte videmus, humore plenius fluctuante in ventriculo, ſitim nihilominus fieri, ſi caloris incendium, & ſiccitatis exceſſus in ipſo fiant thorace, nonnunquam etiam

quod

quod vidi præteritis diebus in quodam ægrotante, cui ex longo itinere in æſtate media aruerant pulmones & partes omnes ſpiritales, qui nunquam poterat vllis expleri potibus, tametſi perpetuo biberet, & cum venter ob potum tumeret, ſitis tamen erat inextincta. Hinc poſſum colligere, nec totam ſitim in ventriculo generari, ac neceſſarium eſſe, vt nonnihil per rimas tanquam per parietes deſcendendo elabatur in pulmonem, vt feruor eius partis ac cordis compenſetur, & ſiccitas, quantum ad motus neceſſitatem ſatis ſit, obtundatur, vel totius corporis contactu, vel conſenſu & vapore, qui per carnes ſibi viam parat. Indicium quoq; illius eſt, quod fiſtulæ, quæ in thoracis cauitate ſedem habent, plurimam eructant ſaniem, ac prope dixerim aquam: & mirum profecto eſt, vt è capite deſcendens pituita in thoracem deſcendat, eorum vero quæ bibuntur, nihil prorſus illabatur, quin etiam Ariſtoteles vigeſimaſeptima Problematum quæſtione ſecunda & tertia, metuentes, inquit, plurimum ſitire, quoniam calor eorum ad intima cordis recurrat, & ſpiratio iis adeo retrahatur, vt loqui non poſſint, vnde fit ibi calor immenſus, & ſiccitas, ac propterea ſitis inexhauſta.

Caput VI.

Quomodo fiat fames & ſitis.

Quo-

QVONIAM ſingulæ partes tempore neceſſitatis auide trahunt alimentum aliæ ab aliis, quouſque tandem tota vis tractionis & ſuctionis perueniat ad ventriculum, quippe qui conſtitutus erat, vt pro cunctis totius partibus alimenta ſuſcipiat atq; miniſtret, accidit fortaſſe, vt quandoq; alimenta non habeat, quamobrem triſtis efficitur ſenſatio ob illam deficientiam, & deſiderium exoritur, vt conuenientibus repleatur cibis, atq; potibus: namque ſi ſolidi tantummodo exiſtat, atque omnino alimenti famem hanc concupiſcentiam appellare conſueuerunt, ſin autem roridi alicuius fluoris, non cibi, ſed potus gratia tantum, hanc proprio nomine ſitim nuncuparunt; attamen videtur hoc valde difficile, vt ventriculus, vel alia quæuis pars illi proportione reſpondens ſuctionem illam ſentire valeat, quoniam ſuctio eſt quidam motus, hic autem vnum eſt ex ſenſibilibus communibus, quemadmodum patet, ſed commune ſenſibile non cognoſcitur, niſi determinetur à ſenſibili proprio, vt cenſet Ariſtoteles ſecundo de Anima; hoc itaque ſenſibile proprium niſi adeſt, nequaquam fiet, vt ventriculus cognoſcat nudã ſuctionem. Hieronymus Pontanus, præceptor meus, quẽ honoris cauſa nomino, peregregie ſatisfecit huic difficultati, vtpote quod ſuctio cũ motus ſit, calorem quẽdam efficit: motus enim, vt inquit

Ari-

Ariſtoteles ſecundo cœli quadrageſimoſecundo,& primo Meteororum capite quarto, natus eſt generare calorem, atque hoc pacto fortaſſis generatur ille calor ventris, quem tempore famis animaduertimus cum moleſtia; quapropter ſuctio, etſi motus ſit, ſentiri tamen poteſt ab ipſo ventriculo: neque vero abſurdum eſſet, ſi nullo prorſus aggenerato calore, ſuctionem tamen hæc pars cognoſcat, quandoquidem ſuctio violenta videtur attrahere partes ipſas ventriculi, & conuellere, non ſecus ac ſi digitum ore comprehendas,ſeu partem quamuis aliam & valide ſugas, ſentiret profecto digitus illā ſuctionem. Attrahunt etiam cæteræ partes, & inprimis hepar, ab eodem ventre proprias humiditates tempore defectus, illæ autem ſibi familiares erant, ac ſi quis eas reuellat, & ſugat violenter, niſi pars ſtupida ipſa fuerit, tum cognoſcit, tum etiam triſtatur: ſic enim mammarum papillæ lactis ſuctionem ſentiunt, ipſum videlicet ſugente puero: nihil autem mirum eſt,tametſi ſuctio ſit motus;nam ſi fiat in parte ipſa ſentiente ſic vt ipſa violentum motum patiatur, facilime cognoſcit, ſentitur etiam, vbi inhæreat alicui rei familiari, quæ magnis conatibus attrahatur, quemadmodum dicebamus,per ipſam ſuctionem attrahi proprios humores ventriculi à valida ſcilicet iecoris attractrice,& propterea ventriculus ęgre fert

iſtam

iſtam ſuctionem: nam ſibi videtur etiam conuelli & extenuari; itaque pro triſti ſenſatione atq; moleſta tum corrugatur, & ad ſe ipſum, quoad fieri poteſt, reducitur, tum etiam extrinſeca deſiderat alimenta, vt cibis repleatur, ac ſatisfaciat cunctis particulis attrahentibus, eamque ob rem dicitur fames ſenſus ſuctionis, vel ſenſus indigentiæ: ſunt enim cauſales dictæ definitiones, vtpote quod fames ſuctionis ac defectus ratione fiat; ipſa enim eſuries per ſe vel ſitis deſiderium eſt ſuctionis, defectuſque ratione profectum, ipſa quoque per ſe ipſam alimenti deficientia eſt iniucunda & moleſta ventriculo, quoniam tum alimenti gaudet contactu, vt matrix ſemine, tum etiam ipſo nutritur, & calor proprius, qui quidem vehemens eſt, niſi alimentum habeat pro pabulo, atque concoquendo perficiat, propriam ipſius diſſipat ſubſtantiam, & ſequitur ob id triſtitia atque moleſtia cum imbecillitate caloris. Neceſſarium eſt igitur, vt pars illa vehementer appetat impleri cibis & potibus: neque vero mirum eſt, vt ſenſum huius rei habeat; nam auditus non ſolum cognoſcit ſonum, ſed ſilentium, viſus cognoſcit lucem & tenebras; eodem itaque modo ſenſus ventriculi plenitudinem natus eſt cognoſcere alimentorum, & eorum pariter defectum, aſſimilarem equidem hoſce defectus & repletiones nummorum defectui &

plenitudini. Vt enim plenitudo appetitum explet eorum, & voluptatem affert inſignem, ita indigentia eſt cauſa deſiderii, & triſtitiam adducit. Sed quoniam in huiuſmodi defectu fit aliqua fortaſſis intemperies ſicca; propterea non erit ſolum cognitio priuatiua, multoque etiam magis ſi ſuctionem coniungamus, cuius tanta vis eſt atque poteſtas, vt quandoque inappetentia fiat, ſi lactes ita obſtruantur, vt iecur attrahere ad ſeſe alimenta non poſſit, aut ſi vel hoc vel illo etiam, quod communis adſit obſtructio ſiue partium imbecillitas, fiat atrophia, quam noſtri nutriendi defectum appellarunt; neceſſaria tamen tantopere eſt ſenſus conuerſio applicatioque, vt ſæpe, quamuis naturalis fames efficiatur ac ſitis, & cauſæ omnes vrgeant propter vehementem indigentiam, fames nihilominus & ſitis dicta animalis nequaquam generatur, ſicut accidit delirantibus quibuſdam, quibus adeo conuerſus eſt totus ſenſus, ac totius animi vis in vanas quaſdam imagines & deliramenta, vt nulli præterea rei ſe admoueat; quapropter non animaduertunt neq; ſuctionem, neq; indigentiam; itaq; cum multa alioqui ſit neceſſitas potus & cibi, nunquam neque potum neque cibum poſtulant: deſiderium enim ſectatur cognitionem & conſtantem animi applicationem, non ſecus etiam fit, aut paulo minus, ſi negotiis ali-

qui

qui vehementer incumbant: ſolent namque cibationis horam obliuiſci, quaſi vero non egeant, ob id vero etiam fit, vt poſt conſuetudinem aliquam eadem ſemper hora, niſi aliquid prohibeat, fames ipſa repetat; tunc enim adhibita memoria mouetur ſenſus illius partis, & cum indigere ſe ſentiat, ægre fert, ſæpe etiam ſola ipſa conſuetudo ſatis eſt: nam etiam dormientes certis quibuſdam horis expergiſcuntur, cum ſenſus alias conſueuerit eadem hora vigilare, & è ſomno ſurgere, etenim conſuetudo eſt ſenſui pro lege.

Capvt VII.

De his, quæ comeduntur & bibuntur, ſiue de extrinſeco alimento.

Consvevimvs extrinſecum alimentum appellare omnem cibum atque potum, qui cibi gratia aſſumatur, attamen alimentum ipſum magis quam ille patet, quoniam ad viuens, vt viuens eſt, refertur; itaque conuenit etiam plantis, cibus autem ad animal dicitur, niſi forſitan per quandam tranſlationem plantarum quoque extrinſecum alimentum lubeat appellare cibum ipſarum, id multi, qui de ipſo ſunt locuti, in multiplicem ſpeciem diuiſerunt, non omnes tamen eodē módo, neq; ab eodē ſumpto principio. Quidam enim aggreſſi ſunt diuiſionē ex vario genere p̄parationis, loquentes potius (vt mihi

videtur)de humano, quam communi animalium victu: alii vero diuiſionem fecere à primis qualitatibus: alii ex vario modo ſubſtantiæ, atque alii aliis modis, prout videbatur conueniens. Mihi vero vnum illud videtur neceſſarium, vt explicetur; quapropter ortus eſt hic varius vſus in cibo & potu; etenim homo familiariſſime veſcitur pane, equi hordeo & auena, quædam etiam veſcuntur herbis, alia carnibus, alia multiplici fruticum genere. Ac prǝterea cur nonnullis de genere cibi tum humidi tum ſicci ſine faſtidio vti valeamus, vtpote cibo, quem triticea ex farina conficimus, vino inſuper & aqua, aliis vero quamuis ſuauioribus toties ſine faſtidio nequaquam vti valeamus; manifeſtum plane eſt, quod omnia illud appetunt, quod eſt propriæ naturǝ familiarius, & magis accommodatum, ac quemadmodum neceſſitate nutriendi opus fuit alimento, ita ſecundum neceſſitatem, commoditatemque cœperunt animalia cibum captare, & vbi potuerunt, magis vtique gratum ac conuenientem elegerunt, ſæpe vero neceſſitas legem ponit, & parit quaſi naturalem conſuetudinem, & communem habitum congenitum: piſces enim neceſſitate coacti, ac potiſſimum quia voraces ſunt, cum cibus cito defluat, cognatis veſcuntur animalibus, quod etiam accidit auibus, qui cibum ex rapina venantur: nam multa cupidi-

tas

ţas neceſſitatem imponit. Atque eiuſmodi mihi videtur eſſe ſingulorum victus ſecundum naturam, quem venter ipſorum familiariter amplexatur, calor conficit, & quibus optime nutriuntur, quiue faſtidio nullo afficiat tempore, niſi propter exuperantiam. Nobis porro familiariſſimus eſt cibus ex triticea farina confectus, quem panem appellamus, vnde quærebat Ariſtoteles vigeſimaprima ſectione Problematum quæſtione ſecunda, quamobrem cibus hic noſtris corporibus ſit competentior & veſcentior, quam hordeaceus? Reſpondet, hunc victum mediocrem habere lentorem, quem cibus habeat oportet, quippe qui adhærere conglutinarique corpori debeat, quæ res non niſi lentore fieri poteſt; hordeum vero rigidius eſt, ſed vim etiam conſuetudinis hic potes intueri: neque enim omnes homines totius vniuerſi veſcuntur pane triticeo: quidam etiam ſunt carniuori, & caro eſt illis pro cibo conuenienti, ac nonnulli humana veſcuntur carne, quidam carent tritico, & veſcuntur cibo ex farina aliorum fruticum confecto, nonnulli vtuntur maizzo appellato ſemine, alii hordeo, alii auena, aut horum cognatis, quidam etiam in Regno Neapolitano volebat conficere panes ex ari radicis polline atque farina, & pollicebatur hoc fore magnæ vtilitati citra noxam ſalutis, res plane abſurdiſſima, cum

eius farina ſubſtantia & viribus adeo diſtet à triticea farina, nobis alioqui familiariſſima, & medicamenti potius illa radix vim habet, quam cibi, illumque lentorem conuenientem, qualem nobis Ariſtoteles familiariſſimum eſſe, ac prope dixerim neceſſarium, aſſerebat, non habet. Relinquo præterea ſi tanquam radix conueniat humanæ naturæ, aliis potiſſimum antea conſuetæ: hoc enim excedere videretur limites noſtræ tractationis, tametſi propter neceſſitatem Cæſaris exercitus aliorumque Romanorum pane vterentur ex radicum farina confecto: cum vero panis triticeus lentorem hunc dulcem ac mediocrem habeat, qui quidem eſt velut anima tritici, teporemque vtilem concoctioni; propterea tum nobis placet, tum cæteris commixtus conducit: nam cuncta bene commiſcet, & in vnum coit, lentumque efficit alimentum, ſatis præterea ad nutriendum conueniẽs. Sed quoniam panis ipſe ob id denſari facilime poteſt; propterea non vt ſignum modo prauæ alicuius diſpoſitionis panis repletio eſt peſſima, ſed quoniam denſatur admodum, & in prauam abit corruptionem; hinc etiam fit, vt non ſtatim ex ventre profluat, ac ſi vino miſceatur, tũ nutriat vberius, tum etiã diutius permaneat, quoniam vinum per ſe alit plurimum, & ſiccat ſuo calore, quoniã tenues partes in vaporẽ digerit; quapro-

pter

pter offa panis vino diluta diutius ſeruare po teſt citra deſiderium noui aliměti. Habet preterea panis dulcedinem quandam, neque admodum plenam, neq; nimis inſipidam, prope ſimilem lactis dulcedini, quod nobis familiariſſimum eſt initio generationis, vt cibus naturalis; poſtea vero cum calor ſolidiora vult alimenta robuſtior factus, ac partibus ipſis effectis ſolidioribus, incipiũt alia eſſe iucundiora, reliqua vero eſculenta, quæ neque ſecundum naturam, neq; ex conſuetudine aliqua ſunt nobis eodem modo familiaria, pro tempore cupiuntur ſine faſtidio, præſertim ſi cito famem ſedent, vt dulcia & pinguia, aut exundent in ſtomacho, ſiue reliquias ingratas deponant: ea enim appetentiam obtundere conſueuerunt, aut ſi ventriculum ipſum hebetent, laxent, ac tale aliquid faciant, ſiue in ipſa decoctione quomodolibet moleſtiam afferant. Cum autem plurimæ quæſtiones oriantur, ſpectantes cibo & potui, diuidemus eas trifariã; etenim nonnulla contingunt ante cibationem, aliqua dum cibi & potus aſſumuntur, alia denique poſt ipſam aſſumptionem, primo nimirum ordini tres quæſtiones præcipuæ accommodantur. Prima earum eſt, quamobrem famis tempore calor quidam, & ille nõ exiguus ſentiatur in vẽtriculo. Secũda, cur oſcitamus frequẽter. Tertia, cur ſi nimia intercipiatur mora, ita vt tempus cibationis

prætereat, plerunque fames ſedetur, ab aliis quæſtionibus abſtinebo, nempe cur fiat abolita appetentia diminuta aut deprauata, quoniam alterius fortaſſis egent tractationis. Ad eas igitur me conuerto, & quantum ad primam pertinet, aio, cauitatem ventriculi, ſi inanis exiſtat, plenam eſſe aere denſiore, qui quidem calidior fit in loco tepido, ſi diutius permaneat, & non permutetur; itaque caloris ſenſum mouet in illa parte, eoque potiſſimum tempore propter ſuctionem, quæ per ſe ipſam calorem efficere poteſt. Ad ſecundam reſpondeo, quod propter ingens deſiderium & cibi auiditatem ventriculus & œſophagus, ac muſculi omnes, qui in extrema illius parte inhærent, hiant; itaque propter conſenſum hiat etiam os, & oſcitatio generatur: ob ſitim vero non fit, quia ſiccitas partes potius contrahit, ac dolorem parit, ac prope illarum partium immobilitatem; itaque anhelitus ille ſequitur ingẽtem auiditatem & moleſtiam: vel etiam fit ob quãdam ſenſus & caloris moleſtiã, tunc enim labores patitur, & imbecilliorem fieri ſibi videtur alimenti defectione, non itidem potus; ac propterea partes illæ, quæ cibo accommodantur, dilatant ſe, & pandiculantur, vt moleſtiam prope deponant, & interdum etiam ratione cuiuſdam caloris, qui moleſtus eſt, & remiſſionem refrigerationemque deſiderat, eoque magis

cum

çum ſurſum ſub id tempus calidus aſcendat vapor; qui partes illas teneras, quæ in extremo ſunt gutturis & œſophagi, replet, afficitque moleſto ſenſu, adeo vt exonerare ſe dum cupiunt, prope aſſurgant, ac ſe dilatent. Solet etiam oſcitatio hæc eſſe præludium ſomni, vel quod eo tempore plurimus vapor reſpiret ad partes ſuperas, vel quia dum ſomnus inſtat, laxitas quædam oboritur, ſenſuſque moleſtia, & pigritia etiam motus; itaque moleſta & faſtidioſa videtur reſpiratio, cum ſenſum adhibemus, & partes illæ, quæ ſunt in perpetuo labore, ſibi ipſis videntur eſſe oneri; quapropter dilatant ſe, vt onere ab illo leuentur, ac moleſtiam illam deponant, vel ſi caloris ſalutem eſſe fateamur, cum multa ſimul fiat intus ſusceptio frigidioris aeris, ac viciſſim calidæ fuliginis emiſſio, mirum non erit, ſi fiat inſtante ſomno & fame: nam ſomni calorem concludunt, partim etiam imbecillitatem quandam afferunt, celeres autem defectiones per ſe ipſas hoc faciunt: ob famem vero vult corpus impleri, & quoniam partes illæ extremitatis arteriæ, œſophagi, ac muſculorum etiam, qui ibi deſinunt mouentium mandibulas quadam laſſitudine calefactoria perpetuo laborant, & calidi ſpiritus plenitudine homini potiſſimum propter rectitudinem figuræ, & maiores corporis, animæque ſuſpenſiones; propterea modica oc-

caſione adhibita oſcitamus, nempe ſi alterum hiantem ſuſpiciamus, exigua nimirum adhibita conſideratione mox ſenſus illarum partium mouetur, & laxatis habenis ſe ipſas dilatant, & pandiculantur: cum enim laboramus quieſcente aliquo, ad eam quoq; alii alliciuntur, & quadantenus trahuntur ad quietē, & fit ille conſenſus, quē ſympathiā appellant. Tertia difficultas facilem plane habet ſolutionē: nam tempore illo, quo fames inſtat propter alimenti indigentiam, & validam ſuctionem, ventriculus humores pro cibo à cunctis partibus reuellit: itaq; fit tenuiū humiditatū plenitudo eneruans vires ipſius, ac propterea famis tentigo emarceſcit, quæ deinceps humido diſſipato vehementius repetit. Dehinc vero tres aliȩ queſtiones emergunt penes ipſam cibationem. Prima quidem eſt, ſi dulcia ſunt adeo amica naturæ, mirumq; in modum placent, quamobrem cito famem explent, quāuis modice aſſumuntur, vt qui veſcatur cibis dulcibus, confeſtim ſatietatem ac plenitudinem ſentiat, ac famis omnino deſiderium obtundatur. Huc etiam pertinet, quare pingues cibi cito famem expleant, & ſatietatem quandam ſubmoleſtam atque iniucundam afferant. Secunda quæſtio eſt, cur vinum poſt dulcium eſum ebibitum diſpliceat, aqua vero voluptatem afferat? Tertia demum eſt, quare acerba & auſtera ciborum auiditatem au-

geant.

geant? Primam quæſtionem tetigit Ariſtoteles vigeſimaſecunda Problematum quæſtione tertia, & inquit: (Cum acria non valde nutrire queant, ſed parum alimenti, multum vero habeant excrementi, merito amplius hæc appetimus, parumque eorum cupiditatem explemus, at dulcia tota ipſa cibus idoneus ſunt.) Patet igitur, cenſere Ariſtotelem, ob id dulcia famem cito ſedare, quoniam tota nutriunt. Huic ſolutioni propter Ariſtotelis reuerentiam nolo contradicere, quamuis facile poſſem: nam partes eo tempore non cœperunt ſentire nutriendi beneficium: attamen ſatietas fit, ac forſitan nonnulla, quæ magis nutrire poſſunt, quam ſaccarum, minime hanc afferrent ſatietatem. Ego ob id cenſeo, contactum ciborum dulcium in ventriculo eſſe tam blandum & ſuauem, vt ventriculus ipſe laxetur, quemadmodum laxatur & dilatatur vermis attactu caloris iucundo, ac totus dilatatur aper præ grata prurigine in denſa cute, ita vero ſatietas fit accedente etiam vaporoſa per totum ventrem plenitudine non ingrata, vt prope totus cibus ſibi videatur, ventriculus autem ſi debeat appetere, vehementer debet arrugari, & familiariter amplecti alimentum, ac robur ſeruare ſuarum partium, quod etiam fit ex aliis quibuſcunq; rebus plenioris ſaporis, & optime aromatum generibus conditis, tum etiam quia exunda-

undationem quandam in ventriculo faciunt, & calori vberius celeriuſque ſatisfaciunt, & ſpiritus quamprimum atque vberrime reficiunt, vt nimium illis habere, quamuis modicum ſit, videatur. Cæterum de pingui victu aiunt fere omnes, ipſum explere appetitum celeriter, quoniam ſupernatat in ventriculo, cum partibus conſtet igneis & aereis; quapropter minus concoqui poteſt: quæ enim ſupra feruntur, propterea quod minus tangi poſſunt ab actiuo, & à loco magis diſtant calidiore, ægre concoquuntur, & ventriculus ipſa auerſatur, tanquam inepta ad coctionem. Ego exiſtimo, pinguia cuncta tenacem quandam habere ſubſtantiam, ac prope inuincibilem & incorruptibilem ob ſuæ naturæ modum; itaque virtuti ipſi alteranti & concoquenti onus moleſtum eſſe videntur: ſemper enim ſupra manet aliquid in ventriculo, eſſetque ipſum iniucundum, & niſi potus multus exiſtat, certe nequaquam ſupernatarent pinguia; attamen ſatietatem facerent: vel potius illud eſt, quia pingue triſtem ac moleſtam facit ſenſationem ventriculo & partibus ferme omnibus, per quas tranſit alimentum, quoniam lentum eſt & lubricum; quamobrem adhæret tenaciter, & poris ſeſe inſinuat, videturque inſipidum quidem, hoc autem moleſtum eſt ventriculo, & cuilibet parti, quæ vult eſſe expedita, ita etiam

iam videmus, ſi ſeuum, vel tale aliud pingue illinatur palato & faucibus, præſertim vero equis, ſatietas fit, & famis extinguitur deſiderium, ipſa vero pinguia, ſi frigida ſumantur, magis diſplicent: nam frigiditas facit hæc apparere magis inſipida propter frigiditatem emarceſcente ſapore. Ad ſecundam autem difficultatem reſpondeo, quod vinum poſt dulcem cibum epotum facit apparere quendam ſaporem medicamentoſum, ſiue dulcem acrem: vinum enim, ſi valde dulcibus, quale eſt ſaccarum aut mel, miſceatur, ad vomitum ferme ciendum eſt idoneum, vel quoniam ex tota ſubſtantia prauam atque inconcinnam efficiunt mixtionem, ſaltem ex quadam actione in ſenſum, cum vnum velit contrahere, alterum autem laxare inſtrumentum guſtus, quamobrem fit moleſta applicatio ſenſatioq; iniucunda, id quod etiam in aliorum ſenſuum obiectis obſeruamus: nam quidam inter ſe colores non bene coeunt, neque ſoni aut odores. Aliis fortaſſe videretur, cum vtrumque gratum ſit ſeorſum, vinum nonnihil diſplicet poſt dulce, quia proprius vtriuſque ſapor obtunditur, atqui ingratum eſt ſenſui, non poſſe guſtare iucundum alicuius ſaporem, ſicut eſt in ſe ipſo, aqua vero nullum corrumpit ſaporem, & tanquam frigida poſt dulcium eſum per ſe ipſam placere poteſt. Tertia difficultas paruo videtur egere

nego-

negotio, quoniam manifeſtum eſt, vt reſolutio laxatioq; ventriculi inappetentiam ciet, parte nimirum ipſa eneruata, atque illius robore diſſoluto, ſic econtra illius corrugatio facit appetentiam, quoniam virtutem in vnum colligit, & neruoſam ſubſtantiam intendit, additque illi robur; ob id itaque non ſine ratione credimus, auſtera & acerba per ſe appetitum augere, quippe quæ ventriculum contrahere & corrūgare valeant. Adhuc autem tres aliæ difficultates emergunt, poſtquam aſſumptus eſt cibus. Prima quidem eſt, quapropter poſt cibationem extrema refrigerentur, & horror nonnunquam fiat? Altera, cur cibo aſſumpto, niſi modum ſuperet, corpus minus ponderet, cum alioqui maius pondus habere deberet propter plenitudinem? Tertia deinceps, cur ficus, tametſi nouiſſime aſſumantur, per vomitum poſtremo reſpondeant, quod Æſopus recenſet in fabellis? Primæ difficultati Medici prope omnes reſpondent hoc pacto, quod aſſumpto extrinſeco alimento, calor, qui actione hac & fomite per cibum miniſtrato delectatur, affatim corruit in ventris locum, quamobrem extrema refrigerantur. Ariſtoteles vero trigeſimaquinta ſectione Problematum quæſtione nona inquit, quod cibus frigidiuſculus admiſſus vincit principio magis naturalē calorem, q̃ vincatur; cum itaq; ventriculus refrige-

frigerationis ſenſu afficiatur, pars alioqui ſatis neruea, conſentaneum eſt, vt quandoque inhorreſcamus,& extrema refrigerentur. Secunda etiam difficultas facile diluitur; accidit enim, vt corpus in defectu cibi ſit debile, & caloris vis minus ipsũ poſſit ſubſtinere: huic enim motus aſſcribitur conicus actioq; perpetua, cum ſubſtinere atque efferre debeat totius corporis molem; idcirco per inædiam corpus nimis grauitat debilitato calore, cum vero cibus aſſumptus eſt, calor reficitur pabulo,& vires acquirit, quapropter fit, vt corpus minus ponderet: quantum enim magis ponderat corpus mortuum præ viuo, tantum prope cibo inanitum ac debile effectum magis ponderat pleno. Tertiam difficultatem ſoluit Ariſtoteles vigeſimaſecunda ſectione Problematum quæſtione prima, &ait, hoc fieri propter grauitatem: ob id enim deſcendunt in imum ventris, & cæteris ſubſident eſculentis, quod multis viſum eſt ex mente Ariſtotelis, eodem loco eſſe proprium cunctorum fructuum, cum dicat, cæteris eſculentis pomorum genus grauius eſſe, ipſe tamen hoc nequaquam cenſet, ſed quærit his verbis, quam ob cauſam poma non ita prius, vt poſtea ingeſta in repletionis mole reſpondeant, ſenſus quæſtionis eſt, quapropter fit, vt poma, ſi prius aſſumãtur, poſtremo euomantur, ea vero ſi ſumantur poſtremo, primo reſpondeant,

deant, cauſa, inquit, illa eſt, quod genus pomorum eſt graue, itaque in imum deſcendit, partemque ſuperius relinquit inanem, vt ſecundo aduenientem cibum admittat: ea igitur prius euomuntur, quam poma; ſed ſi hæc poſtremo aſſumantur, ſuperiorem partem occupant, cum expedite non poſſint deſcendere propter alia: tunc igitur primo reſpondeant, neceſſe eſt. Reſponſio hæc (vt arbitror) non eſt Ariſtotelis, ſed alterius, qui forte addidit illud Problema: ſi enim velimus eam accommodare propoſitæ quæſtioni de ficu, non eſt ad propoſitum, & perperam ille hoc addit exemplum in corroborationem, ſiquidem ait, ficus etiam nouiſſime eſitatas poſtremo reſpondere, poma autem, quamuis grauia ſunt, nouiſſime eſitata ſtatim prodeunt. Propterea ſciendum eſt, multiplicem eſſe cauſam, cur aliqua per vomitum ſero reddantur. Prima eſt ratione partis ipſius ſentientis, ea namque res ſibi magis familiares ſeu minus ingratas ſerius euomit. Altera ex parte eorum, quæ aſſumuntur, nempe ſi lubrica ſint & grauia: nam vtriuſque ratione in imum deſcenderent, & ſubterfugerent conatum euomentis particulæ. Tertia ſi viſcoſam quandam habeant conſiſtentiam; ob id enim phlegmatis quoddam genus viſcoſum & viſcidum vix magnis conatibus poteſt excerni; ficus itaque cum actione caloris viſcoſam

quan-

quandam naturam aſſumant, quæ tenaciter adhæret tunicis ventriculi; propterea poſt cætera reſpondent in repletionis mole: argumentum namque huius eſt, quod ita apparet, cum reddantur, tum etiam quia, dum comeduntur, ſuccus ille lacteus, qui manibus adhæret; modica actione caloris eiuſdem partis viſcoſus efficitur, adeo vt digitis quoddam gluten illitum eſſe videatur; id etiam interna declarat ſubſtantia: tenax enim eſt & viſcoſa, cum aruerint.

Capvt VIII.

Quamobrem ſitis multo difficilius feratur, quam fames, & quomodo fieri poteſt, vt eadem parte, nimirum ventriculo, nos ſimul calida & frigida deſideremus, potum ſcilicet frigidum, cibos autem calidos, & eorum, quæ comeduntur ac bibuntur, quamobrem nonnulla calida, aliqua vero frigida deſiderantur.

Excitavit Ariſtoteles eam quæſtionem, quapropter animantes magis ægre ferant ſitim, quam famem, vigeſimaoctaua Problematum quæſtione quinta, & fatetur, hoc eam ob cauſam euenire, quoniam ſitis res eſt magis anxia, cum aduerſetur rei ſuauiori; aut quoniam calor natiuus humidum

magis quam ſiccum deſiderat; aut quoniam ſitis eſt libido duarum rerum, potionis, inquam, & cibi, fames vero vnius tantum ſcilicet cibi, id quod etiam ſequenti quæſtione confirmauit. Quoniam vero perſpicue videmus, hoc non eſſe omnibus animalibus commune, vt ſitim ægrius quam famem tolerent, quædam enim potum deſiderant exiguum & raro, cibum contra vehementius auent; propterea rem non inutilem facturus exiſtimaui, ſi cauſam prius huiuſce diuerſitatis explicem, tum vel magis, quoniam huius Problematis explicatio non parum momenti habet ad explicationem alterius: vidimus enim in præcedentibus, eſſe quædam animalia, quæ vel potum non deſiderant ob frigiditatem naturæ & modum alimentorum, quibus veſcuntur, quemadmodum ſunt exanguia, ac potiſſimum inſectorum genus, eaque omnia, quæ pulmonem non habent, quemadmodum ſunt piſces, aut illum fungoſum admodum & exanguem, cuncta hæc parum, vel nihil ſitiunt, ciborum tamen ſunt auidiora, & cum bibere videntur, cibi potius, quam potus gratia bibunt. Aliis contra euenire debet, vt potum vehementius appetant, ſi pulmonem habeant contrario modo affectum, quemadmodum eſt homo, & aliorum plurima: vidi namq; ſemel ſitientem mulam ex alto ſe præcipitem dediſſe littore, dummodo potan-

potandi deſiderium expleret, & febricitantes homines maiora his faciunt: nonnulli etiam cum nimium abſtinere coguntur, celerem mortem oppetunt, quemadmodum obieiũt plurimi cõmilitones Caroli Quinti Imperatoris, cũ ad Africæ littora commigraſſet; quapropter ego exiſtimaui, ſitim eſſe moleſtiſſimam huic animantiũ generi, quoniam ſiccãtur interea pulmones, & calor cordis, earũq; partiũ pene auctus ſuffocatur, hoc autẽ moleſtiam affert & dolorem, cum periculo etiam non vacet: itaque nihil mirum, ſi potus tantopere deſideratur, talemque illius defectus afferat anxietatem, cum humidi frigidique indigentia ſit magno incommodo huic neceſſariæ actioni reſpirationis, atque caloris faciat moleſtam paſſionem, nec alia ratione arbitror, hunc eſſe cauſam interitus, poſtquam manifeſte patet, potum, ſi ſit aquæ, non nutrire, ſic vt deperditam ſubſtantiam reficere poſſit: hoc enim præſtari per cibi aſſumptionem conſentaneũ omnibus videtur, atque his poſtremo accedit, quod ſitis eſt deſiderium multarum partium, plures fines attingens. Quantum vero ad cibi deſiderium attinet, inquit Ariſtoteles quarto de partibus animalium cap. quinto, omne inſectorũ genus minime contentum eſſe alimẽto, quippe quæ ſibi ipſa ſufficere valent nõ tam corporis exiguitate, quam caloris remiſſione, tametſi

nonnulla eorum , vt muſcæ nunquam videantur expleri cibis, quoniam parum aſſumunt pro vice, & multum abſumunt ob vegetem motum: illud enim, quod calidum eſt, cibum deſiderat, & cito concoquit, contra quod frigidum cibo carere facile poteſt; nam proprius calor minus abſumit, ac propterea fatetur, cicadarum genus maxime omnium ieiunum eſſe, quoniam ipſis pro alimento ſatis eſt humor proprius, alia vero, quæ calorem habent validiorem, vberius comedunt, quoniam calor vehementius agit, ac prope ſubſtantiam diſſipat. Tertio itidem de partibus animalium cap. vltimo recenſet alia animantium genera, quæ pauco tempore poſſunt ferre abſtinentiam cibi, ea potiſſimum ratione, quoniam cibus breui tempore manet in ventriculo,ac citius, quam concoquatur, deiicitur; itaque breuis eſt vſus fruendi, quemadmodum, inquit, eſt omne genus piſcium; hoc enim lubricum eſt, quia modicus eorum calor ſolida, quibus vtuntur, ac frigida alimenta immutare non poteſt, minuſque propter ambientem aquam tranſpirant, & coniungitur ventris atque inteſtinorum lubricitas propter innatam humiditatem. Quibuſdam etiam ſola inteſtinorum natura id facit, vtpote ſi recta ſint & laxa, ſiquidem illorum laxitas auiditatem auget cibi, rectitudo autem accelerat, quapropter animalia, quæ

con-

continentiora eſſe oportebat ad cibi deſiderium, hæc in ſua aluo anfractus orbeſque plures continent. Atque hoc modo patet, quomodo in genere animalium nonnulla magis ſitim, alia potius famem ferant, & omnino ciborum quæ ſint auidiora. Nunc explicandum eſt, quapropter potus deſideratur frigidus, quæ vero comeduntur calida, & quomodo pars eadem contraria ſimul deſideret? Omnes videntur in hac re conſentire, quod ſitis eſt appetitus frigidi & humidi, fames autem calidi & ſicci, (vt ait Ariſtoteles) ac propterea nihil mirum eſſe, ſi eſculenta optentur calida, potus autem frigidus, atque in eadem parte poſſe fieri eodem tempore deſiderium contrariorum propter duplicem indigentiam, ac reſpectu, vt aiunt, diuerſorum. Porro ob defectum humidi roridi, quod frigidum eſſe debet, ob refrigerium & ſalutem caloris, appetitur potus frigidus; ob indigentiam autem humidi ſolidi, quod ſua natura calidum eſt, deſiderantur calida eſculenta. Mihi tamen videretur, huic rei diligentius incumbendum eſſe, etenim neque omnia eſculenta deſiderantur calida, nec omnia potulenta optantur frigida, ſiquidem panem non cupimus actu calidum, niſi exhibeatur in iuſculo, fructus omnes deſiderantur actu & poteſtate frigidi, bellaria, caſeus & aliorum plurima, potius frigida, quam calida come-

duntur, cucumeres, etiam pepones, & citreoli, quibus ſalatutium conficimus, quemadmodum ſunt potentia & actu frigidi, ſic etiam cupiuntur, eoque eduntur modo, quomodolibet aſſumpti. Si vero etiam conſideres cætera animalia, quæ opus hoc comedendi & bibendi nobiſcum habent commune, videbis, ea non vti calidis cibis, ſed optare calida ſeu frigida, qualia illa ſint, citra delectum, & fortaſſe potius frigida auent comedere; quamobrem mihi videtur, hunc varium vſum alimentorum eſſe propter conſuetudinem, & quandam peritiam: cœpimus namque aſſueſcere, in vtero veſci alimento ſanguineo calido, deinde calido etiam lacte, atque ſub id tempus cœperunt nobis parari iuſcula calida propter vtilitatem caloris & coctionis, ſcilicet vt tum alimenta ab igne alterata facilius concoqui poſſent, tum etiam pars ipſa concoquens ab extrinſeco adiuta calore multo facilius concoqueret: nam calor extraneus innatum fouet & adiuuat, & quoniam aliqua deſiderantur alimenti tantum gratia, alia vero etiam vt refrigerent, quę ſunt in primo ordinę, conſueuerunt optari calida, cætera autem frigida vt fructus, alia itidem calida optantur, quoniam ſic magis ſapiunt, alia vero frigida: ſic enim videntur guſtui ſuauiora, prout calor proprios immutat ſapores, aut ſaltem in actione ad ſenſum præ-

ualet,

ualet, vt proprium rei, quæ comeditur, obtundat ſaporem, & rem faciat alio modo apparere. Sic itaque facilimum erit ſatisfacere huic propoſitæ difficultati, animaduertendo tamen deſiderium calidi & frigidi, & in ventriculo non eſſe paſſiones contrarias: oportet enim eſſe reſpectu eiuſdem, attamen hoc deſideratur calidum, aliud vero frigidum.

CAPVT IX.

Quodnam ſit magis proprium, atque conueniens obiectum ſitis, aqua, vel vinum.

AQVAM vero proprium ac naturale obiectum eſſe ipſius ſitis, mihi videtur lyppis ac tonſoribus eſſe manifeſtum, quoniam Philoſophus demonſtrationem huius concluſionis auſpicatur à definitione. Etenim ſitis eſt appetitus frigidi & humidi, aqua vero per ſe frigida eſt & humida, vinum autem calidum ſecundum formam, tametſi frigidum ſit ſecundum materiam, participatione videlicet aquę, vt ait Ariſtoteles quarto Meteororum. Patet igitur, aquam primum eſſe obiectum ſitis. Quod etiam eo modo cõfirmatur: nam longe melius aqua poteſt explere omnem defectum & indigentiam, vnde efficitur ſitis, quam vinum; igitur ipſa eſt magis conueniens & accommodatum obiectum. Probatur antecedẽs, quoniam ſiccitati

per ſeipſam optime ſatisfacit: nam humidiſſima eſt, & cuiuſdam lentoris particeps, vt partim hærere, partim etiam diutius ſeruari poſſit, vinum autem potius exſiccat in fine, tametſi initio humectandi vim habeat, caloris etiam feruorem multo quam vinum præſtantius ſedat: nam ſua ipſius natura frigida eſt, vinum autem calidum, & propterea ad intrinſecum calorem acceſſionem facit; aer autem, tametſi humidus, & forſitan ipſamet aqua humidior, frigiduſque euaſerit, qualis in hybernis horroribus eſt, nequaquam tamen idoneus eſt ad ſedandam ſitim, quoniam oportet humorem eſſe paulo craſſiorem, & lentum: aer enim ob id non humectat, vt declarauit Ariſtoteles in Problematibus, neque etiam ſicca poteſt congregare alimenta, & fluida facere. Et quemadmodum hic nequit ſatisfacere deſiderio potus, ita neque famem ſedat, neque etiam odor, quamuis aliqui perperam exiſtiment, Chameleontem aere nutriri, & nos odoribus refici: illud enim falſum eſt. Gaudet quidem aere, cum ſit tanquam cauitas plena ſpiritus, ac perpetuo ob id videtur hiare, ſed vbi neceſſitas vrget; veſcitur cibis ſibi conuenientibus. Alterum quoque abſurdum eſt: nam odor recreat & conſolatur calorem, & forſitan vaporoſo permixtus corpori, fumidæque (vt aiunt) exhalationi poſſet inſtaurare ſpiritus, ſolidiores autem

autem partes haud poſſet nutrire, earum quippe nutrimentum multo craſſius eſſe deberet, interdum autem, quod ad ſitim attinet, videmus eam ſedari, ſi iuxta fluuios & fontes maneamus, aut venti ſpirent ab auſtro: namque iis in locis & auſtrali conſtitutione vel pluuia tum frigidior eſt, tum denſior multo vapore; is autem eſt aquæ diſgregatio, vt ait Ariſtoteles primo Meteororum; quapropter ſitim poteſt conciliare humectando, & caloris obtundendo feruorem. Cum enim ſpiratione attrahitur, totum humectat corpus, primum autem partes ipſas ſpiritales, quæ nimium calent, & refrigerationis egent, ac propter perennem motum nimiam humectationem deſiderant; ſecus enim inſtrumenta ipſa redduntur inepta motioni. Amplius aqua eſt potus magis naturalis, cunctis videlicet ab ipſa natura miniſtratus, vinum vero ſecundum naturam non eſt, ſed potius ſecundum peritiam, ſiquidem in illa prima ſocietate vini vſus nondum venerat, poſtea vero cœperunt homines variis oblectari potibus, vt ſimul ſitim ſedarent, & coctioni, quoad fieri poterat, opem ferrent fouendo ventris calorem; itaq; aliis placuit vſus vini, aliis cereuiſiæ, vt plurinis Galliæ populis, aliis pomorum ſucci vari, ſicut Antiochenis & aliorum nonnullis. Hoc etiam confirmatur: nam potus aquę eſt communis cunctis animantibus,

quoniam ſitis non homini tantum fit, ſed etiam aliis animalibus, vinum autem pauciſſimis eorum placet: non eſt igitur obiectum ſitis naturale & accommodatum. Manifeſta quidem eſt minor propoſitio: nam etiam multę hominum nationes vini potum legum edicto & naturali conſuetudine auerſantur, quemadmodum faciunt barbaræ nationes, & plurimi eorum, qui recens inuentas regiones accolunt, cæterorum autem pauciſſima inueniuntur, quibus vinum placeat. Atque inter hæc potiſſimum narrat Ariſtoteles viperas, vtpote quæ vino inebriatæ capiantur dolo, & ſimias præſertim caudatas, quæ adeo fiunt ebriæ, vt ebriorum prope more inſanire videantur. Videmus præterea, quod in ingenti ſiti, qualis fit in æſtiuis ſqualoribus, & febrili caumate, vinum, quantumuis accipiatur, vel non placet, vel ſitim non ſedat, quemadmodum facit aquæ potus. Quibuſdam tamen viſum eſt, potius vinum primo loco eſſe accommodatum ad deſiderium potus, vtpote quod longe melius appetentiam illam poſſit explere, quoniam Ariſtoteles vigeſimaoctaua Problematum quæſtione quinta inquit, ſitim eſſe duarum rerum deſiderium, cibi videlicet ac potus. Illud ergo eſt maxime conueniens obiectum ſitis, quod poteſt eſſe pro cibo ſimul & potu: vinum vero eſt huiuſmodi, cum plurimum nutriat; igi-

tur

tur vinum præſtat aquæ in extinguenda ſiti. Confirmatur præterea: nam potus ad inſtaurandum intrinſecum humorem ſubſtituitur, ſed aqua illum inſtaurare non poteſt, vt vinum, cum nullo pacto nutriat; igitur vinum eſt magis conſentaneum ſiti. Præterea vinum frigidum eſt in actu & humidum, ſicut aqua, fouet etiam calorem, coctionem adiuuat, ventriculum roborat, cunctarum partium vires, & ſubſtantiam reficit, continuo humorem reparat, & ſpiritus ipſos conſolatur; igitur vinum eſt per ſe ipſum magis conueniens, ac primarium obiectum ſitis. Videmus præterea, ex moderato vini potu homines fieri alacriores, fortiores, magis viriles, & ad omnes viriles actiones magis idoneos, aqua autem contra ventriculum laxat, calorem hebetat, coctiones impedit, & pigerrimos facit homines, ac cæteris paribus magis effœminatos; quapropter vel ſiti ſaltem humanæ magis conueniens & accommodatum eſſe videtur. Quibus accedit, quod ſi vini vſus modum non excedat, diuturniorem nonnihil efficit vitam, quoniam homines ſenes, cum imbecilles ſint & frigidi, prope extincto calore vitali, & emarceſcente humore natiuo, huiuſcemodi potum deſiderant, & cum illo bene habent; quapropter Plato in libris de lege, vinum plurimis vetat, ſenibus autem nunquam. Ego arbitror, facilime ſeda-

ſedari poſſe hanc controuerſiam: nam aqua eſt conuenientior potus potionis tantum gratia, vinum autem vtriuſque ſimul ratione, cibi nimirum & potus, eſt magis accommodatum, quamobrem aqua eſt magis conueniens ſiti per ſe, ſiue vt ſitis eſt tantum, vinum autem ex accidenti. Et hoc modo ſingulæ diluuntur rationes, quas non oportet ſigillatim recenſere. Vini autem incommoda quot & qualia ſint, hiſtoriam & cauſas in alium locum dimitto, cui magis id proprium eſſe videatur.

FINIS.

Google

DIALOGVS PVLCHERRIMVS ET VTILISSIMVS

ANTONII LAVRENTII POLITIANI,

DE RISV, EIVSQVE CAVSIS ET EFFECTIS, dilucide ac philoſophice tractatus, inque libros duos diuiſus.

NVNC PRIMVM IN LVCEM editus, & peculiari Indice donatus.

Digitized by Google

magis quam ſiccum deſiderat; aut quoniam ſitis eſt libido duarum rerum, potionis, inquam, & cibi, fames vero vnius tantum ſcilicet cibi, id quod etiam ſequenti quæſtione confirmauit. Quoniam vero perſpicue videmus, hoc non eſſe omnibus animalibus commune, vt ſitim ægrius quam famem tolerent, quædam enim potum deſiderant exiguum & raro, cibum contra vehementius auent; propterea rem non inutilem facturus exiſtimaui, ſi cauſam prius huiuſce diuerſitatis explicem, tum vel magis, quoniam huius Problematis explicatio non parum momenti habet ad explicationem alterius: vidimus enim in præcedentibus, eſſe quædam animalia, quæ vel potum non deſiderant ob frigiditatem naturæ & modum alimentorum, quibus veſcuntur, quemadmodum ſunt exanguia, ac potiſſimum inſectorum genus, eaque omnia, quæ pulmonem non habent, quemadmodum ſunt piſces, aut illum fungoſum admodum & exanguem, cuncta hæc parum, vel nihil ſitiunt, ciborum tamen ſunt auidiora, & cum bibere videntur, cibi potius, quam potus gratia bibunt. Aliis contra euenire debet, vt potum vehementius appetant, ſi pulmonem habeant contrario modo affectum, quemadmodum eſt homo, & aliorum plurima: vidi namq; ſemel ſitientem mulam ex alto ſe præcipitem dediſſe lictore, dummodo

potan-

potandi deſiderium expleret, & febricitantes homines maiora his faciunt: nonnulli etiam cum nimium abſtinere coguntur, celerem mortem oppetunt, quemadmodum obiere ut plurimi cōmilitones Caroli Quinti Imperatoris, cū ad Africæ littora commigraſſet; quapropter ego exiſtimaui, ſitim eſſe moleſtiſſimam huic animantiū generi, quoniam ſiccātur interea pulmones, & calor cordis, earūq; partiū pene auctus ſuffocatur, hoc autē moleſtiam affert & dolorem, cum periculo etiam non vacet: itaque nihil mirum, ſi potus tantopere deſideratur, talemque illius defectus afferat anxietatem, cum humidi frigidique indigentia ſit magno incommodo huic neceſſariæ actioni reſpirationis, atque caloris faciat moleſtam paſſionem, nec alia ratione arbitror, hunc eſſe cauſam interitus, poſtquam manifeſte patet, potum, ſi ſit aquæ, non nutrire, ſic vt deperditam ſubſtantiam reficere poſſit: hoc enim præſtari per cibi aſſumptionem conſentaneū omnibus videtur, atque his poſtremo accedit, quod ſitis eſt deſiderium multarum partium, plures fines attingens. Quantum vero ad cibi deſiderium attinet, inquit Ariſtoteles quarto de partibus animalium cap. quinto, omne inſectorū genus minime contentum eſſe alimēto, quippe quæ ſibi ipſa ſufficere valent nō tam corporis exiguitate, quam caloris remiſſione, tametſi

nonnulla eorum , vt muſcæ nunquam videantur expleri cibis, quoniam parum aſſumunt pro vice, & multum abſumunt ob vegetem motum: illud enim, quod calidum eſt, cibum deſiderat, & cito concoquit, contra quod frigidum cibo carere facile poteſt; nam proprius calor minus abſumit, ac propterea fatetur, cicadarum genus maxime omnium ieiunum eſſe, quoniam ipſis pro alimento ſatis eſt humor proprius, alia vero, quæ calorem habent validiorem, vberius comedunt, quoniam calor vehementius agit, ac prope ſubſtantiam diſſipat. Tertio itidem de partibus animalium cap. vltimo recenſet alia animantium genera, quæ pauco tempore poſſunt ferre abſtinentiam cibi, ea potiſſimum ratione, quoniam cibus breui tempore manet in ventriculo, ac citius, quam concoquatur, deiicitur; itaque breuis eſt vſus fruendi, quemadmodum, inquit, eſt omne genus piſcium; hoc enim lubricum eſt, quia modicus eorum calor ſolida, quibus vtuntur, ac frigida alimenta immutare non poteſt, minuſque propter ambientem aquam tranſpirant, & coniungitur ventris atque inteſtinorum lubricitas propter innatam humiditatem. Quibuſdam etiam ſola inteſtinorum natura id facit, vtpote ſi recta ſint & laxa, ſiquidem illorum laxitas auiditatem auget cibi, rectitudo autem accelerat, quapropter animalia, quæ con-

continentiora eſſe oportebat ad cibi deſiderium, hæc in ſua aluo anfractus orbeſque plures continent. Atque hoc modo patet, quomodo in genere animalium nonnulla magis ſitim, alia potius famem ferant, & omnino ciborum quæ ſint auidiora. Nunc explicandum eſt, quapropter potus deſideratur frigidus, quæ vero comeduntur calida, & quomodo pars eadem contraria ſimul deſideret? Omnes videntur in hac re conſentire, quod ſitis eſt appetitus frigidi & humidi, fames autem calidi & ſicci, (vt ait Ariſtoteles) ac propterea nihil mirum eſſe, ſi eſculenta optentur calida, potus autem frigidus, atque in eadem parte poſſe fieri eodem tempore deſiderium contrariorum propter duplicem indigentiam, ac reſpectu, vt aiunt, diuerſorum. Porro ob defectum humidi roridi, quod frigidum eſſe debet, ob refrigerium & ſalutem caloris, appetitur potus frigidus; ob indigentiam autem humidi ſolidi, quod ſua natura calidum eſt, deſiderantur calida eſculenta. Mihi tamen videretur, huic rei diligentius incumbendum eſſe, etenim neque omnia eſculenta deſiderantur calida, nec omnia potulenta optantur frigida, ſiquidem panem non cupimus actu calidum, niſi exhibeatur in iuſculo, fructus omnes deſiderantur actu & poteſtate frigidi, bellaria, caſeus & aliorum plurima, potius frigida, quam calida come-

 dun-

duntur, cucumeres, etiam pepones, & citreoli, quibus ſalatutium conficimus, quemadmodum ſunt potentia & actu frigidi, ſic etiam cupiuntur, eoque eduntur modo, quomodolibet aſſumpti. Si vero etiam conſideres cætera animalia, quæ opus hoc comedendi & bibendi nobiſcum habent commune, videbis, ea non vti calidis cibis, ſed optare calida ſeu frigida, qualia illa ſint, citra delectum, & fortaſſe potius frigida auent comedere; quamobrem mihi videtur, hunc varium vſum alimentorum eſſe propter conſuetudinem, & quandam peritiam: cœpimus namque aſſueſcere, in vtero veſci alimento ſanguineo calido, deinde calido etiam lacte, atque ſub id tempus cœperunt nobis parari iuſcula calida propter vtilitatem caloris & coctionis, ſcilicet vt tum alimenta ab igne alterata facilius concoqui poſſent, tum etiam pars ipſa concoquens ab extrinſeco adiuta calore multo facilius concoqueret: nam calor extraneus innatum fouet & adiuuat, & quoniam aliqua deſiderantur alimenti tantum gratia, alia vero etiam vt refrigerent, quę ſunt in primo ordine, conſueuerunt optari calida, cætera autem frigida vt fructus, alia itidem calida optantur, quoniam ſic magis ſapiunt, alia vero frigida: ſic enim videntur guſtui ſuauiora, prout calor proprios immutat ſapores, aut ſaltem in actione ad ſenſum præ-

ualet,

ualet, vt proprium rei, quæ comeditur, obtundat ſaporem, & rem faciat alio modo apparere. Sic itaque facilimum erit ſatisfacere huic propoſitæ difficultati, animaduertendo tamen deſiderium călidi & frigidi, & in ventriculo non eſſe paſſiones contrarias: oportet enim eſſe reſpectu eiuſdem, attamen hoc deſideratur calidum, aliud vero frigidum.

Capvt IX.

Quodnam ſit magis proprium, atque conueniens obiectum ſitis, aqua, vel vinum.

AQvam vero proprium ac naturale obiectum eſſe ipſius ſitis, mihi videtur lyppis ac tonſoribus eſſe manifeſtum, quoniam Philoſophus demonſtrationem huius concluſionis auſpicatur à definitione. Etenim ſitis eſt appetitus frigidi & humidi, aqua vero per ſe frigida eſt & humida, vinum autem calidum ſecundum formam, tametſi frigidum ſit ſecundum materiam, participatione videlicet aquę, vt ait Ariſtoteles quarto Meteororum. Patet igitur, aquam primum eſſe obiectum ſitis. Quod etiam eo modo cōfirmatur: nam longe melius aqua poteſt explere omnem defectum & indigentiam, vnde efficitur ſitis, quam vinum; igitur ipſa eſt magis conueniens & accommodatum obiectum. Probatur antecedēs, quoniam ſiccitati

per ſeipſam optime ſatisfacit: nam humidiſſima eſt, & cuiuſdam lentoris particeps, vt partim hærere, partim etiam diutius ſeruari poſſit, vinum autem potius exſiccat in fine, tametſi initio humectandi vim habeat, caloris etiam feruorem multo quam vinum præſtantius ſedat: nam ſua ipſius natura frigida eſt, vinum autem calidum, & propterea ad intrinſecum calorem acceſſionem facit; aer autem, tametſi humidus, & forſitan ipſamet aqua humidior, frigiduſque euaſerit, qualis in hybernis horroribus eſt, nequaquam tamen idoneus eſt ad ſedandam ſitim, quoniam oportet humorem eſſe paulo craſſiorem, & lentum: aer enim ob id non humectat, vt declarauit Ariſtoteles in Problematibus, neque etiam ſicca poteſt congregare alimenta, & fluida facere. Et quemadmodum hic nequit ſatisfacere deſiderio potus, ita neque famem ſedat, neque etiam odor, quamuis aliqui perperam exiſtiment, Chameleontem aere nutriri, & nos odoribus refici: illud enim falſum eſt. Gaudet quidem aere, cum ſit tanquam cauitas plena ſpiritus, ac perpetuo ob id videtur hiare, ſed vbi neceſſitas vrget, veſcitur cibis ſibi conuenientibus. Alterum quoque abſurdum eſt: nam odor recreat & conſolatur calorem, & forſitan vaporoſo permixtus corpori, fumidæque (vt aiunt) exhalationi poſſet inſtaurare ſpiritus, ſolidiores autem

autem partes haud poſſet nutrire, earum quippe nutrimentum multo craſſius eſſe deberet, interdum autem, quod ad ſitim attinet, videmus eam ſedari, ſi iuxta fluuios & fontes maneamus, aut venti ſpirent ab auſtro: namque iis in locis & auſtrali conſtitutione vel pluuia tum frigidior eſt, tum denſior multo vapore; is autem eſt aquæ diſgregatio, vt ait Ariſtoteles primo Meteororum; quapropter ſitim poteſt conciliare humectando, & caloris obtundendo feruorem. Cum enim ſpiratione attrahitur, totum humectat corpus, primum autem partes ipſas ſpiritales, quæ nimium calent, & refrigerationis egent, ac propter perennem motum nimiam humectationem deſiderant; ſecus enim inſtrumenta ipſa redduntur inepta motioni. Amplius aqua eſt potus magis naturalis, cunctis videlicet ab ipſa natura miniſtratus, vinum vero ſecundum naturam non eſt, ſed potius ſecundum peritiam, ſiquidem in illa prima ſocietate vini vſus nondum venerat, poſtea vero cœperunt homines variis oblectari potibus, vt ſimul ſitim ſedarent, & coctioni, quoad fieri poterat, opem ferrent fouendo ventris calorem; itaq; aliis placuit vſus vini, aliis cereuiſiæ, vt plurimis Galliæ populis, aliis pomorum ſucci vari, ſicut Antiochenis & aliorum nonnullis. Hoc etiam confirmatur: nam potus aquę eſt communis cunctis animantibus,

quoniam ſitis non homini tantum fit, ſed etiam aliis animalibus, vinum autem pauciſſimis eorum placet: non eſt igitur obiectum ſitis naturale & accommodatum. Manifeſta quidem eſt minor propoſitio: nam etiam multę hominum nationes vini potum legum edicto & naturali conſuetudine auerſantur, quemadmodum faciunt barbaræ nationes, & plurimi eorum, qui recens inuentas regiones accolunt, cæterorum autem pauciſſima inueniuntur, quibus vinum placeat. Atque inter hæc potiſſimum narrat Ariſtoteles viperas, vtpote quæ vino inebriatæ capiantur dolo, & ſimias præſertim caudatas, quæ adeo fiunt ebriæ, vt ebriorum prope more inſanire videantur. Videmus præterea, quod in ingenti ſiti, qualis fit in æſtiuis ſqualoribus, & febrili caumate, vinum, quantumuis accipiatur, vel non placet, vel ſitim non ſedat, quemadmodum facit aquæ potus. Quibuſdam tamen viſum eſt, potius vinum primo loco eſſe accommodatum ad deſiderium potus, vtpote quod longe melius appetentiam illam poſſit explere, quoniam Ariſtoteles vigeſimaoctaua Problematum quæſtione quinta inquit, ſitim eſſe duarum rerum deſiderium, cibi videlicet ac potus. Illud ergo eſt maxime conueniens obiectum ſitis, quod poteſt eſſe pro cibo ſimul & potu: vinum vero eſt huiuſmodi, cum plurimum nutriat; igitur

tur vinum præſtat aquæ in extinguenda ſiti. Confirmatur præterea: nam potus ad inſtaurandum intrinſecum humorem ſubſtituitur, ſed aqua illum inſtaurare non poteſt, vt vinum, cum nullo pacto nutriat; igitur vinum eſt magis conſentaneum ſiti. Præterea vinum frigidum eſt in actu & humidum, ſicut aqua, fouet etiam calorem, coctionem adiuuat, ventriculum roborat, cunctarum partium vires, & ſubſtantiam reficit, continuo humorem reparat, & ſpiritus ipſos conſolatur; igitur vinum eſt per ſe ipſum magis conueniens, ac primarium obiectum ſitis. Videmus præterea, ex moderato vini potu homines fieri alacriores, fortiores, magis viriles, & ad omnes viriles actiones magis idoneos, aqua autem contra ventriculum laxat, calorem hebetat, coctiones impedit, & pigerrimos facit homines, ac cæteris paribus magis effœminatos; quapropter vel ſiti ſaltem humanæ magis conueniens & accommodatum eſſe videtur. Quibus accedit, quod ſi vini vſus modum non excedat, diuturniorem nonnihil efficit vitam, quoniam homines ſenes, cum imbecilles ſint & frigidi, prope extincto calore vitali, & emarceſcente humore natiuo, huiuſcemodi potum deſiderant, & cum illo bene habent; quapropter Plato in libris de lege, vinum plurimis vetat, ſenibus autem nunquam. Ego arbitror, facilime ſeda-

301

DIALOGVS PVLCHERRI-MVS ET VTILIS-SIMVS

ANTONII LAV-RENTII POLITIANI,

DE RISV, EIVSQVE CAVSIS ET EFFECTIS,
dilucide ac philoſophice tracta-
tus, inque libros duos
diuiſus.

*NVNC PRIMVM IN LVCEM
editus, & peculiari Indice
donatus.*

Digitized by Google

ANTONII LAVRENTII POLITIANI DE RISV LIBER PRIMVS.

Philander, Politianus, Coſmius.

ECCVM ipſum opportune nobis obuium, o Coſme exoptate ſalue. COS. Deus vos amet amici, quid vos tam mœſtos, triſteſque, primo aſpectu conſpicatus ſum? ac, vt inquit ille, obſtipo capite, & figentes lumine terram? equidem haud arbitror, vos meditari ægroti veteris ſomnia. PH. Recte quidem ex vultu coniecturam facis: nam eſt quidpiam, quod nimium turbat, nec quidem ſomnium, ſed res, cuius ſcientia vtilitatis haud parum afferre valet, vt ipſe, ſi ocium ſit, fateberis. COS. Vbi addiſcendi aliquid ſit mentio, nunquam occupatus ſum: videor enim mihi, ſumma cum voluptate ætatem degere, dum, vt Solon ille Athenienſis, ſemper aliquid addiſcens ſeneſco, ergo eloquimini obſecro quamprimum, quid hoc ſit.

PH.

PH. Arbitror, te haud latere, nos ab ineunte ætate Philoſophiæ operam vſque nauaſſe, ſic hominis ſapientiam modeſte Pythagoras primus appellauit. COS. Non tam modeſte, quam vere tantus vir eloquutus fuit. Sapientia enim, vt Ariſtoteles ex Poeta Simonide accepit, vnius Dei honor eſt, eámque omnino complecti in hac vita, quamuis eam petat ſuapte natura, homo nequit; ſed attendo quo euadas. PH. Ad eam vtut adipiſcendam illa ingreſſi ſumus via, qua ex oraculo fabuloſi Apollinis Pythii noſmetipſos noſceremus, quod præceptum, vt Auſonius Poeta tradit, in Columna Delphica inſcriptum, potius aſſcribendum eſt ex illis ſeptem Græciæ priſcis ſapientibus, Athenienſi Soloni, aut Chiloni Lacedemonio. COS. Idipſum ex Socrate ac Platone etiam atque etiam vobis commendo, Phœnicum item ſapientes ſuimet ſcientiam ſapientiam eſſe literis cupientes Hieroglyphycis mandare ſerpentem ſuammet caudam admordentem pro templi foribus ſculpſiſſe dicuntur. Numa item apud Romanos idem præcepiſſe videtur, cum Ianum, qui foribus ac liminibus præeſſet, bis bifrontem ſeu quadrifrontem finxit, mediis faciebus in ſemetipſas reſpicientibus, aliarum altera intra domum, altera extra ſpectante, quaſi ſapiens ſe primo, mox ſua, poſtremoque aliena reſpiciat. Sed quid opus his teſtimoniis, ſi id diuina elo-

eloquia aperte demonſtrant: Homo enim, inquit Pſalmographus, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt brutis ac iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, hoc eſt, Homo ſe non cognoſcens, ſtultus eſt, ſe vero cognoſcens, ſapiens; proin tu quid hac via inſiſtens aſſequutus ſis enarra. PHIL. Primum quidem negotium haud difficile nobis viſum eſt, ſiquidem ad memet noſcendum me ipſum quærere opus mihi fore non putabam, cum mecum eſſe nunquam non mihi ipſe viderer: at vero cum vires experiri cœpi meas, res omnium difficilima apparuit. COS. Haud mirum, cum in pleriſque, quod Ariſtoteles ait, Natura humana ſerua ſit, atque homines prę externis, ac iis quidem multis negotiis plerunquę apud ſe non ſint, neque, vti par eſt, ſecum ipſi habitent, vt minus recte Plautinus ille ſimia philoſophari videatur: nedum enim in foro, vt ait, vix decimus quiſque eſt, qui ipſus ſeſe nouerit, verum maxime rara hæc eſt auis, atque omni in re, quod Tullius inquit, optimum quicque rariſſimum eſt. PHIL. Verumtamen permulta nobis didiciſſe videmur: ab hominis enim corpore orſi omnes eius partes ſigillatim cognouimus, vſque ad prima vocata elementa, ſectionem diſtributionemve, ac diſſolutionem moliti; inde ad animam cognoſcendam perreximus. Quamuis enim Plato, ſapienciæ ini-

tium ex Anima, atque ex eius præſtantiſſima parte, quæ in intelligentia verſatur, ducendum eſſe exiſtimat, attamen de cognitione diſtincta perfectaque loquitur, quæ per regreſſum demonſtratiuum, quem vocant, habetur. Itaque, vt ingreſſi fuimus, progreſſi vſque eo gradatim, noſtrum extulimus intellectum, ſummos labores ac vigilias impatibiles exantlantes, vt tanquam Hercules in abyſſum, inque totum orbem terrarum, & in cœlos ipſos penetraremus acumine intellectus, ac Deum Optimum Maximum quoquo modo, quantum homini natura eſt datum, apprehendentes cognoſceremus, atque arbitraremur; Philoſophiam omnem nos adeptos, complexoſque; cum ceu ex inſidiis inſignis rei ſpectatiſſimæque ignorantia ſeſe nobis obiecit; cum etenim eius Comœdiæ, quæ nudius tertius acta eſt, nos etiam magno riſu ſpectatores fuiſſemus, ea acta Philothimus, amicus noſter, de cauſis per ſe, tum proximis, tum etiam remotis huius paſſionis, ſiue (quod libentius dixerim) accidentis per ſe, quod Græci γέλων, Latini Riſum appellant, quærere cœpit; ac primo quidem obmuteſcere omnes rei nouitate perculſi, poſtquam autem aliquantum cogitatum fuit, propoſitæ ſunt cauſæ quædam variis ex auctoribus, quales extant Iſaach Iſraelita, Iracaſtorius, Valeriola, Valeſius, & Ioſius; Iubertus item dicitur

hac

hac de re Gallico ſermone egiſſe, cuiuſmodi ſcripta cum diligentia magna requireremus, inuenire non potuimus, ex prædictis autem nihil perceptum nobis eſt, in quo intellectus plane acquieſceret; deſperationem forte nobis iniecit Cicero, quem, quid ſit Riſus, (vt eius verbis vtar) quo pacto concitetur, vbi ſit, quo modo exiſtat, atque ita repente erumpat, vt eum cupientes tenere nequeamus, & quomodo ſimul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, neſcire non pudet, quoniam, inquit, ne ipſi quidem illi ſciunt, qui pollicentur. Conquerebamur omnes, cum plura abſtruſaque de ſenſu intellectuque ſcire videamur, hanc hominis proprietatem, quæ quotidie ob oculos verſatur, nos turpiter ignorare, abiuimus ſinguli triſtes domum quiſque ſuam, vbi præ cæteris ego cogitando ſum defeſſus, & quo magis prædictorum auctorum ſcripta perlegebam, eo amplius in ignorantiæ tenebris me penetrabam. Cos. An ignorabatis, nunquam ad id, quod ſatis ſit, in Philoſophia peruenire quenquam poſſe? quoties autem commonefeci vos, ne his noſtris recentibus ſcriptoribus nimium confideretis, vtpote qui ab ea antiquorum excellentia plurimum deſciuerint, vt pene illud Flacci vſurpare queamus:

Damnoſa quid non imminuit dies.

Ætas parentum peior auis tulit
Nos nequiores mox daturos (niſi Deus auertat)
Progeniem vitioſiorem.

Pol. Quonam pacto id fieri potuit, cum rerum ſcientia, vt ipſe de Philoſophia aſſeris, ſit quodammodo infinita, facileque, vt aiunt, ſit inuentis addere? niſi forte cum celebri quodam Comico hanc de vino coniecturam facias, quod vetus multo, quam nouum melius eſt, quanquam apud nos nimium vetus fugere, vappaque fieri ſoleat. Cos. An forte me ſenem, quod aiunt, laudatorem temporis acti derides? ratione moueor contra recentiores, alibi fuſius tractanda, nunc ſcias, Cœlorum influxui id poſſe referri acceptum. Etſi enim Sol, Mercuriuſque ingenia excellentia ſemper alicubi ferre poſſit, & fortaſſe producat: Iouis tamen ſydus ea impedit, aut corrumpit, non quidem ſuapte natura, ſed maleficis aſtris infectum, ac deprauatum; quamuis hæc humana pectora non cogant. Accedit, quod hi recentiores ſuopte ingenio feroculi ſpernunt Methodum, præſertim demonſtratiuam, qua ſine nil veri certo haberi poteſt, in tanto præcipue antiquorum Philoſophantium hac de re ſilentio, vt nemo (quod ſciam) de ea meminerit, præter vnum Ariſtotelem, qui, vt ſui moris eſt, ardua reconditaque in re pauca, eaque obſcurius de Riſu pronunciat.

Pol.

Pol. Quid ita obſecro? ſic enim ſcribere, non ſcribere eſt. Cos. His ferme verbis ipſe ad Alexandrum quærentem, quod arcana Philoſophiæ diuulgaſſet, reſpondiſſe fertur; vulgus enim prophanum arcere voluit, quod illa parui pendit, rebus ab homine extraneis omnino deditum; at vero Philoſophis, qui plurimum propter Philoſophiam laborarunt, eius doctrinam aſſequi, tenereque datur. Pol. Multum quidem laboris hac in re impendimus, ſed in caſſum, atque, vt abs te doceremur, data opera ex vrbe huc nos contulimus. Cos. Docendusne vos doceam? haud par eſt, at ſi mecum addiſcere nonnihil vobis libet ex mutis, quod aiunt, Doctoribus, quorum Princeps eſt rerum ipſarum natura, vtique, ſi Deus annuerit, poteritis, & veſtrum quidem gratia iam redibo domum, vt ibi noſtro in viridario totam hanc rem exquiramus. Phil. Gratiſſimum nobis feceris, at non paruo ſpatio à domo tua diſtamus, ex quo bonum erit facere, ſi conſilium placebit, aliquid inter eundum de Riſu dicere ingrediamur: vt enim paraſitus ille prouerbio apud Plautum inquit: Mane quod tu occeperis negotium agere, id totum procedit diem. Cos. Fortaſſe quoniam, vt Flaccus ait, dimidium facti, qui cœpit, habet, & proinde omni ſtudio diligentiaque in principium cuiuſcunque rei agendæ incumbendum eſt, id

quod mane, vt Marſilius veſter accurate oſtendit, præ cæteris dici partibus, maxime fieri poteſt, vnde quando tu non ſaturio, ſed eſurio, vt ille inquit, huc aduenisti, haud equidem refragabor; ſed primum omnium in hoc proximo templo Deo, beatiſſimæq; eius genitrici ſemper virgini Mariæ, ac martyri virginique Catharinæ ſacro, diuinum nomen inuocemus. PHILANDER. Id in principio cuiuſque actionis, vel Platone teſte conuenientiſſimum eſt, & nunc mihi in mentem venit, diuam hanc Catharinam, vtpote quæ à teneris annis ſapientiæ ſtudiis quam maxime flagrauit, in eiſque ſumma cum laude floruit, non raro Deum exorare, vt hominibus ſibi deuotis, ſapientiæque cupidis eius copia fiat. COSMVS. Nunc autem, vt ad id, quod cupimus, peruenire poſſimus, operæ pretium eſt, quæ ſenſui noſtro, dum aliquis ridet, apparent, in medium proferatis. PHILANDER. Facilimum videtur, ſed me quædam vrget confuſio. COSMVS. Huiuſcemodi ordinem ſequere, primum riſum ipſum diuide, deinde cum duo ſenſibilium ſint genera, primo ſenſibilia communia refer, mox propria, quæ per quinque externos ſenſus ſunt diſtributa; vtraque autem ſenſibilium genera in quolibet riſu tibi conandum eſt nobis proponere. POLITIANVS. At vero dubium

bium hic me offendit; cum etenim Socrates, aliique Philoſophi, ſenſum nunquam non decipi aſſeuerarint, fruſtra à ſenſibilibus ordo ſeu methodus videtur. COSMVS. Arbitrabatur itidem Socrates, nullam à nobis in hac vita ſcientiam haberi poſſe; hanc ſententiam ipſe præter cæteros ſua ætate profeſſus ea opinabatur, vt à Platone refertur, ſe omnium hominum ſapientiſſimum ab Apolline Pythio appellatum fuiſſe. Ariſtoteles vero aſſeruit, ſenſum in ſenſibilibus propriis non decipi; adde neque in his, quæ communia ſunt, ſi congrua in diſtantia, atque vti par eſt ad ſenſibile ſeſe habeat. Controuerſia hæc inter nobiliſſimos Philoſophos peculiarem exigit tractatum, qui nobis ponentibus, aliquampiam ſcientiam in hominibus ineſſe, fierique ex cognitione ſenſus, nunc ſuperuacaneus eſſet. POLITIANVS. Intelligo, nam ex ſuppoſitione nobiſcum agis, imitatus Platonem & Ariſtotelem, ac Mathematicos ipſos. COSMVS. Sic decet, iam ergo tu Philander nobis Riſum diuide. PHIL. Hoc opus hic labor eſt; num ignoras, Platone id aſſerente, quam difficile ſit probe diuidere? aliquam methodum mihi oſtendas velim, etenim in hoc munere exercitatus minime ſum. COS. Nempe tu in doctrina recentiorum educatus, qui tempus omne conterunt in diſputationibus,

tractationibuſque plerumque inanibus, leuibuſque; methodum autem demonſtratiuam, atque compoſitiuam (ac & diuiſiuam Ariſtoteles complexus eſt) ſimul cum earum vſu nihili pendunt; at vos ne arbitremini, diuinum hoc munus (ſic à Platone diuiſiua methodus appellatur) omnino me nunc traditurum: longiorem enim poſtulat ſermonem. PHIL. Quæ tu vis, eadem nos quoque volumus. COS. Accipe igitur, quod ad præſens opus ſpectat; noſtin Riſum duo habere, & nomen, & rem, per illud ſignificatam. PHIL. Noui. COS. Primo itaque in medium proponere nitaris, quæ nomine Riſus ſignificentur; ſecundo autem res ipſas Riſus nomine ſignificatas diſtribuas, & primum quidem tibi in varia ſcriptorum lectione verſato haud difficile erit. PHIL. Dicam ea, quæ in mentem veniunt, præter hunc Riſum, quem quotidie frequenter videmus, & cuius cauſam præcipue quærimus; datur & aliud Riſus genus, quod Sardonium appellant, cum ita denominatum ferunt ex Inſula Sardinia maris mediterranei, in qua copioſius, quam alibi, herba quædam naſcitur, ſaporis, vt aiunt, dulcis, cuius meminit Dioſcorides, dicens, eam eſſe de genere Batrachii, quod Latini Ranunculum dicunt, addit mentem ipſam veſcentibus adimere, & quadam neruorum diſtentione labia in rictum contrahere, vt Riſus ſpeciem præ-

præbeat, & ab hac affectione de Sardonio riſu in vulgus infauſto omine adagium manaſſe; & inſuper huic veneno aſſerit, curam omnem, quæ conuulſioni neruorum adhibetur, exequi oportere. Pauſanias de eadem herba loquens ait, eam reperiri venenatam duntaxat in Sardinia, & iuxta fontes prouenire, quamuis aquas non inficiat, eamque qui ederit ridentem emori, eſſeque ſimilem Selino, Apioni. Dicitur præterea hæc herba ſcelerata in eo de Plantis Commentario, quod Apuleio aſſeribunt; refert Cælius Rhodiginus, ſuis temporibus hanc Riſus herbam appellitari, ex quo patet, quid Sardonii riſus nomine proprie ſignificetur, quanquam non me præterit, aliam à quibuſdam afferri rationem, vti refertur apud Paræmiarum quendam ſcriptorem. Zenodotus enim ex Æſchylo memorat, in Sardone, quæ erat Carthaginenſium regio, morem fuiſſe, ſenes ſeptuagenarios Saturno ſacrificare, qui ridentes, dum immolarentur, ac mutuo ſeſe amplexantes, æquo animo mortem patiebantur; ipſe Zenodotus aliter hanc rem enarrat, dicens, filios in Sardoniis parentes grandæuos fuſtibus cædentes, in foueam, vbi ſepeliendi erant, præcipites dare ſolitos, quam mortem, illi ridentes, ac fœlicem arbitrantes, itidem æquo animo perferrent: alii dicunt, id tantum fieri ſolitum de Captiueis ſeptuagenariis,

riis, ex Cleanto patet Carthagine in magnis votis ſolitum ſacrificari puerum Saturni Manibus, qui dum ſacrificaretur, ignis vapore contractus ac tortus, ridentis ſpeciem præbebat. Ex eodem Zenodoto breuiter dicam de fabuloſo illo Ialo Æneo, ac vnicam venam habente, qui ad Sardiniam accedens, plurimos mortales inibi interemit, vt ridentes viderentur, & poſtea in ignem deſiliens Saturno ſacrificandos pectori ſuo admotos cum imagine quadam riſus neci dabat: euenit enim, vt incendio qui pereunt ringentes moriantur. Et hæc quidem de ratione, qua Riſus Sardonius ita appellatus fuit, quanquam ex Paulo Ægineta omnes riſus præter naturam, ſeu à cauſa tantum externa Sardonii dicuntur. COSMVS. Accurate loqueris. PHIL. At vero neque illud reticuerim, quod quidam aſſerunt, ſi quis in lebete aquæ feruentis immittatur, inibi cum riſu decedere; meminit Plinius cuiuſdam herbæ, quam Magi Gelotophyllidam vocitent, & quæ in Bactris, & circa Boriſtenem naſcatur, hæc ſi bibatur cum Myrrha & vino, varias, inquit, obuerſari ſpecies, ridendique finem non fieri, ni potis nucleis pineæ nucis in vino Palmeo. Aſſerunt quidam, Crocum, ſi ad tres drachmas ſumatur, præ nimio riſu interficere, Dioſcorides quidem hoc tantum, inquit, ex aliorum ſententia,

eum eſſe exitioſum tribus drachmis ex aqua potis. Apud Strabonem inuenio in Cambyſena, quæ flumen Alazonium accolit, Araneorum genus quoddam naſci, quod mordens alios ridendo cogat emori, alios vero flendo. Scriptor ille Paræmiarum ex quibuſdam addit, cum Riſu interitum ſequi etiam morſum ſarcotellæ, quod animal nunquam me legiſſe recordor, quodnam ſit, neque adeo, quid hoc nomen ſignificet, forſitan eſt Phalangii genus, quod Arabes Rutelam; noſtrates vero LaTarantola dicunt, ex Tarento Iapygiæ vrbe, vbi viget, quamuis & in Apulia, & alibi frequens ſit, à quo morſi alii vomunt, alii ſudant, alii dormiunt, tremiſcunt alii, aut vſque ſaltant, aut flent, aut rident, aliiſque ſymptomatis pro varia, vt puto, inprimis herbarum, in quibus ii innaſcuntur, natura afficiuntur, quæ muſicæ inſtrumentorum ſonis, iis quidem variis, pro affectionum, quas hoc venenum affert, varietate (non enim quilibet ſonus ad quamlibet accommodatus eſt) tolluntur; vſque enim ſaltare, quemadmodum ad prabeum, viridemque colorem accurrere coguntur, vt multo ſudore manent, venenumque illud conficiant; nihil deinde vetat, alia horum ſimilia, & proportionalia reperiri poſſe venena, quin etiam ſponte ex putredine cuiuſpiam humoris, huiuſmodi

ali-

aliquid poteſt in ipſomet homine produci proportionale, nedum huic veneno, ſed & alii, ſi quod eſt acrius immitiuſque. Cos. Ita ego quoque arbitror. Phil. Meminit Ariſtoteles illius, cui in prœlio traiecta præcordia mortem cum riſu attulerunt, quod & in gladiatorum ſpectaculis obtigiſſe memorat Plinius. Et hæc ſunt, quæ de riſu proprie Sardonio mihi ſuccurrunt: nam & quadam ſimilitudine, vt noſti, riſus quidam ſecundum naturam Sardonius appellatur. Cos. Teneo, ſed alia ab homine dicunturne ridere? Phi. Apud Poetas metaphora quadam id vſu venit, ſic apud Poetam, neſcio quem, memini me legiſſe, Roſam alioſque flores ridentes: ridentem item Achantum Vergilius dicit. Horatius, ridet argento domus (inquit) & Lucretius, Rident æquora Ponti, aliaque apud alios huiuſmodi ſunt, quæ nunc enarrare longum eſſet. Cosm. Satis quidem variam, quam dicunt, præ te fers lectionem, neque hæc adnotaſſe pigebit. Phil. Soliciti maxime ſumus de riſu hominis ſecundum naturam. Cos. Cum igitur partiamini, vt, quæ in ipſo ſenſu patent, facilius enumeretis. Phil. Equidem hanc prouinciam Politiano dandam cenſeo, vt riſum, qui ſecundum naturam eſt noſtris in oculis animiſque, exponat, dum ego de Sardonio deque aliis cogito. Pol. Quamuis verbis depingere non omnium

mnium ſit, enitar tamen mandata exequi: verum quæ diſtributio huius riſus ſit, non video, quo pacto explicari poſſit, ſi adhuc, quidnam ipſe ſit, à quibuſve cauſis fiat, ignoramus. Cos. Rectam inſtas viam: ſic enim cum recentioribus non laberis. Cæterum etiam atque etiam vide, aliquane huius riſus ſit diuiſio, quæ in propatulo ſit, neque difficilis inuentu. Pol. Niſi forte conſiderare me velis riſum ſecundum communia, prout eſt accidens quoddam, qua in re tria dicam. Primo, riſum eſſe aut magnum, aut paruum, hoc eſt, ſubmiſſe, aut ſumme editum. Secundo, aut rarum, aut crebrum, denſumque, qui parua quaque ex re excutiatur. Tertio, aut ſerum tardumque, aut citum, velocemque, ſcilicet aut cito excitari, citoque ſubſidere, quæ diſtributio eſt per ea, quæ de huiuſmodi aliis accidentibus inuicem relatis dici poſſunt. Cos. Eam ipſam exoptabam, ſed vide, an aliam deprehendere poſſis? Pol. Forſitan alia eſt per differentiam, vt dicunt, numericam, hoc eſt, per ſubiecta, ſeu varios homines. Cos. Dilucide eam explices. Pol. Sic arbitror dicendum: Riſum eſſe in viro, aut in muliere, præterea aut in puero, aut in iuuene, aut in ſene; inſuper aut in Italo, aut in Gallo, aut in alio; item aut æſtate, aut hyeme, aut in alio tempore, tum etiam aut in temperato, aut in calido, aut in frigido, aut in alterius

tem-

temperamenti, & alia id genus per multa. Cos. Satis hæc ſunt, nunc autem, vt, quæ ſenſu in Riſu noſcuntur, omnia afferre poſſis, hanc methodum accipe; pingendus tibi eſt ſummus ac maximus riſus: ſummum enim, vt Philoſophi experiuntur, menſura eſt & regula eſſentiæ aliorum, eiuſque defectu cætera metiri perpendique conſtat. Pol. Ita eſt. Cos. Summum itaque riſum ſpectes eo in homine, in quo ſit, vt in iuuene, ſeu in alio. Pol. Percipio, namque, vt Plato in Alcibiade primo poni malis ipſum idem, quam ipſum quod eſt. Cos. Tenes. Pol. Et quod ſpectat ad ſenſibilia communia, cum ex Ariſtotele ea quinque eſſe acceperim, nempe Motus, Quies, Numerus, Magnitudo & Figura; primo quidem in riſu motus inſignis apparet. Cos. Hic motus cuiuſnam ſit, & qualis, te explicare oportet. Pol. Pro tenui infirmaq; parte connitar contendamq;, atq; à capite incipiens, quæ inter quinque corporis ſummas partes ab Ariſtotele enarratas prima quodammodo eſt, primoq; nobis in conſpectum prodit, illud certum eſt in riſu eo ſummo, de quo eſt hic ſermo, totum caput moueri, atq; eius illas partes, quæ faciei ſunt, verum non omnes, vt auriculæ, quæ vni homini ſemper immotæ manent, quanquam in aliquibus, cum loquuntur aut rident, trepidare motariq; videntur; at hic motus per ſe auricula-

cularum non eſt, ſed quia aliquantum ipſæ adhærent, coniunctæq; ſunt maxillæ ſeu mādibulæ inferiori, quæ præcipue in riſu mouetur, ſuperiori ſemper immota, præterq̃ Crocodilo, cui ea tantū mouetur; excipitur etiam à Meletio Phœnix auis, ac excipi poteſt Pſittacus, quē noſtrates dicunt il Pappagallo; hæ etenim aues ambas maxillas mouent, ſeu potius maxillis reſpondentia. Cos. Recte loqueris. Pol. Mouentur itē in riſu malæ ſeu genæ, q̃ ex antiquioribus Latinis idē ſignificant, earumq; motus is ipſe eſt, qui & muſculorū maxillā mouentiū; mouentur etiā quoquo modo Genæ, q̃ circa oculū, in quibus Palpebræ ſunt, q̃ & ipſæ mouentur in riſu, atq; etiā extremū ſuperioris Genę, qp Cilium antiqui, recentiores vero, vt Plinius teſtatur, Superciliū appellarunt; mouentur itē in riſu nares naſi, in quā, cartilagines, os ipſum, oculi, ac etiam frontis cutis aliquantū moueri videt̄, atq; in ſumma quæcūq; faciei pars, quæ moueri poſſit. Et hæc quidē de capitis motu in riſu. Collum autē, quæ eſt inter caput, & pectus ſecunda pars principalis, & ipſum cū capite in riſu quidē maximo ſimul moueri videt̄, p̄cipueq; pars eius anterior, q̃ guttur appellatur: thorax vero, q̃ tertia eſt pars principalis, & ipſe eiuſve partes in riſu mouētur; thoracē proprie ex Ariſtotele accipio, quæ pars à collo, vt inquit, ad pudenda vſque peruenit, atq; in duas dia-

phra-

phragmate membrana partiri poteſt, & ſuperior quidem Thoracis nomine Medicis appellatur, Pectus vulgo dicitur: inferior vero Abdomen Medicis dicitur, Ariſtoteli autem γαστὴρ, quod Latine vertunt Venter, atque vtraque quidem pars in riſu mouetur. Cos. Recte explanaſti. Pol. Aliæ inſuper partes ſummæ, brachium duplex, & crus duplex in riſu mouentur, magis autem brachia; his addendum cenſeo, totum corpus ſecundum ſe totum in riſu, illo quidem ſummo, moueri. Cos. Ita habet, ſed cogita, nequicquam actum eſſe, niſi etiam, qualeſnam hi motus ſint, ſigillatim explices. Pol. At quonam pacto? Cos. Accepiſtine ex Ariſtotele, motum denominari definirique à termino ad quem. Pol. Id quidem teneo. Cos. Hac igitur methodo prædictos motus ſub oculis nobis ponas. Pol. Dura imperas, attamen, vtut potero, explicabo. Et quod ſpectat ad motum totius corporis in riſu, is certo termino carere mihi videtur; eſt autem, vt quoquo modo eum deſcribam, ac ſi quis totus quatiatur, ſeu concutiatur, vt cum homines geſtiunt, tremiſcunt, ſtare loco neſciunt, ſaltant, ſubſultant, exiliunt, vt toti diffluere, ſibique non conſtare videantur. Cos. Recte quidem dictum. Pol. Id ipſum dico de toto capite: mouetur enim & ipſum in riſu inordinato quodam motu; at vero ſi faciei partes conſideremus.

mus, præſertim Malas, ſeu Genas, harum quidem in riſu inſignis, & manifeſtus eſt motus, qualis autem ſit ambigo, quonam pacto explicare poſſim. Cos. Connitamur ambo aliquid perſcrutati, anne putas malarum, totiuſque faciei muſculos (eadem enim, quod ſpectat ad hoc, omnium eſt ratio) ſimul omnes in riſu moueri nec ne? Pol. Nequeo ego ſane adeo ad viuū hæc reſecare. Cos. Animum aduerte, an poſſis hoc mecum indagare, quanam coniectura muſculum quempiam moueri, aut motum eſſe cognoſcis? Pol. Cum contractus, ac breuior, & durior apparet præſertim ſi ſubiectum os habeat, cumq; ſibi deſtinatum mouet mobile, quemadmodum Anatomicorum Princeps Hieronymus Fabritius de aqua pendente explanat. Cos. Anne omnes faciei muſculi in riſu ſimul tenſi, duriq; videntur, ſiquidē hi ſubiectum os habent? Pol. Præter illos forſitan frontis mihi omnes ſimul contrahi in riſu videntur, totamque faciem pro eius ſubſtantiæ conſtitutione tunc rigere, ac obdureſcere. Cos. Quid ergo dubitas aſſerere omnes faciei muſculos in riſu ſimul moueri? Pol. Profecto ita ſe res habet. Cos. Ex altera parte conſidera, num eodem tempore eadem res contrariis motibus moueri poſſit. Pol. Nequaquam. Cos. Anne muſ-

Omnes faciei muſculos in riſu ſimul moueri.

culi prædicti, vt malarum contrarios motus habent? POL. Habent, nam alii maxillam inferiorem deorſum, alii ſurſum trahendo os aut claudunt, aut aperiunt, alii vero modo extrorſus, modo introrſus, eam mouentes circumagunt. COS. Simul igitur maxillam inferiorem omnes mouere non valent, quamobrem ſimul omnes non mouentur. POL. In confuſionem ac tenebras me conieciſti. COS. Videamus, an ex his tenebris quoquo modo noſmet ipſos liberare, eruereque poſſimus, ac mihi reſpondeas, cum duo aliquid mouentes in contrarium illud trahunt, hinc ſcilicet vnus, illinc altrinſecus, ei aduerſus alter, quidnam eueniet? POL. Profectò vt Ariſtoteles ait, fieri non poteſt in eodem mobili ſimul motus ad contraria, quare, ſicut ex hoc ipſo, vt memorat Ariſtoteles, quidam opinati ſunt terram immotam in mundi centro manere, ſic etiam hi mouentes, de quibus loqueris ſi æqualis ſint virtutis, aut nihil agent, aut ſi fieri poteſt mobile diſtrahetur. COS. At vero ſi inæqualis virtutis, ac roboris ſint? POL. Infirmior motui valentioris cedet, vt exempli gratia aperietur porta, ſi aperiens magis valeat. COS. Sed num valentior mouens hac in pugna, contentioneue, idem aſſequeretur, ac ſi non contendat, nulloue repugnā-

te mo-

te moueat? Pol. Si quemadmodum omnib. pro certo eſt agens materialis in agendo repatitur, & quodam pacto de ſuæ virtutis gradu deiicitur, quanto magis id eueniet cum aduerſarium, etſi imbecilliorem, attamen aperte contranitentem habet? quare dicendũ arbitror, tunc non tantum mouere, quantum aduerſario nõ impeditus moueret. Cos. Tunc igitur valentior mouẽs minus ſeu imperfecte mouebit aduerſario, vti aſſeris vſq; contranitente. Pol. Sine dubio. Cos. Nunc vero perpende quinam muſculi faciei ſint valẽtiores. Pol. Quanam ratione id aſſequar? Cos. Anne plures ſimul mouentes, data in cunctis ęqualitate, validiores ſunt, quam pauciores? Pol. Videtur modo ne ſuperfluant, tunc n. præ multitudine mutuò ſibi impedimento, & confuſioni eſſent, id quod nunquã prouida natura admittit. Cos. Anne etiam inter hos muſculos magni, craſſiq; validiores ſunt exilib. paruisq;? Pol. Sunt quidem. Cos. Expendas igitur quinam muſculi ex prædictis ſint plures, aut pauciores, craſſiores aut exiliores. Pol. In primis quidẽ exiſtimo muſculos maxillam inferiorem ſurſum vt os claudant, trahẽtes plures, craſſioresq;, ac proinde valẽtiores eſſe quam eandẽ deorſum, vt idem aperiant, ducẽtes, id quod cũ ex anatomic. patet, tum liquido oſtendunt, qui grauiora onera è

terra mordicus extollentes ore geſtant; tum etiam qui Phreneſi, inſaniaue perciti tanta vi ac peruicia os claudunt, vt ne vix quidem, vel organis quibuſdam ferreis reſerari poſſit, quamuis hoc in claudendo ore, reſtringendiſque dentibus robur minus haud immerito homini (vt etiam muſculi temporales in ipſo exiliores declarant) quã brutis mordacibuſq; animalib. ſit, non eſſe autem tantam in ore aperiendo vim, cum tamen maxilla proprio pondere deorſum tendens in homine, præſertim apertionem adiuuet, ex eo conſtat quod non tanta difficultate compelletur quis, quamuis pertinax, ac obſtinatus ad os apertum claudendum. Multo igitur imbecilliores muſculi os aperientes, ſeu maxillam inferiorem deorſum trahẽtes putandi ſunt. Cos. Cum itaq; in riſu muſculi os aperientes & claudentes ſimul moueantur, quid aliud eueniet, quam, vt magis os claudatur? verum non exacte ob eum aperientium muſculorum, vt ita loquar, contranixum, ſed aliquantum etiam aperietur, quod Latini proprie hiſcere dicunt, vt cum trepidè ac hæſitanter loquimur. Pol. Ex dictis ſequitur, & res ita habet, namque experior, neque nimium hiante, neque nimium clauſo ore hominem ridere poſſe, præſertim riſu illo ſummo, de quo ſemper eſt hic ſermo.

Vt os in riſu moueatur.

Cos.

Cos. In alio vero riſu non ſummo, hęc minora erunt, & nunquam nimis claudetur aut aperietur os, niſi forte muſculis addatur quidam voluntarius motus, vt infra dicemus. Pol. Ex hoc video etiam illud ſequi; quod nimirum his, qui valde nimium riſerint, dolent deinde malæ, & maxillæ, vt quidam eas luxatas putarint; ob eam enim motuũ contrarietatem, & violentiam accidit quodammodo, vt ligamenta, nerui, fibræ diſtrahantur, ex quo recte vernaculo ſermonę dicimus ſmacellare delle riſa, ò ridere ſquarciatamente. Cos. Sic eſt loquendum, verum obſeruaſtine in riſu, an appareat motus illius muſculi μασσητὴρ Græcis, Latinis vero molitor dicitur? ſiue is vnus ſit, ſiue multiplex, & qui maxillam inferiorem, modo introrſus, modo extrorſus mouet, vt inter mandendum patet? Pol. Nunc in memoriam mecum redi, non tantum me vidiſſe in riſu os mediocriter clauſum, & mediocriter apertũ, ſed etiam inferiorem maxillã mediocriter introrſus vergentem propter eorum motuum, qui eodem tempore in riſu fiunt contrarietatem, & quoniam validiores forte ſunt Muſculi introrſus eam agentes. Cos. Probe quidem memoras, ſed anne hæc in aliquibus deficient? Pol. Fieri quidem poteſt, vt hæc non adeo ad amuſſim in ſingulis ſe habeant pro varia

Cur inferior maxilla mediocriter in riſu introrſus vergat.

hominum natura, ſeu earum partium compoſitione commenſioneque. Cos. Id parum noſtra refert, verum vbinam prædicti muſculi locantur, vt eorum contractionem in riſu experiri poſſimus? Pol. In malis præcipue, quæ idcirco (vt hoc de propriis ſenſibilibus præuertam) contracte, & duriſcule tum apparent; adſunt & in temporibus muſculi temporales vocati, quorum contractio cum in homine tenues ſint, parum obſeruatur, ſicut & illorum, qui gemini ab oſſe pectoris, ſeu à clauicula vocata ortum ducunt, ac terminantur ad inferiorem maxillam, ſed hi in parte colli anteriori exiſtunt. Cos. Satis hæc ſunt de huius maxillæ ac malarum motu in riſu: nunc eadem methodo de labrorum motibus dicas. Pol. In his quidem non video contrarietatem, nam in duobus mobilibus labris (inquam) verſantur, quare eorum muſculis in riſu ſimul contractis contrahuntur, & ipſa ſuperius nimirum ſurſum, deorſum vero inferius, ex quo reteguntur dentes hoc ipſo Gelaſini Græcis appellati; quod vero labrum ſuperius, magis videmus contrahi quam inferius, id ex validioribus, quos obtinet muſculis habet, quod etiam labra in riſu, neq; introrſus, neque extrorſus moueantur (quos motus, & contrarios quidem eorum vnumquodq; habet, ob quaſdã fibras

Vt labra in riſu moueantur.

Cur in riſu reteguntur dentes Gelaſini.

fibras ad ſuos muſculos pertinentes) accidit, quoniam cum hæ imbecilliores ſint, ipſis muſculis labrum ſuperius ſurſum, & inferius deorſum mouentibus, iure eorum motui cedunt, neq; introrſus, neq; extrorſus tunc labra mouere valent, præſertim cum ex malarum, quibus vtrinq; ea anneꝼtuntur, contractione vtrinq; valide trahantur, extendanturq;, verum propterea quod hanc tenſionem, ſeu contractionem inter ridendum experiamur carpere, haud decet Martialem Poëtam, cum inquit:

Et quicquid lepida procacitate
Laxat perſpicuo labella riſu.

Laxat enim quaſi aperit, dixit. ſed neque illud prætermittam: eam partem in qua laborum contractio apparet forſitan à Latinis buccas appellari, quæ, vt puto, nomine γνάθος Ariſtoteli ſignificatur ac præcipue in ira inflatur, vt Horatius indicat, in ſua ſorte non contentos dicens:

Quid cauſa eſt, merito quin illis Iupiter ambas
Iratus buccas inflet?

Etenim buccæ inquit Plinius ſunt infra malas hilaritatem, ac riſum indicantes. Cos. Recte quidem loqueris. Pol. Muſculi autem naſi, qui nares diducunt aperiuntq; viribus valde pollēt, neq; in motu ſibi mutuo aduerſi ſunt, & proinde in riſu valide cōtrahūt, *In riſu vt nares moueantur.*

vt nares, præſertim in deriſu corrugentur, proprieque naſus criſpari, ſeu criſpans dicitur Perſio in deriſores, cum inqit:

Naſus criſpās aduncus in riſu.

Ingeminăt tremulos naſo criſpante cachinnos.

Attollunt etiam hi, & contrahunt adeo nares, vt naſus curuus, & aduncus videatur, vnde Flaccus ad Mecœnatem:

Nec quod auus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarint.
Vt plerię; ſolent naſo ſuſpendis adunco.
Ignotos, vt me libertino patre natum.

Et apud Perſium Monitor ſic ait:

Naſus acutus & Rhinocerotis.

Rides, & nimis vncis naribus indulges.

Fiunt etiam eo pacto nares acutæ, vnde Flaccus, *acutis*

—Naribus horum hominum rideri poſſit,

Ex quo etiam Martialis de deriſoribus Romæ loquens, inquit:

Maiores nuſquam Ronchi iuuenes, ſenesq;
Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Palpebrarũ motus in riſu.

Cos. Ad vnguem loqueris. Pol. Accipe nunc quid obſeruarim de palpebris, ſeu oculorum integumentis, quæ in genis ſunt; quęque vtrinque duæ ſunt, ſuperior ſcilicet, & inferior. Cum arbitratus ſit Galenus ſuperiorem dumtaxat in homine moueri ſurſum, deorſumq; variorum muſculorum munere mo-

motus contrarios habentium, qui cum in riſu ſimul fiant, vt per methodum abs te propoſitam experior, (omnes enim faciei muſculi in riſu ſimul contrahuntur) aſſerendum eſſet, tunc palpebras non moueri, ſi prædicti palpebræ ſuperioris muſculi æqualis roboris eſſent, ſed cum, vt ex effectu patet, muſculus deorſum eam trahens validior ſit, cui etiam palpebræ ipſius pondus opitulatur, euenit, vt parum quidem deorſum palpebra, tum moueatur & claudatur aliquantum oculus, & quamuis Ariſt. etiam inferiorem in homine moueri vere aſſeuerarit, hic tamen motus exiguus eſt, & quin ſit, parum abeſt, quare (vt illud eiuſdem Ariſt. quoquo pacto vſurpem) tanquam nihil quin ſit abeſſe exiſtimandum eſt. Quicquid autem hac de re ſit, id nobis ſat eſt, palpebram ſuperiorem duos contrarios motus obtinere, & proinde neque nimium oculum claudere, neq; nimium aperire in riſu poſſe, quamquam magis claudit, velut de ore ſupra dicebamus. animaduerti inſuper ex hac motuum palpebræ ſuperioris contrarietate fieri in riſu ob contranixum quandam circa oculi angulum præcipue externum corrugationem: cumque, vti dicebam, magis cludatur, quam aperiatur oculus, euenit, vt ambo cilia, ſiue ſupercilia deorſum paululum in riſu trahan-

 tur,

tur, & aliquantum, leuiter tamen incli-nent. dico autem ambo ſupercilia ſimul in riſu illo præſertim ſummo ſic neceſſario moueri, cum aliâs ad arbitrium vno in homine ſeparatim moueri poſſint, vt in nictatione patet. Cos. Ita ſe res habet, ſed quid ſis dicturus de motu oculorum & frontis expecto. Pol. Mihi quidem videntur oculi in riſu retrahi intraq; orbitam non nihil recondi. Cos. Putasne ex muſculis hunc motum fieri? Pol. Quanquam ex pactis non teneor niſi de cauſis ſenſui apparentibus loqui, attamen quid ſentiam hac in re aperiam. Arbitror igitur & neruos opticos Græcis ſic appellatos retrahi poſſe, ſicut & alios neruos, argumento eſſe poteſt, quod circa ſingulum eorum brutis animalibus peculiariter inſignis & cõſpicuus eſt muſculus, quib. animalib. fere ſemper pronos habentib. oculos periculum immineret, ne ex capite deciderent, non ſufficientib eorum ponderi hiſce neruis, vtpote mollib. niſi hic adeſſet muſculus, quem fibris, quas obtinet rectis intra orbitam oculum etiam retrahere veriſimile eſt, ad eius nimirum tutelam. Cos. Bene ſentis, ſed in riſu cæteri oculorum maſculi contrahunturne? Pol. Quidni? verum hac in re nil certi audeo pronunciare, quoniam ſenſui illi non patent, at ſi contrahuntur, aſſererem,

Oculorũ motus in riſu.

omnes

omnes eos ſimul contrahi, in riſu inquam, vt alii faciei muſculi, & proinde ob eam motuũ, quos habent contrarietatem, & roboris forſitan æqualitatem, oculos potius quieſcere, quam moueri, experiri in ſemetipſo quilibet poteſt, deprehendetq; inter ridendum oculos ad circumſpiciendum viſione diſtincta, quę ad perpendicularem radium fit difficulter ſe mouere poſſe, niſi id motu totius capitis molliatur inordinato illo quidẽ, quẽ in riſu caput, corpusq; totũ ne vix quidem obtinebit. Cos. Quaſi dicas oculorũ motus ad circumſpiciendũ diſtinctè omnino in riſu deficere. Pol. Ita quidẽ experior, ſed de his muſculis an tunc moueantur, quæſo ne me diuinare iubeas. Cos. Acquieſcam ſane. at deniq; de motu frontis hoc nomine cutim eius intelligo, aliquid proferas. Pol. Quid ſentiã indicabo. experior frontem moueri, nedum ſurſum, cum attollitur atque ad capillorum radicem corrugatur, vt cum quidpiam cuius cauſam, rationemve ignoret, admiratur quis aut cum grauibus angitur curis, verum etiam (quod miror à quibuſdam non obſeruari) deorſum cum tenditur à capillorum regione, atq; ad naſi initium, quod ſub fronte eſt corrugatur, ſuperciliorum quadam cum deorſum contractione, vt cum alicuius reminiſci homines ſtudẽt, aut cum alicui

Frons quales motus habeat.

cui

cui indignati minitantur, aut cum vt Plautinè loquar, caperat frons ſeueritudine; qualem etiam fermè ſtatum frons habet, quibus natura eſt ad has paſſiones propenſa, ſeu proportionalis, hi frontis ſunt motus, muſculis accepti, ſiue fibris referendi, vt credere par eſt æquiualentibus, ex quo cum in riſu haud diſſimili ratione, ac alii faciei muſculi, ſimul moueantur, fit, vt tum frons potius immota explicataque maneat, niſi forſitan deorſum ad explicationem aliquantum moueatur ob fibras validiuſculas. COS. Videtur, veruntamen, quidquid hoc ſit, nimia diligentia excuſatione digna magis quam negligentia eſt. POL. Sed hoc etiam quod pene eram oblitus paucis proloquar, hoſce motus omnes magis in dextris, quam in ſiniſtris adeſſe. COS. Nihil profectò te præterit. POL. Hæc igitur de motu capitis in riſu, de motu autem colli, nihil ferme habeo dicere. guttur certe non nihil trepidare videtur, totum vero collum paululum inter ridendum contrahi breuius craſſiuſque fieri, hunc equidem potius dixerim motum capitis deorſum eius muſculis contractis, verum qualis qualis ſit, vt ingenuè fatear, parum apparet, neque eſt tanta obſeruatione dignus, videturque motum illum totius capitis inordinatum comitari. COS. Ita ſe habet, age, alios expedi motus

Frons in riſu vt ſe habeat.

Collum & guttur in riſu vt moueatur.

tus. Pol. De motu thoracis in riſu difficile eſt iudicium. namq; Iſaach Iſraelita muſculos thoracis ſic apud Medicos appellati moueri tremitu quodã in riſu exiſtimat, non illo quidem proprie, qui pugna eſt naturam inter & morbum; vt praue interpretatur Valeriola, ſed quodam, hoc eſt improprie dicto tremore, quæ ſententia obſcuritatis multum habet, & confuſionis; neque quid hac in re potiſſimum decernam, aſſequor, adeo obſeruatu motus hic eſt difficilis. Cos. Mutuam ergo operam hac in re diſquirenda tradamus. Pol. Semper equidem præſto ſum. Cos. Audiſti ne vnquam thoracem hunc, ſeu malis dicere, pectus dilatari, reſtringique ope variorum muſculorum? Pol. Iam hoc teneo. Cos. Præterea an etiam accepiſti propter hanc thoracis dilatationem reſtrictionemque pulmones inſtar follium alternatim attolli deprimique; ſeu turgere, ac deturgere? ex quo aëris ab iiſdem pulmonibus attractio, expulſioque fiat, ſeu inſpiratio, & expiratio, vtque vno verbo dicam reſpiratio ipſa? Pol. Id ex Galeni ſententia accepi, & ea quidem vera, quanquam Auerrohes diſſentit, exiſtimans, ex pulmonum motu motum thoracis euenire. Cos. Vtut eſt, ex hoc apparet methodus, quam ſequamur in motu muſculorum thoracis, dum

Motus thoracis qualis ſit.

quis

cui indignati minitantur, aut cum vt Plautinè loquar, caperat frons ſeueritudine; qualem etiam fermè ſtatum frons habet, quibus natura eſt ad has paſſiones propenſa, ſeu proportionalis, hi frontis ſunt motus, muſculis accepti, ſiue fibris referendi, vt credere par eſt æquiualentibus, ex quo cum in riſu haud diſſimili ratione, ac alii faciei muſculi, ſimul moueantur, fit, vt tum frons potius immota explicataque maneat, niſi forſitan deorſum ad explicationem aliquantum moueatur ob fibras validiuſculas. COS. Videtur, veruntamen, quidquid hoc ſit, nimia diligentia excuſatione digna magis quam negligentia eſt. POL. Sed hoc etiam quod pene eram oblitus paucis proloquar, hoſce motus omnes magis in dextris, quam in ſiniſtris adeſſe. COS. Nihil profectò te præterit. POL. Hæc igitur de motu capitis in riſu, de motu autem colli, nihil ferme habeo dicere. guttur certe non nihil trepidare videtur, totum vero collum paulolum inter ridendum contrahi breuius craſſiuſque fieri; hunc equidem potius dixerim motum capitis deorſum eius muſculis contractis, verum qualis qualis ſit, vt ingenuè fatear, parum apparet, neque eſt tanta obſeruatione dignus, videturque motum illum totius capitis inordinatum comitari. COS. Ita ſe habet, age, alios expedi motus.

Frons in riſu vt ſe habeat.

Collum & guttur in riſu vt moueatur.

tus. Pol. De motu thoracis in riſu difficile eſt iudicium. namq; Iſaach Iſraelita muſculos thoracis ſic apud Medicos appellati moueri tremitu quodã in riſu exiſtimat, non illo quidem proprie, qui pugna eſt naturam inter & morbum; vt praue interpretatur Valeriola, ſed quodam, hoc eſt improprie dicto tremore, quæ ſententia obſcuritatis multum habet, & confuſionis. neque quid hac in re potiſſimum decernam, aſſequor, adeo obſeruatu motus hic eſt difficilis. Cos. Mutuam ergo operam hac in re diſquirenda tradamus. Pol. Semper equidem præſto ſum. Cos. Audiſti ne vnquam thoracem hunc, ſeu malis dicere, pectus dilatari, reſtringique ope variorum muſculorum? Pol. Iam hoc teneo. Cos. Præterea an etiam accepiſti propter hanc thoracis dilatationem reſtrictionemque pulmones inſtar follium alternatim attolli deprimique, ſeu turgere, ac deturgere? ex quo aëris ab iiſdem pulmonibus attractio, expulſioque fiat, ſeu inſpiratio, & expiratio, vtque vno verbo dicam reſpiratio ipſa? Pol. Id ex Galeni ſententia accepi, & ea quidem vera, quanquam Auerrohes diſſentit, exiſtimans, ex pulmonum motu motum thoracis euenire. Cos. Vtut eſt, ex hoc apparet methodus, quam ſequamur in motu muſculorum thoracis, dum

Motus thoracis qualis ſit.

quis

quis ridet diſpiciendo. etenim, an obſeruaſti aliquando quomodo reſpiratio tunc ſeſe habeat? POL. Certe viſa eſt admodum magna nec non crebra, ac velox, ſicut etiam & propter oris illum quem diximus ſtatum, vt neq; deglutire, & ie mandere quidem, neq; bibere tunc quis poſſit. COS. At vero ſi ita eſt vti aſſeris, nonne pulmones neceſſe eſt in riſu valde crebro, velociter ac multum attolli, deprimiq;? POL. Vtiq;. COS. At ſi res ita habet, an thoracem oportebit itidem valde crebro, velociter, ac multũ dilatari, reſtringiq;? POL. Maxime. COS. Anne hoc fiet ope muſculorũ thoracis? POL. Prorſus, & video iam iã aperte quid ſis dicturus. in riſu ſc. thoracis muſculos, valde cum multum, tum cito, crebroque moueri. COS. Atq; hinc eſt, quod tremitu quodam tunc moueri videntur; cum hunc re vera motum, quem dixiſti, habeant, ex quo etiam euenit, vt guttur, vti dicebas, trepidare videatur, etenim in eius interna regione adeſt arteria, quam aſperam vocant, qua per gutturem, quæ λάρυγξ eſt Græcis, reſpiratio illa velox, crebra, magnaque fit. POL. Intelligo, atque hinc video cur in vehementi riſu, (quod nonnulli dicunt) coſtas in dorſi regione ad ſpinalem medullam pene luxatas fuiſſe ob eam nimirum, quam diximus motuum magnitudinem, frequentiam

Reſpiratio in riſu quæ.

In riſu ∴ nec de glutire, nec mandere, nec bibere poſſimus.

tiam

tiam ac velocitatem. Cos. Ita ego quoque exiſtimo, ſed ne omnino hoſce muſculos ſicco pede, vt dicunt, pertranſeamus cum eos diſtinctè noſſe in præſentia noſtrûm non ſit, ni piget, ſummatim eos nobis indica. Pol. Aſſeuerant reſpirationis ergo, quam dicunt naturalem, ſeu quà nemo abſque vitæ ſuæ diſpendio carere poteſt conſtitutum eſſe Diaphragma, qui dum ad ſui, ſiue medium, ſiue centrum, quod eſt ad ſpinam dorſi contrahitur, dilatat coſtas & thoracem ipſum, dũ vero relaxatur reſtringit, ſeu (quod verius affirmarim) proprio pondere, ac natura ipſæmet coſtæ ad locum ſuum, quaſi redeunt, atque ita coarctantur. Ad reſpirationem vero magnam deſtinatos fuiſſe dicunt muſculos quos vocant intercoſtales, de quibus haud parua eſt inter Anatomicos diſſenſio, nunc minime neceſſaria. conſulatis autem philoſophum medicũq; ſummum Hieron. Fabrit. anatomicorum quot ſunt, quotque fuere coryphæum, ad maximam vero reſpirationem muſculos, præſertim abdominis, ſeu ventris. Cos. Anne omnes muſculi prædicti mouentur in riſu ſummo de quo loquimur? Pol. Prorſus. ſiquidẽ animaduertere tunc eſt maximã, velociſſimã ac creberrimã reſpir. vt ne dum vti dicebã, pene loco motę fuerint aliquãdo coſtę ſed etiã præ

De riſu dolere inteſtina ac rũpi homines, ac defatigari.

præ riſu homines diſrumpi ſibi videantur & forte quidam ridendo, vt Plautine loquar, ſuos ruperint ramices; vnde noſtrates dicterium habent, crepare delle riſa, ex quo etiam aurei Luccioli, dominus riſu ipſe quoque latiſſimo, vt ille inquit, ad vſque inteſtinorum dolorem redactus fuit; adeoq; inſuper magna eſt tunc reſpiratio, vt haud parua quidem defatigatio, laſſitudoue ſubſequatur. COS. Satis de thoracis motu, reliquum eſt, vt de brachiis, cruribusque dicas. POL. Hæc quidem ex maximo riſu mouentur inordinato quodam motu, ſicut & totum corpus, vt brachia in primis geſtire, geſticularique tum videantur, illisque vt Tullii verbis vtar, in riſu, quis frontem feriat; crura autem parũ omnino nimio vt vere dicam nil moueri, ſed præ imbecillitate contremiſcere videntur. & hæc habui quidem de motu in ſummo riſu dicere, namque in minimo aberit apparens hic crurium & brachiorum motus, ſicut & ille totius corporis, & capitis totius. Aberit etiam adeo excellens reſpiratio, veruntamen neceſſario inſignis, & magna apparebit, tum etiam & faciei motus, ſed multo remiſſiores aderunt, in mediocri vero intentiores, ac reſpiratio maior, & aliquapiam totius corporis, & capitis, brachiorum, & crurium motatio, geſtitioque. COS. Recte

Apuleius.

Brachiorũ motus in riſu qualis.

Crurum motus in riſu qualis.

ctè ſane, nam riſus ſeu motus, qui in eo cernuntur, cum ſingulorum graduum, quos habent indicibili, inenarrabiliue latitudine conſiderandi ſunt. Pol. Ex prædictis de quiete coniicere poſſumus. ea quidem dum quis maxime ridet nulla in toto reperitur corpore, neque in toto capite, neque in brachiis, cruribusue, neque adeo in ipſo thorace, etiam ſi vel parum quis rideat, at vero, quod eſt obſeruatione digniſſimum, partium faciei ille motus quamuis maximus ocyſſimè, ac fermè momento fit deſinitque, hoc eſt ridentis eam figuram homo ſtatim nanciſcitur in eaque dum ridet continenter quieſcit, quæque ſicut aduenit itidem extemplo cum quis à riſu, quamuis ſummo ceſſat, euaneſcit, vt neceſſe non ſit ſenſim eam deficere. & hæc quidem fere dixerim quod ſpectat ad motum ſimpliciter, nam quod ordinatos ad motus actionesque, has omnes ferme prorſus præpediri corrumpiq; in ſummo præſertim riſu conſtat, vt homo, ne ſingulas eius perſequar actiones, ſui impos, tum euadere videatur. Cos. intelligo, ſed in figuram ridentis irrepſiſti. Pol. Merito, nam hæc motum, qui in riſu fit, conſequitur; eſt itaque in riſu os clauſum, magis quam apertum, hoc eſt hiſcens, haud dehiſcens, maxilla inferior introrſus quodam-

Quanam ſit quies in riſu.

Figura ridētis quæ.

modo vergit, labra diſtenta, atq; ita contracta ſunt, vt dentes ex eo Gelaſini appellati denudentur, malæ item contractæ quodquo modo corrugantur, circaque os concauum quoddam efficiunt, aut quandam, ceu valleculam, vt deſcribatur, præcipue ad nares, atque ad menti regionem linea quaſi circularis, Peripheriam Gręci dicunt, quæ ſui quaſi concauo ambiat partem vtriuſque maxillæ anteriorem, quæ Ariſtoteli γενεὸν, Latinis buccæ, nobis il ceſto, vernaculo ſermone dicitur, ſui autem conuexo, vt terminet, ſeu attingat partem vtriuſque maxillæ poſteriorem, quæ Ariſtoteli γένυν, Latinis proprie forſitan mala dicitur, quæq; vtrinque præcipue in riſu tanquam collis quidam ſeſe effert. Hanc oris & malarum figurã ſimul cum iis ridentis in facie rugis γελάσινον, vocant, de qua Martialis:

Gelaſinus quid.

Nec cibus ipſe iuuat morſu fraudatus aceti,
Nec grata (inquit) *eſt facies cui Gelaſin⁹ abeſt.*

Quanquam in aliquibus deformitatem afferre videtur, vt ſignificat forte Catullus, ſic puellam acmen demonſtrans:

Quæ ſit (inquit) *quæritis illa quam videtis*
Turpe incedere myrmicè, & moleſtè
Ridentem catuli ore Gallicani.

Eadem figurá, eodemq; oris habitu, cum ferme nunquam non eſſet Democritus Gelaſini

laſini cognomen inuenit, at vero haud ex hoc quidem nomen ſortitus eſt Gelaſimus Paraſitus apud Plautum, ſed propterea quod ridiculus foret, ſeu quod ridiculis ſuis ſuum frequenter obtineret regem, dicitur inſuper huiuſmodi figura ſeu oris, dentiumque habitus, rictus, vt ridentem ringere dicant equorum inſtar canumue cum ad pugnam ſe accingunt, cumque diducto ore exertisque dentibus inimico interminantur, vel cum Domino blandiuntur, quod & Catullus loco proxime à nobis allato indicauit. idem ferme fieri non raro ab aſellis videmus, qui os cœlum verſus attollentes, quaſi ipſum inſpectaturi ringunt, quod exiſtimarim oſcitationem, pandiculationemve quãdam eſſe. adeſt huiuſmodi quædam alia pene figura in riſu, cum aliquem homines derident, oreque diſtorto ab occipitio fit, labris contractis, ac interiorum dentium oſtentatione, vt interpretatur Hieronymus. Sannam ex Perſio & ſubſannare dicunt. Cæterum ad veram genuinamque in riſu figuram redeo, hæc admodum varia eſt, pro varia hominum in faciei partibus ſubſtantiæ conſtitutione, vt inenarrabilis ferme ſit, quibusdam enim in mento, inq; malis tunc fieri videas, concaua quædam inſtar eorum, quæ in vaſculis quibuſdam ſunt, ac in manibus, aliisq;

Rictus & ringere.

Aſelli cur ringant.

Sanna & ſubſannare quid.

isque membris rebuſque, Cotylidonas Græci dicunt, Latini acetabula, ſiue acceptabula, quoniam ad accipiendum apta ſint vertere valent, fiunt autem hæc in facie ridentis: quoniam nonnullis faciei partes forte ob inæqualem texturam, conſtitutionemve æqualiter non contrahuntur, neque turgeſcunt, ſciendum eſt enim (quod ſpectat ad magnitudinem, ridentis faciem non nihil intumeſcere, nam & oculi turgiduli in riſu apparent, atque itidem genæ in quibus palpebræ ſunt quæque proportione reſpondent ſubſtantiæ illi rubeæ, quæ gallis gallinaceis circa oculos eſt, tument, atq; extuberant, venæ item frontis, oculorum, temporum, atque colli, quod & ipſum turgeſcit, manifeſtæ turgidæque fiunt, ſicut etiam arteriæ: quæue Ariſtoteli venæ Aortæ rami, quæ etiam inſigniter, quod fueram pene dicere oblitus, præter modum tunc mouentur, inſuetusque pulſus tangenti apparet. At de faciei figura in riſu inſuper dicamus. nares patentiores, curuę, aduncæ, corrugatę, criſpantesq; ſunt, palpebræ oculum, qui aliquantum intra orbitam reconditus eſt, mediocriter claudunt, quadam cum circa eius angulum externum corrugatione, frons denique exporrecta explicataque videtur, atque hæc ſingula magis in dextris, vt os, ipſaque facies depra-

Ridentis faciem intumeſcere.

Ridentis inſuetus pulſus.

Facies in riſu cur diſtorta.

prauata diſtortaq; ſit denteſque præſertim in deriſu falcati Plautinè dicantur. De figura vero, ſeu potius de ſtatu, habituque totius corporis, & capitis ac brachiorum, crurium-que in riſu latiſſimo nil propemodum dicam quando omnia incompoſita, inordinataq; ſunt, totumque corpus præter ipſam videlicet faciem remiſſum (cum Ariſto. loquar) relaxatumq; eſt, ſuisq; compagib. quaſi diſſolutũ diſſutũq;, vt diffluere videatur, cogãturq; etiam homines, tum animi ſui, vti dicebam, impotes corruere, paſſimque, & vbicunque ſtrati iacere. COS. Optimè hæc quidem tanquam digito demonſtraſti. POL. Quoniam vero de magnitudine in collo, atque in facie ridentis acuta modo dicebam, nec aliquid hac de re vlterius in reliquo corpore obſeruare valeo, de numero denique audias. dicam autem quę res, ſeu ſubſtantiæ in ridente exoriri ſoleant. In primis frequenter animaduerti inter ridendum lacrymas, & eas quidem calidiores, quam in fletu, vt hoc prę-uertar, effundi; ſolet etiam ex facie tunc manare ſudor, præcipue vero ex fronte copioſiusque riſum conſequi. COS. Numquid aliud apparet? POL. An expectas dum enarrem quoſdam in ſummo riſu meiiſſe, vnde dicterium fluxit apud noſtrates, ſcompiſciarſe delle riſa, aliosque tetra viſu, audituq;

Dentes fal cati.

Figura totius corporis in riſu.

Quæ res in facie ridentis exoriantur.

Sudor in riſu.

feciſſe? COS. Haud ita delicatæ ſunt philoſophorum aures, vt de hiſce ſermonem ſtomachentur, in omnibus enim (quod ex Heraclito Ariſtoteles ait) naturæ numen honeſtum pulchrumque ineſt ingenium. POL. Recte conſulis, iamque de communibus in riſu ſenſibilibus, de numero ſcilicet de magnitudine, de figura, de quiete, ac de motu ſatis videor loquutus, ad ſenſibilia denique propria deuenio. COS. Tanquam pictor, vt cum Ariſtotele loquar, vbi primum lineamentis ridentem effinxiſti, mox vario illinis colore, ac perficis, ipſam naturam in generatione animalis imitatus. POL. Tuo iſtuc munere euenit, cumque nouerim te à me non petere, vt explicem, quot hæc ſenſibilia ſint, & quomodo aliter à ſenſu communi atque à ſenſibus externis cognoſcantur, operam compendii faciam. Primum autem, ſi quis ex me quæreret, quemnam odorem, aut quemnam ſaporem, dum aliquis ridet percipiam, riſu quidem proſequenda foret interrogatio. COS. Prorſus. POL. A colore itaque incipiens in riſu præſertim ſummo de quo eſt hic ſermo, conſpicio ruborem quendam magis aut minus æqualiter, aut inæqualiter, in totam faciem pro varia hominum natura, cutiſque conſtitutione diffuſum,

Senſibilia propria.

Robur in facie ridentis.

ſum, proin quod in Æthiopibus ita non ſit, per accidens euenit. Præſertim vero genæ, quæ circa oculum ſunt, quemadmodum aliquibus, vt ceritis (Plautinc loquar) laruatisque menſtruumque habentibus, virent, liuidiue ac fœdi coloris ſunt, ſic in effuſiſſimo eo riſu rubore quodam inſigni ſuffunduntur.

Apparent etiam faciei venæ de quibus ſupra dicebam, ſuo quopiam ſubcæruleo colore viſendæ. Præterea oculi peculiariter tunc viſuntur ſplendiduli, roſciduliqu e, ſeu ſcintillantes, vt mira cum venuſtate, ac lepore, tum colore quodam rutilo fulgurare, & ſuauiter ardere videantur, quin etiam in ipſammet viuidam faciem redundat quadam cum dignitate, feſtiuitateque ac dulcedine claritas, nitor, lumenque incredibile: percipio porro in riſu, vel mediocri, ſonitum quendam, vt videtur, ex reſpiratione, qualem exaudimus, cum cito, crebroque, ac valde follium opera vtimur. Cos. Attigiſti cauſam, verum hæc præludia ſunt. Pol. Et inſuper (quod etiam notauit Ariſtoteles) animaduerto, qui vel mediocriter ridet, quamuis difficulter loquatur, attamen, ſi id contingat, vocem quodam veluti cum murmure grauiorem edere, atque in fletu eueniat. Ad hæc vero in Risv latiſſi-

Oculorũ ſplendor in riſu.

Qualis ſonitus in riſu.

Cachinnus quid.

tiſſimo, quando ne vix quidem ridens loqui valet, quædam tamen vox mittitur, quæ difficile verbis demonſtrari poteſt. eſt autem repetita ſæpe ac itidem ingeminata tremulaque vox, cachinnus, & cachinnare dicitur, de qua Perſius inquit:

Ingeminant tremulos naſo criſpante cachinnos.

Et Lucretius de rerum principiis contra Anaxagoram loquens, ait:

Fiet vti riſu tremulo concuſſa cachinnent.

Aſſimilis aliquando ea vox mihi videbatur, quarundam coturnicum vocis, quas noſtrates appellant, le quaglie, earumque vocem Gręci, κακκαβίζειν dicunt, quo & Naſoni Poëtæ, caciare, & quidem id ſonare videtur καγχάζειν. ſic Græcis cachinnare, cæterum doctius Catullus cachinnos (plures autem in riſu ferme ſemper ſunt, ex quo in plurium numero nobis vernaculo ſermone, le riſa, dicuntur) oſtendit, cum de maris Vndis loquens ait:

Quæ tarde primum clementi flamine pulſæ
Procedunt, leuiterq; ſonant clangore cachinni.

Is nimirum ſonus, qui ex vndarum repercuſſione, refractioneue ad littus excitatur, iſtiuſmodi etiam fit inter ebulliendum, cum feruens liquor bullas, ampullasq; emittit,

tit, cachinnum item Plautus indicat, cum inquit:

Matronæ tacite ſpectent, tacite rideant.
Canora hic voce ſua tinnire temperent.

Hoc eſt ne cachinnent, neue altius confabulentur. Cos. Libenter te audio. Pol. Tangenti porro ridentium, vtcunque faciei partes, eæ, nedum ex contractione, vti ſuperius dicebam, duriuſculę rigidulæque apparent, ſed etiam blanditie, ſuauitateque quadam calidiores, pro varia eorum natura ætateque, præterea quod animanduertit Ariſtoteles, expiratus aër opponenti manum calidior, ac in flentibus viſus eſt, atque adeo in facie inque expirato aëre inſignem percipiunt calorem, vt putarim, ex hoc riſum Græcis nomen reperiſſe. γέλως enim dicitur, vt meminit Cęlius Rhodigin⁹ ab ἕλη quę vox caliditatē indicat, quare Hom. γέλωτα ἄσβεστον dixit, hoc eſt inextinguibilem, epitheton ignis, totum vero corpus præter faciem, ſicut non durum, ſed relaxatum, ita minus calidum obſeruant, præcipue inferioribus in membris. & hæc quidem ſunt, quæ in riſu illo ſummo animaduertere potui, nam in mediocri perparuoque, aut aliqua deerunt, ut cachinnus, aut multò erunt remiſſoria, vt color ille rubeus flammeusq;. & calor prędictus. Cos. Satisfeciſti, teq; arbitror perparua

Facies ridentis calida, & rigidula.

Aër expiratus in riſu calidus.

Riſus Etymon.

ſugiſſe adeo recta methodo omnia ſigillatim venatus es, nunc vero priuſquam domum ingrediamur viciſſim Philandro operam demus. PH. Omnia equidem optime percepi, quæ examuſſim de riſu ſecundum naturam à Polit. enarrata ſunt, neq; enim, quin animum aduerterem de riſu Sardonio conſideratio impedimento fuit, quoniam de eo loquuturus in hanc deueni ſententiam, nullam pene eius hiſtoriam me ſcribere poſſe, quandoquidem huiuſmodi riſum nunquam vidi, neq; adeo videre cupio, verum ſi in ratione, cum ſenſus experientiaq; deeſt, acquieſcendũ eſt, aſſererem riſum hũc propter naturam ab eo, qui ſecundum naturã in omnib. diſcrepare, præterquam in contractione partium faciei ꝙ ex oppoſitorũ contrariorũq; ratione conſtat, hæc etenim ſunt quæ ſub eodem genere maxime inter ſeſe diſtant. Itaq; in ſardonio riſu nullus motus partium corporis præter contractionem, quę maxime eſt in facie, cui nullus rubor, oculi vero triſtes, & exangues, tenebricoſiq;, quamuis faciei oculorumq; quidã rubor, ac tumor fortaſſe præcedat, nullus inſuper ſonitus, neq; vox, neq; adeo reſpiratio, nullusq; ferme calor aderit, ac deniq; omnia deerunt præter quandã in facie figurã haud omnino aſſimilem eius, quæ in riſu ſecundum naturam inſpicitur. COS. Ita rationi cõſonum eſt, quam tu Dialecticã;

Hiſtoria riſus proprie Sardonij.

demon-

demonſtratiua infra afferenda eſt, at tu quidem nimium breuis fuiſti, neq; tamen laborē effugies, namq; tibi dicendum eſt, ſi libet, de riſu ſecundum naturam, quem prouerbio ſardoniū vocant, quando hæc pars videtur à Pol. prætermiſſa. Ph. At vero hic riſus in eo, de quo Pol. loquutus eſt, continetur, verum quoddam eſt diſcrimen, neq; n. quæ ipſe enarrauit exquiſite ad vnguem ve in hoc apparēt, adeſſe quidem poteſt motus ferme idē partium corporis tum illa pene figura, & rubor faciei, tum etiā cachinnus, aliaq; huiuſmodi; nūquā vero in oculis rutilus ille color, vtq; vno verbo dicam, hilaritas ineſt, ſicut in eo riſu de quo Pol. ſermonē habuit, quin etiam ſemper fere triſtitia quędā in eius vtpote cordis feneſtris tunc viſitur id ꝙ ſignificauit Hom. Ili. O. dicens de ſardonio Iunonis riſu, vt Parœmiarū ſcriptor melius interpretatur.

——————— ἡ δ', ἐγέλασσε,
Χείλεσιν, οὐδὲ μέτωπον, ἐπ' ὀφρύσι κυανέῃσι
Ἰάνθη ——— ideſt, vt idem ſcriptor vertit:
Illa quidem labiis ridebat, nubila porro
Frons minime renitebat. Frontem pro oculis & aſpectu, vultuq; accipit, eamq; nubilam, minime ſcilicet hilarem affirmat, dicuntur etiam qui ſardonicè rident, Flacco (vt puto) malis alienis ridere, h. e. haud ex animo, ſed amarulento quodam riſu, cum præ ſe *Malis alienis ridere.*

volu-

voluptatem, lætitiamque ferre quis ſtudet, intus autem, aut ira, aut moleſtia, aut inuidia premitur, ac rumpitur; quam ob rem adagium, quod mali ominis eſt, vt inquit Dioſcorid. in vulgus fluxit, quod Dæmenetus ſenex apud Plaut. indicat, Argyrippo n. filio cupienti ei ſignificare, ſe non ægre ferre, quod viderit eum, quam ipſe deperibat amicam amplexari, dicentique, hem aſpecta rideo. Reſpondit, vtinam male qui mihi volunt ſic rideant; quaſi ex eius vultu apertè dignoſceret, non verum, ſed adulterinum quẽdam riſum illum eſſe, ſiquidem quod Poëta Tibullus ait:

Riſus Sardonius difficilis eſt.

Difficile eſt triſti fingere mente iocum.
Nec bene mendaci riſus componitur ore.

Verum adhuc magis Sardonius riſus eſt, cum nedum haud ſerena frons eſt, ſed etiam cum reſtrictis dentibus labia ſolum diducuntur; vnde Plautinus ille paraſitus conquerens, quod nemini riſum excutere potuiſſet, etiamſi dixiſſet, dictum de melioribus dictis, quibus ſolebat menſtruales cœnas adipiſcier, inquit;

Ne canem quidem irritatam voluit quiſquam imitarier.
Saltem ſi non arriderent, dentes, vt reſtringerent.

Et hæc quidem de riſu Sardonio ſatis mihi ſunt.

hi ſunt. cauſas vero de te audiemus. COS. In his, vt vobis ſatisfaciam, meam operam omnem ponam, & conferam, ſed iam domum introeamus, vt in viridario ſub vite illa quidem vinifera, fœcundaque molliter conſedentes dum extruitur, apponiturq; menſa de riſu pręter naturam, ſeu Sardonio proprie appellato pactis legibus diſſeramus, ſcilicet, vt clam vulgus hunc diem, aliosque, ſi vſu veniet, vt cùm Plauti Menæchmo loquar, ſimul comburamus. PH. Res iam in eum rediit locum, vt ſit neceſſe, nos tibi omnino obſequi. COS. Iam ergo dicere ingrediamur, ac primum omnium ſtatuamus contractionem partium faciei in riſu hoc præter naturam σπασμὸν Græcis, Latinis vero conuulſionem nuncupari poſſe, quæ quatenus deprauata cuiuſpiam membri eſt figura, morbus, qui νόσος Græcis, quatenus vero prauus & muſculorum motus accidens, quod Gręcis ſymptoma, aut quod potius dixerim, affectio, quæ & πάθημα ſit. PH. Ita eſt, perge. COS. Nobis deinde ex Hippocrate occurrit, conuulſionem fieri, aut ex repletione aut ex euacuatione. PH. Antequam ad alia pergas, bonum erit factu, hanc Hippocratis ſententiam, vt explices. COS. Res hæc optime exemplis illuſtratur, etenim anne vnquam vidiſti funes tempore pluuio, locis-

Cauſas riſus proprie Sardonij rimatur.

Conuulſionis cauſa ex Hippocrate.

locisvе humidis breuiores fieri. PH. Compertum id quidem mihi eſt. COS. Hoc profectò nullam aliam ob cauſam euenit, niſi, quod contracti cõuulſiq; ſunt; nemo.n.eos abſcidit. PH. Ita eſt. Cos. Tunc eam conuulſionem dicimus ex repletione fieri. PH. Quonam modo? COS. Repletur quidem funis aëre in humorem conuerſo, ex quo craſſeſcit, vt ſit neceſſe, quantum de craſſitudine, profunditateq; acquirit, tantundem longitudinis deperdat ac breuior euadat. PH. Percepi, & fateor. Cos. Eundem funem aliàs ponas tempore æſtiuo, æſtuoſoq; loco, itidem contractum, conuulſumq; cernere erit. POL. Ita eſt, & hoc ipſum accidit fidiũ chordis, ſeu neruis, hi n. à peritis cum ſonare deſiſtunt, niſi relaxẽtur, remittanturq; tempore, aut pluuio, aut ęſtuoſo ita contrahuntur ac intenduntur, vt abrũpantur, lori etiam, ſeu coria, membranęq; piliq; corneaq; aliaq; permulta ignis calore cõtorquentur, proprieq; contrahi dicuntur, idemq; etiam pati humore imbuta veriſimile eſt. COS. Euge pellepide Politiane ab exẽplo ad inductionẽ. POL. De te quidem hoc iam didici. COS. Propter calorem contractio ex euacuatione cõtingit. PH Amabo planius dicas. Cos Euacuationis, ſeu exinanit. nomine intelligit Hipp. exiccationẽ, humoris pręcipue, vt aiunt, radicalis, hæc n. proprie rerũ dici-

dicitur exiccatio, quæ, ꝙ hui' eſt loci, elemẽtarii humoris, & aërei pręſertim, in quo radicale, vt alias dicemus, neceſſario reſidet, exiccationẽ ſupponit, vbi n. elemẽtarius humor, adeo calore abſumitur, vt natura humoris radicalis exiccationem perſentiſcat, tunc ipſum ſimul cũ re cui' eſt retrahit, cõtrahitq́; , quod ἀντιπερίστασιν Gr. vocant, latine q̃dam vertunt contrareſiſtentiam, alii circũobſiſtẽtiam, dici etiam poteſt contrarii coactio, eſt n. retractio ſeu fuga vnius contrarii infirmioris, propter alterius validioris præſentiã. *Antiperiſtaſis.*
PH Intelligo equidem, nam plura in gymnaſiis de antiperiſtaſi nuper accepi. COS. Quod de calore dicebam, dicendum eſt de quacunque qualitate, vtcunque humido cuiuſque rei aduerſa, infeſtaq; PH. Id quidẽ patet COS. Reſtat, vt diſpiciamus, vtrum ex euacuatione an repletione fiat ſardonia illa, cum in facie, tum forſitan & reliquo in corpore contractio. arbitror ego eam fieri ex muſculorum faciei eorumq; principii euacuatione; quam ea venena à neruis muſculiſvę percepta efficiant. PH. Sed num ex repletione hęc contractio fieri poteſt? COS. Id minus veriſimile eſt, tenuis n. veneni particula, vt in morſu aranei illius ſufficere nõ videtur ad faciei muſculos replẽdos, eorũq́; principia, pręſertim cum ex diſtantiori corporis parte ad faciem vſq; ſeſe inſi-

inſinuare debeat; niſi forte quis dicat, rapi, cieriqùe eo veneno ad faciei muſculos, humores, quib. illi oppleti contrahantur, contrahantque cum tumore ruborem illum, cuius ex Paulo Ægineta memineras. PH. Satis aperte videris explicaſſe, quo pacto ea in facie contractio ex herba Sardonia fiat, an vero ita ſeſe habeat Sardonius riſus ex herba illa Pliniana, ac ex croci tribus drachmis, tum etiam in his, qui in lebete aquæ feruentis, in igneue ponuntur, perſpicere attendo. COS. Illud aduertas, haud omnino mihi compertum eſſe riſum ex eorum animalium morſu fieri ex euacuatione, atq; prorſus præter naturam, neq; etiam de eorum riſu, qui in igne, aquave feruenti intereunt, id ipſum pro certo affirmarim. is enim ex euacuatione ſeu exiccatione muſculorum faciei fieri poſſe videtur, tum ex repletione, vt infra dicam, agens de riſu ſecundum naturam, riſus vero ille ex croci potione, vt arbitror, Sardonius non eſt, crocus enim tantum abeſt, vt vim maleficam habeat, vt potius mirum in modum, vel annulo ſuppoſitus, digitoue annulari perfricatus cordi ipſum hilarans conducat, at vero de huiuſcemodi rebus iudicare difficile admodum eſt, cum eas plane experiri ſit nefas; de Gelotophyllida vero herba, de qua meminit Plinius, viderint alii,

Robur & tumor in Sardonio riſu ex Paulo Ægineta.

Riſus ex morſu Phalangii & combuſtorum ex euacuatione vel potius ex repletione inceptum eſſe.

Riſus ex croci potione.

fortaſſe enim magicum eſt mendacium, quaſi de herbis, quæ nuſquam ſunt, vt de Happalopſide quapiam me dicturum exiſtimes, noſtin Plautini coqui nugas? PH. Noui, ſed planius velim explices, quomodo his qui in aqua feruenti intereunt faciei muſculi ſiccentur, & contrahantur. COS. Æſtus, ſiue nimius ille calor aduerſus infeſtusque naturæ, ſeu dicere mauis, humido radicali, ſeu ſpiritui eum refugere cogit, ad penitiorē, ac tutiorem, principemque locum ſedemue, à quo item ſpiritu, firmiter membris affixo, ægreque ab his diſcedente contrahuntur muſculi faciei, cum per ſe, tum ob aliorum membrorum conſenſum, ſympathiam Græci dicunt, qua de, deque ſpiritu, aliquando plura dicemus. PH. Aliquantum equidem hanc demōſtrationem percepi: at quid dices de riſu illius, cui traiecta fuêre præcordia? COS. Potius exiſtimo ſardonium eſſe, præcordia enim ſeu ſeptum tranſuerſum, quod Diaphragma Græci dicunt, quo de, dudum dicebat Politianus, eſt pars ob conſenſum, quem habet cum corde ac cerebro, aliiſque principibus membris inſignis cum primis ac nobilis, vt ex neruis, venis atque arteriis ad ipſam pertinentibus conſtat, vnde φρένες antiquis Philoſophis, Hippocrati (inquam) Platoni & Ariſtoteli appellata eſt, hoc eſt,

mens, quaſi eam mens teneat, cum eius inflammatio homines delirantes (phreneticos dicunt) cito concinnet, hæc igitur pars eo vulnere accepto, non mirum eſt, ſi ſemet contrahens, contrahi, ſiue ad ſe retrahi ex ſympathia cogat; ſimul cum aliis faciei muſculos, vt riſus præ ſe ſpeciem ferant. PH. Mihi quidem ſatisfacis. COS. At vide, ſi rei ipſi ſatisfecerimus. PH. Quonam pacto? COS. Vide inquam, an riſus ſardonius aliqua cauſa fieri poſſit, quæ corporaliter, ac, vt dicunt, ſubiectiue, vt quæ dicebamus, in corpus non ſe inſinuet, ſed immaterialiter ac obiectiue, vt dicunt, in ſenſus perſuadat. PH. Hoc ſtatim videre nequeo. COS. Spiritus, ſiue humidum radicale quo cognoſcimus, repente percipiẽs obiectum aliquod ſpectrumque triſte, malumq;, anne ſubito eius aſpectum reformidabit, atq; refugiet? ac in intimam ſui arcem totus ferme ſe recipiet? PH. Maxime. COS. Contrahet igitur membra, & præſertim faciei muſculos, ac partes, quibus viſum ſpectrumue illud maxime in animos, ſpiritusq; noſtros irrumpit. PH. Profecto. COS. Hinc etiam rationem perſpicere forſitan poteris, cur ille de Ariſtomede teſtudo factus apud Apuleium ſenſerit, quoſdam effectus naturaliter, vt ait, in contrarium prouenire, nam, vt lacrymæ ſæpicule

Ex repentino timore riſus.

culede gaudio prodeunt;ita & ipſe in illo nimio pauore riſum nequit continere. Ph. Memini ſane, & rationem accipio. Cos. Id ipſum fere eueniſſe putarim procis apud Homerum, qui in Od. Υ. inquit:

——— Μνηστῆρσι δὲ παλλὰς ἀθήνη
Ἄσβεστον γέλον ὦρσε παρέπλαγεν ἀλλότριοισιν,
Αἱμοβόροι τάδ' ἐτὰ κρέα ἤσθιον, ὄσσε δ' ἀρὰ σφέων
Δακρυόφιν πίμπλαντο, γόον δ' ὤιετο θυμός.

Latine, ſi bene memini, ſic vertit ſcriptor Parœmiarum celebris:

——— Diua procis validum Tritonia riſum,
Haud compeſcendum, ac animum ſtupefecit, at illi
Iam malis ſine mente quidem riſere alienis.
Carnis fruſta, & cruda, & ſanguinolēta vorātes.
Interea lacbrimis implentur lumina, fletum
Senſit & ipſe animus.

Sequutæ ſunt autem lachrymæ, quoniam refugit, abſceſſitque aliquantum ab oculis ſpiritus, & humidum radicale, quo humores ac elementa in vnum coeunt, coguntur-que corpus, quod ne diffluat, & diſſoluatur, ab eo coercetur, contineturque, vt alias fortaſſe dicam. Ph. Auide vſque expectabo, nam hæc mihi ſomnia haud eburnea porta emiſſa videntur. Cos. Nunc vero ad menſam propter gelidū illum, muſcoſumq; fontē accūbamus, vbi noſmet ipſos reficiam

eius ſtrepitu, crepituque, auiumque cantu, dulcibus alloquiis, ac in primis optimo cibo, laticumq; honore. Pol. Recte conſulis, etenim narratur & priſci Catonis

Sape mero caluiſſe virtus.

Bacchus enim addocet artes, illumq; docentem in remotis rupibus, ſe vidiſſe dicit ipſe Flaccus:

Nymphasq; diſcentes & aureis
Capripedum Satyrorum acutas.

Libri primi de riſu, autore Laurentino Politiano, finis.

An-

ANTONII LAVRENTINI POLITIANI, *de riſu liber alter.*

COSMVS, POLITIANVS, PHILANDER.

EVITEMVS amici ſomnum meridianum, Deus noſtris aſpiret cæptis, operam date. POL. Animum aduertimus. COS. Omnium primum error quorundam recentiorum ſe nobis offert, qui valde impedimento eſſet, quo minus veritatis compotes eſſe poſſemus. Tripertitam diuiſionem riſus qui ſecundum naturam eſt, moliũtur, vt quidam proprie, alius improprie, ali⁹ vero quadam ſimilitudine ſit, vt qui fit ex titillatu. POL. Ita quidē ipſi. COS. At vero erratum eſt per ſe conſpicuum, apertumque, vt enim probe enarraſti, riſum, qui ſecundum naturam ſemper eædem conditiones, ſeu proprietates comitantur, eundemque ſemper ſenſu percipimus, quamobrem vnus duntaxat eſt, fruſtraque, falſoque eam diuiſionem faciunt. POL. Ni fallor,

Error recẽtiorum qui multiplicem riſum conſtituunt.

eam faciunt ob varias eius cauſas. Cos. Hallucinantur, ſi enim vnus idemque ſemper eſt affectus, vnam eandemque cauſam habeat, eſt neceſſe. Pol. Patet. Cos. Poſt hæc dicendum, contractionem, quæ in riſu ſecundum naturam eſt, fieri, aut ex repletione, aut ex euacuatione, ſcilicet, aut vtraq; de cauſa, alio tamen, atque alio tempore, aut ex altera tantum. Ph. Quo pacto hanc ſuppoſitionem iacis? Cos. Hippocratem ſequor, nã conuulſio de qua agit, contractio quædam eſt, ii enim motum attendas, idem ſpecie eſt in contractione præter, ac ſecundum naturam, nam eoſdem terminos habent, præſertim in facie, vnde vtraq; riſus appellatur. omitto, quod generatim malum, & quod præter naturam ſimile neceſſario eſt eius, quod ſecundum naturam, & bonum oppoſitũ eſt, imo idem genere ſunt, vt Ariſt. docuit. Quapropter, quod Hipp. de conuulſione dicebat, non erit præter rem videre, an in contractione ſecundum naturam verum ſit, præſertim, cum ipſius nullam aliã cauſam inuenire quis poſſit, at vero eo magis nos decet Hipp. dictũ vſurpare, quod contractio faciei in riſu de quo loquimur, accedit ad conuulſionem, atque prorſus ſecundum naturam non eſt, vt infra dicemus. Pol. Verum principiũ poſuiſti, perge porro. Cos. Arbitror equidem cõtra-

tractionem muſculorum faciei in hoc riſu haud ex euacuatione fieri, cum etenim, quod ex Hippo. patet, duo noſtro in corpore ſint contenta, ſiue humores, atq; impetum facientia, ſiue ſpiritus Græcis πνεῦμα dictus, qui nobis modo non indicat anhelitum, aërem, nec flatum, ventumque, neq; ſubſtantias incorporeas, ſed quoddam horũ ſimile, in quo vires, naturaque conſiſtit, hoc in riſu ſecundum naturam exinaniri muſculos faciei veriſimile non eſt, cum nil aduerſum, infeſtumq; in huiuſmodi riſu ſpiritibus obiiciatur, quo, vt in metu accidit, refugere illi cogantur. Ph. Ita eſt. Cos Eoq; minus humores in hoc riſu exhauriuntur; nam id non adeo repente fieri poteſt, vt in riſu contractio, quæ extemplo aduenit, abſceditq;. Pol. Profecto, ac iam liquet eam contractionem ex euacuatione non fieri. Cos. Eſt igitur ex repletione. Pol. Sine dubio ſed illud quęro, vtrũ muſculi ipſi faciei, an eorum principia impleantur. Cos. Nil vetat eorũ principium, vel remotũ impleri. At de partib. faciei muſculisq; compertum eſt, nam, vt obſeruaſti, & ipſi eorũq; venæ in riſu turgeſcunt, ſed hoc ex dicendis fiet vſq; apertius. Pol. Satis nunc quidẽ manifeſtũ eſt. Cos. Videamus modo quo, & quomodo impleantur, cumq; nulla re extranea, aduentitiaque eas partes in riſu

In riſu faciem non exinaniri.

ſecundum naturam repleri clarius ſit, quam, quod demonſtrari debeat, ſequitur eas, aut humores, aut ſpiritus imbibere, at non humores, quoniam hi tumores afferunt præter naturam, atque ipſam inſignitè lædunt, violantque, vt vel minus, vel deprauate, agat, quod in riſu non adeo videre licet. accedit, quod craſſiores ſunt, quam quod ſubito imbibi, exinaniriue, vt in riſu opus eſt, poſſint. Pol. Id quidem patet. Cos. Reſtat igitur vt ſpiritibus imbuantur, repleanturque conſimili ratione, ac pars quædam faciei directo oppoſita ſpiritibus item impletur, ac intumeſcit, vt dureſcat, & extendatur, erigaturq;. Pol. Intelligo pulchram quidem analogiam, ſed quid prohibet nomine ſuo membrum illud appellare? nil enim obſcœnum, nil turpe dictu, vel apud Stoicos eſt. Ph. At vero nulla in eo contractio, immo extenſio magna, & quidem ſecundum omnem dimenſionem. Cos. Id ex eius valde ſpongioſa, laxaque carne fit, qualis in facie adeo non eſt: accedit, quod admodum liber eſt, cum muſculi faciei vtrinque, & vbique firmiſſime oſſi, cutique adhæreant, vt cum extendi ſecundum omnem dimenſionem haudquaquam poſſint, contrahantur. Ph. Recte quidem rem hanc explanaſti, ſed cum membrum illud flatu impleri poſſit, num &

Faciei partes in riſu ſpiritibus implētur.

in

in facie id vnquam eueniet? Cos. Propter faciem non ſunt humores, ex quibus vapores flatusque efferri poſſint, ſicut iuxta membrum illud, quod ad inferiorem abdominis partem pertinet, vbi corporis eſt cloaca, & excrementorum colluuies, atque vbi exiſtit quod Ariſt. ἐπιγεῖον dicitur, Perſio vero aqualiculus. Ph. Satisfeciſti. Cos. Repletio igitur ſpirituũ in facie ridentis cauſa eſt eius in facie ridentis figuræ, & contractionis, de qua ſupra dictum eſt. At planius dicendum eſt, quo ſpiritu, tunc repleatur facies, vtrum ſcilicet ſpiritu vitali à corde per arterias, an animali è cerebro per neruos, vel potius naturali à iecore per venas fluente, vtrum nimirum vno tantum, vel duobus, vel omnibus. Pol. Quid? nonne quondam de te audiuimus, non tres ſpiritus, ſed vnum tantum eſſe? Cos. Ita eſt, ſed cum de ſpiritu agere hic non ſit locus, præſtat ſententias aliorum ponere, accipereque. Pol. Probe quidem. Cos. Arbitror omnes ſpiritus ad ridentis faciem confluere, præſertim vero vitales, quippe plures, quam animales, & ſubtiliores, fluidioresque naturalibus, quemadmodum euenit ei membro, quod diximus tumenti; concurrunt etiam, & alii, ob conſenſum, ſympathiamque mutuam, qua & vnum putari poſſunt. Pol. Et hoc item recte. Cos. Ve-

Quo ſpiritu in riſu impleatur facies.

rum ſpiritus, vt implere, & contrahere muſculos faciei poſſit, multus, nimiusque primo eſſe debet. POL. Id per ſe ipſum conſtat: COS. Secundo debet eſſe ſubtilis, tenuisq́; vt ſe in muſculos eos penetrare poſſit, quanquam & faciei natura, conſtitutioue mollis, laxa, raraque mirum in modum conſonat. POL. Hoc etiam per ſe patet. COS. Tertio demum valde fluidus, fluxuſque ſit oportet, vt confertim confeſtimque ad faciem moueri poſſit replendam, etenim niſi eo pacto ad faciem proflueret cum eius ſit naturæ, vt continenter, aut refluat, aut effluat, inque auras per cutis, carnisque foraminula euolet, nunquam illam impleret, contraheretue. Quemadmodum Tyberi, vt ſolet, vſque fluente, Anno noſtræ ſalutis M. D. X C I X. pridie Dominicæ Natiuitatis ſanctiſſimum feſtum, horrida ea diluuies Romæ non obtigiſſet, niſi inquam aquarum ea tanta vis lapſu, curſuque viginti quatuor horarum ſpatio profluxiſſet, Nilus etiam alluuie ſua fertilem, fœcundamque haud efficeret Ægyptum, niſi copioſe curſimque aquę de altiſſimis Æthiopiæ montibus delaberentur, niuibus ſcilicet ſole ſolutis, ac diffugientibus. Accepiſti itaque quas conditiones poſtulet ſpiritus, vt riſum efficiat. POL Teneo. COS. Vide an hoc

Tiberii inundatio Romæ an. 1599.

ſolus

ſolus homo ad riſum ſit aptus. Pol. Haud mihi id liquet, amabo planius, ac apertius demonſtres. Cos. Magnum onus mihi imponis, nam tractationem naturæ ſpiritus poſtulare videtur, quæ tamen, vtpote altior, ac difficilior non eſt nunc mihi aſſumenda. quamobrem, niſi plane vobis ſatisfecero, quæſo, vt mihi veniam detis. Pol. Quin potius, vti libet agis. Cos. Attendite igitur quomodo demonſtrem ſpiritus homini plures, ſubtiliores, fluxioresq; quam cæteris animalibus eſſe. Pol. Id ipſum agimus. Cos. Anne ſpiritus ſunt quib. animalium vires, actionesq; referuntur acceptæ? Pol. Vtique. Cos. Animal igitur quodcunq; plures, ac validiores, operationes ſortitus, iiſque citius, agiliusq; fuerit, ei ſpiritus illiuſmodi erunt. Pol. Id quidem conſtat. Cos. Quid tibi ego dicam actiones homini plures, quam cæteris eſſe? Id quidem in potentiis, quibus cognoſcimus eſt manifeſtum, nam intellectum præter cætera habet, qui quanquam per ſe ſpiritu eo non vtitur, illum tamen multumque poſtulat propter ſenſuum interiorum ſibi famulantium excellentiam, in motuum vero varietate, quantum Animalia cætera ſuperet, quemadmodum, & numero muſculorum, neruorum, atque fibrarum, eos obſeruanti per-

perſpicuum erit. Pol. Vtrumque veriſſimum eſſe arbitror, ſcilicet illud de intellectu noſtro, nam ei cogitatiua opus eſt, & hoc demotibus, nanque homo, & motus ferme omnes aliorum ſibi vendicare poſſe videtur; cum ipſe quoſdam habeat, quos habere animalia nequeunt, vt ea eſt inprimis actio, qua natura

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cœlumq́; tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Cos. Homo inſuper viribus, ac robore cæteris anteſtat, ſi ſedulo animaduertas. Pol. Nequeo ſane. nam, quod ſpectat ad ſenſum aquilæ, cum Plinio loquor, clarius cernunt, vultures ſagacius odorantur, liquidius audiunt, talpæ obrutæ terra, tam denſo, atque ſurdo naturæ elemento. Audent porro quidam guſtu ſimiam homini præferre, araneos tactu. Hi enim (vt Plinius ait) cum captura in telam incidit, quam vigilantes, & parati ad curſum ſunt, ea vero quanta voluptate inter manducandum affici videtur? At denique quis eſt, quin cernat, plura animalia eſſe, quæ homini robore ac viribus mouentibus excellant? Cos. Aliquot animalia, vel proportione ad eius corpus, ſuis immotibus homine valentiora, ac firmiora eſſe, haud

haud ex ſpiritu, qui illis multus ſit, accidit, verum ex ſanguinis craſſitudine (vt ait Ariſtoteles) qua velut calor in ferro, & lux craſſo in corpore refrangatur, & colligatur ſpiritus, coactusque magis vigeat, quamuis paucus, magisque conſeruetur, quod ſi homo cum ea multitudine ſpiritus, quam nactus eſt, ſanguinem craſſiorem haberet, multo robuſtior cęteris videretur. Atque item ſi adeo firmiter, vt illa ſuis membris compactus conſtans, durusque foret, ſigno autem multi ſpiritus, & ingentis roboris eſt, quod cum adeo mollis ſit carne tamen erectus ſtare (id quod ego difficilimum duco) valet: extremis vero ſenſibus (nam intimis conſtat hominem cæteris omnibus præſtare) quod extremis (inquam) aliquibus quoquomodo ſuperetur, id haud copiæ ſpiritus in illis tribuendum eſt, ſed vt Ariſtoteles tradit, anguſtiæ porûm, meatuumve, quibus ſpiritus, aut ſpectra in animal influunt. anguſtia enim cogitur tanquam lumen, ſpectrum ſpiritusue, magiſque vigent, atque apparent. prætereo, quod multi in homine ſpiritus ſigno eſt, quod pluribus ſimul in actionibus, quam cætera verſatur, vt in gladiatoribus, Pantomimis, geſticulatoribus, ac circulatoribus præſertim videre eſt, nullum etiam animalium magis in vigilia, actuque vel plurium

ſimul

ſimul facultatum manet ipſo homine, vt patet in philoſophis, cæteriſq; amatoribus, cum tamen homo ſpiritum ſubtiliorem, fluxioremque habeat, qui continenter multum deficiat, exhaleturque. POL. Vt rem hanc aperte, breuiterque complexus es. COS. Prætereo hominem merito magis quam alia ſpiritu abundare, quod calidiſſimi cordis, & amplioris cerebri ſit, & carnis mollioris, illo plurimus ſpiritus gignitur. His genitus magis conſeruatur. omitto & illud ſpiritum copioſiorem propagari in homine ex eius puriſſimo, ac defæcato ſanguine, qui ex optimis cibariis, quibus veſcitur, gignitur, tum etiam ex ſole, Ioueque præclaris ſpirituum largitoribus hominique (vt aſſerunt Aſtrologi) maxime influentibus. Hominem autem ſpiritum ſubtiliſſimum ſortitum fuiſſe, ac (vt ita dicam) minime materialem, conſtat ex intellectus præſtantia, ſenſuumque, ei inſeruientium, qui plurimas ſenſibilium differentias, ſibi cognitas illi repræſentant. hoc ipſum comprobat hominis in ſuis motibus efficacitas, agilitas, ac velocitas, ſuauitaſque mira, præſertim, ſi vt cætera animalia aſſecutus ſit, etenim, & natare valet, & forſitan volare, vt memoratur Dædalus, cum tamen natura ad hæc ineptus ſit.

Quid

Quid referam actiones, & geſticulationes, circulationesque, Hiſtrionum ac Mimarum, & puerorum ſaltationes, ludos gladiatorios & paruæ pilæ, curſus, luctationes, & funambulationes prorſus admirandas?

Hic etiam prætereo maximum in homine ſolis, Iouiſque influxum, copiamque ſubtiliſſimi ſanguinis plurimumque cordis calorem, quæ ſubtilitatis ſpiritus in cauſa ſunt. Pol. Præclare loqueris. Cos. Denique & ſpiritum fluxiorem habere, proprie oſtenditur ex celeritate executionis, atque ex hominis pro affectuum varietate repentina, adeoque cita mutatione, ſpecta modo, vt repente pallet, vt ſubito erubeſcit ſine mora huc, atque illuc maximo curſu, fluente ſpiritu, & hîc relinquo huiuſcemodi ſanguinem, hominisque naturam, cum parum Saturniam, tum valde Mercurialem.

Ex quibus omnibus patet ſolum hominem, ſiquidem ſpiritus plures, ſubtiliores, fluidioresque habet, ad ridendum aptum eſſe, quod infra apertius erit.

Pol. Satisfacis ſane.

Cos. Anne regulam Ariſtotelis topicam tenetis, ſicut ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis, ac maxime ad maxime?

me? POL. Teneo quidem. COS. Per eam ex dictis ſtatuere poteris, quis hominum aptiſſimus ſit ad maximum riſum, citoque crebroq; edendum; is etenim erit, qui ſpirituum copia, tum ſubtilitate, tum etiam fluxibilitate aliis præſtet, isque eſt, qui plurimas actiones, muneraque diutius, validius, ac ſimul obit, in eisq; efficacitatem agilitatemque miram, & excellentiam habet, quique mobiliſſimus omnium ſit, ſummeque inconſtans. ſed planius dicam, eos magis ſpiritu abundare, atque ad riſum maximum, & frequentem, citumque procliuiores eſſe, qui calidiſſimi cordis cum ſint, attamen cerebrum proportione homini congrua, atque excellentem carnis mollitiem habuerint, quibusue magna puriſſimi, dulciſque ſanguinis copia ſit, ii vero ſunt, qui à liene, iecoreque & ventriculo, ac huiuſmodi membris plurimum recteque valent, præſertim vero à liene. Hoc enim viſcus ſi ſanguinem craſſiorem, ac fæculentum valde attrahat, defæcatus ſanguis ille, qui ſpirituum pabulum, eſcaue eſt, reſtat, quare haud iniuria quidem, (quod aiunt) lien ridere facit, vnde Perſius in Satyra, ſum (inquit) petulanti ſplene cachinno, hoc eſt, ob lienis robur, ac petulantiam valde rideo, ſcilicet minimum humoris melancholici, craſſique, ad motumq; inepti

Quis aptior ad riſum ſit.

Lien ridere cur faciat.

epti

cepti habeo, ſed humores habeo optimos, ſubtiliſſimos, ſummeq; fluidos. Dempto autem aut inualido liene humor melancholicus ſuperfluus haud excernitur, ſed per venas in omne corpus peruadit, corrũpitq; ſpirit⁹, eoſq; craſſos & ineptos ad motũ reddit, cũ motũ humorum à quib. vix ægreq; ſciungi poſſunt, ipſi ſequantur, & chamęleon quidem liene carens animal frigidũ eſt, pauciſſimiq; ſpiritus, ſicut etiam teſtudo, cui minimum adeſt. At vero aues eo ipſo fere carentes calidiores ſunt, & ſanguinem ſubtiliorem habent, quod retrimenta humoris melancholici, vt ait Ariſtoteles, in pennas tranſeant, eo igitur hominibus riſus adimitur, fiuntque agelaſti, qualis (vt puto) hoc fuit Craſſus auus Craſſi, qui in Parthis occubuit, quem nunquam riſiſſe meinorat Plinius, Cicero autem, ſemel in vita tantum. quidam addunt, cum vidiſſet aſinum carduos comedentem, dixiſſetque, ſimiles habent labra lactucas. hoc etiam arbitror ἀγέλαϛον fuiſſe Philippi Imperatoris filium : Bilioſus autem ſanguis cum tenuis ſit, & paucus, & quoddam velut incitamentum ſtimulusque naturæ non adeo ſpiritui obeſt, ſicut neq; pituitoſus. quoniam ſi dulcis ſit puriſſimum in ſanguinem concoctione vertitur. Hic non me præterit eos, qui ſanguinem craſſiorem, ſuccumue me-

lanconicum multum habent, quamuis tarde raroque rident, attamen ſi id contingat, nullus ridendi illis modus, riſuque pene corruunt: ſpiritus enim denſis, craſſisque in rebus viget magis, magisque apparet, valdeque ſuo motu agitur, cieturque, ſicut de brutis quibuſdam animalibus ſupra dicebam. Pol. Breuiter dicis, & aperte tamen. Cos. Sed quis ignorat optimam congruamque victus rationem in cauſa eſſe optimi, ſubtiliſſimique, ac fluidioris ſanguinis? Pol. Nemo profecto. Cos. In his quæ probum ſanguinem efficiunt, aut in ipſum ſpiritum vertuntur, præcipue numerari debet Crocus, Meliſſa, Bugloſſum, & nobile illud Nepenthes, quod Galenus radicem Oenopiam dicit: Helenæ, vt Plinius refert, ab Ægypti Regina donatum, ſed maxime id ipſum præſtat optimi vini temperatus vſus, quo, vti Zeno Platoque dicunt, ſuccus Melancholicus mollitur eluiturque, vt igne ferrum, aquaue lupini, eoque nomine Poëtis laudatur, ac celebratur Flacco præſertim, vt noſtis. Pol. Nouimus, atque ſi calida temperetur, ſalubrius putat vir optimus Antonius Perſius Muſarum omnium Alumnus; recta quidem ratione, neque ea ſane antiquis ignota, nam quod mihi in mentem venit, & Cornelius Tacitus in Britan-

Cibaria riſum excitantia.

Britannici morte, & Martialis in Sextilianum, de hac ipſa potione meminere. Cos. Inſuper ſpiritibus amplius abundat, qui, vt cum Marone loquar, aura veſcitur Ætherea, illa quidem hominis naturæ congrua, odoribus florum, herbarumque bene olentium, gemmarum cœlorumq; beneficiis, qualitatibus perfuſa, affectaq;, quæ ſingula commemorare longum eſſet. Hæc vero breuiter dicere poſſumus, homines veris & hyemis tempore propter ſanguinis boni ac ſpirituum copiam ad riſum edendum aptiores eſſe, die inſuper, quam nocte, quia tenebræ ſpiritui noxiæ, atque ſumma eſt ſpiritus abundare hominesq; ad riſum eſſe procliuiores illiuſmodi ætate, anno, die, & hora, qua vigeat, & dominetur Iupiter, & Sol, aliaque benigna aſtra, minime vero Saturnus. Pol. Accepi. Cos. Præterea à prandio, cœnave moderata, quemadmodum à ſomno, & corporis exercitatione, Venereque, ſpiritus redundant, atque ad riſum homines aptiores reddunt. Iuuenes item, ac pueri præſertim, qui viuidiore ingenio, ad ridendum aptiores ſunt, quia, vt ait Hippocrates plurimum habent calidi innati, & ſpiritus, viri inſuper, hoc nomine, magis, quam mulieres, quia ſpiritus plures ac ſubtiliores, vtpote calidiores, habent. præterea qui in regionibus

Aëris ſtatus ad riſum inclinans.

temperatis degunt, ab his, qui in frigidis, item indocti, & ἄμυσοι, doctis enim ſpiritus ſubtiliores euaneſcunt, ipſique fiunt melancholici. Qui etiam magno corpore ſunt, ſi in membris ſymmetria ſit ſpiritus plurimos, vt ait Ariſtoteles habent, atque ad riſum edendum faciliores, cætera huiuſmodi ex his perpendatis, quæ diffuſius, planiusque alias explanata expectetis. Nunc autem videndum à quo, vndeue ſpiritus in riſu moueantur, qua de re craſſa Minerua modo dicam, animales à cerebro moueri, vitales à corde & naturales à iecinore, qui ſpiritus, vti dicebam, ex mutuo conſenſu, ac vaſorum, quam Græci dicunt, anaſtomoſi omnes ad faciem in riſu vna mouentur, ſi vero verius eſſet dicendum, & examuſſim loquendum, aſſererem quidem ſpiritum in nobis vnum duntaxat eſſe, cui omnia hominis munera, actionesque tribuantur, quique à corde, vt à ſui medio principioue in omne moueretur corpus. Sed vereor, ne veſtris quæſtionibus reſpondendo forſitan præter rem digrediar. PH. Id quidem haud committemus, ſed potius poſitionem hanc, vtut eſt, concedemus. Eſto igitur moueantur in riſu ſpiritus à corde, at quid iſtuc? COS. Dicendum profecto eſt, anne vobis videtur motus ſpirituum, immo cuiuſcunque rei ex eius appetitu

Spiritus à quo vndeve in riſu moueantur.

titu quopiam fieri? Pol. Plane. Cos. Appetitus autem homini, ni fallor, duplex eſt, alter quidem ſimpliciter naturalis (vt dicunt) rebus inanimatis communis inſtinctum appellant, qui nulla de cognitione excitatur, alter vero qui ex cognitione quapiam, iſque duplex eſt, vnus ſenſitiuus dicitur ex ſenſuum cognitione præcipue, ac ſimplici forſitan ſingularium de comprehenſione intellectus ſuſcitatus, alter ex ratione, vti memorant, elicitus. Pol. Ita quidem nuper accepi, vt tres numerentur appetitus. Cos. Libet ab appetitu ſenſitiuo ordiri, nam ex eo maxime riſus fieri ſolet. Illud inprimis conſtituamus, motum hoc appetitu contingere vno eo modo, quem Ariſtoteles tradit. Huiuſmodi quædam fit ratiocinatio; cognoſcitur primo à ſenſu quidpiam bonum, malumue eſſe, ac dein pro concluſione, complexioneque ſimul cum appetitu innaſcitur motus, ſiue operatio ad illud aſſequendum, fugiendumue, qui diſcurſus vim demonſtrationis habet, quod omne bonum ſequendum, fugiendum malum, principium videlicet, haud ſenſu cognitum; verum ab intelligentia quadam ſuperiori, communique. Pol. Tibi aſſentior. Cos. Itaque oportet eum, qui ridet, quod ridet, cognoſcere, & cum eius, quod non eſt, ſicut

Quod videtur verum oportere eſſe.

nulla eſt ſcientia, vt ait Ariſtoteles, ita nulla ſit cognitio, oportet, quod videtur verum eſſe, nemo enim, vt arbitror, ea cupiet, quæ neque eſſe, neque fieri poſſe, retur, quanquam enim homo, quamuis Adynaton, nil non appetit, attamen dum appetit, tacite ſaltem illud fieri poſſe ponit. POL. Ita eſt.

Conditiones cognitionis in riſu.

COS. Cognitio inſuper magna, perfectaque ſumme, videlicet perſpicua requiritur, vt appetitum vehementem, magnumque motum, ſicut ad riſum opus eſt, efficiat, ne ſcilicet ſpiritus pauci, ac dubitanter moueantur. POL. Probe ſane ſentis. COS. Huiuſmodi præterea cognitio, quæ appetitum, motumque in ſpiritibus, qualis ad riſum opus eſt, ſuſcitet, eſſe debet maxime velox, & cita, vt tempore non perſpecto fiat, ac ſe cognoſcere tunc nemo ſentiat videlicet, vt ſpiritus confertim, confeſtimque moueantur. POL. Et hoc quidem recte dictum.

Cur homo ſolus apt⁹ ſit ad riſum alia ratio.

COS. Vide modo, an hoc etiam ſolus homo ad riſum aptus ſit. POL. Planius id explices, velim. COS. Namque homo certiſſime omnium, ac velociſſime cognoſcit, comprehenditque, & quod ſpectat ad intellectum, id quidem conſtat, nec non de ſenſu, vt etiam ſuperius dicebam, quippe famulatur is adeo intellectui, vt nil ille cognoſcat, niſi quatenus prius ſibi cognitum

per-

perſpectumque fuerit, ex quo præſtantiſſimum organum, ſpiritusque ſubtiliſſimos homo natura habet, quippe minime materiales ſunt, atque ad cito agendum, recipiendumque aptiſſimi, ac extranea quaque re defæcati,& proinde euidentius, liquidiusque repræſentantes, ac peruidentes. Pol. Docte loqueris, & quoquo modo accepi. Cos. Quod ſi hac quadam argumentatione ab Ariſtotele non aliena vtaris, emerget, quod nonnulli neſcientes, quid dicant, aſſerunt, hominem ſcilicet eſſe riſibilem, quia rationalis, ea huiuſmodi eſt. Quod homo eſt rationis particeps ideo exquiſiti ſenſus eſt,& hoc mollis, tenuiſque carnis, perfecti, amuſſitatique organi, ſubtiliſſimique ſpiritus, his vero homo ſolus ad riſum propēſus eſt, ergo quod homo rationis eſt compos,hoc ipſe duntaxat ridet. Pol. Vt probe ratiocinaris. Cos. Sed vultiſne hic recenſeam, quænam ſenſuum cognitio certior,ac velocior ſit,riſumq; magis excitet? Pol. Percupimus. Cos. Ea eſt inprimis intellectus cognitio, hæc enim, quod ſpectat ad potentiam, facultatemque prorſus ferme immaterialem, & quod ad ſpecies intelligibiles, plurimum certa,& velox eſt, vt ipſa ratiocinatio,ſeu medii cognitio ſolertibus præcipue extemplo fiat: Ab ea eſt ſenſus interioris,

Quod homo ſit riſibilis quia rationalis.

nempe phantaſiæ cognitio, hæc enim vtpote altioris potentiæ ſpirituum ſubtilitate, ac ſpecierum puritate, integritateque externis ſenſibus, ac ſenſui communi, qui idem re, quod externi ipſi eſt, pręſtat; externorum vero ſenſuum, viſus celerrimus eſt, vt conſtat, tum etiam & certiſſimus, vnde diutius memoria viſorum manet, ac, vt eſt apud Comicum:

Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quam auriti decem.

Namque vt ait Flaccus:

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Ab hoc eſt auditus, tertio olfactus, quarto guſtus, quinto tactus, qui, quamuis aliis velocitate, ac certitudine cedat, attamen in homine excellere aliquando poteſt, riſumq; in primis mouere, vt infra dicam. POL. Quid ſis dicturus præſentio. COS. Ex his patet, cur pueris ante quadrageſimum diem ſui ortus, vt Ariſtoteles tradit, riſus non adueniat, tum enim parum, nedum ab intellectu, ſed etiam à ſenſu ob ſpiritus ex excrementorum redundantia hebetiores valent, vt neque magna ex parte cum ſcalpuntur, ſentiãt: vnum excipio Zoroaſtrem, qui, vt ait Pli. eodem die quo genitus, riſit, atq; eidẽ ita cerebrum palpitaſſe fertur, vt impoſitam repelle-

pelleret manum, futuræ pęſagio ſcientiæ, ſcilicet ob ingenii excellentiam ex ſpirituum ſubtilitate, atque ex mollitie, ne dum carnis, ſed & oſſium, vt in eo motu patebat, generatim etiam dicere poſſumus, quibus magnum diuinumq; ingenium, ac eximia ſolertia eſt, eos hoc nomine ad ridendum promptiores eſſe, qui vero tales ſint, non eſt huius loci decernere, atque ex doctiſſimo noſtro Antonio Perſio haurire quiuis queat. eius vero, quod dicimus argumento eſſe poteſt, quod nunquam audietis bardos, ſtupidoſque homines riſu emortuos eſſe. nam, vt procos prætercam apud Homerum, quorum præter naturam, & ſardonius fuit riſus, ac vt omittam fabuloſum illum, maximeque vafrum callidumq; Marguttem à Pulcio Haetruſco Poëta carmine vernaculo decantatum, Philemon Syracuſis comœdiarum ſcriptor, cum aſellum optimis ficis veſcentem caſu ſpectaſſet, illiſque ab eo lepidè abſumtis, cum puero ſero, vt eum abigeret, ſuperuenienti iuſſiſſet, vt aſino merum miſcęret, riſu dicti vrbanitatem conſequuto interiit, id quod nonnulli Chryſippo Philoſopho eueniſſe dicunt. Riſu etiam deceſſiſſe ferunt Zeuſim illum celeberrimum pictorem, dum anum graphice à ſe depictam intueretur. Memorem ne vobis, quamuis ſimile horum

non eſt, alterum Therſitem magni ingenii Petrum illum Aretinum, temporibus ſuis principum, vt ipſe gloriebatur, non leue flagellum, cuius vt Plautine loquar, impuritias traloqui nemo poteſt, infandas obſcœnitates de meretricib. vt aiunt ſororib. ſuis cum audiret ex riſu ſellam, in qua ſedebat euertiſſe, occiputq; vehementer grauiterq; ad terram afflixiſſe, atque alliſiſſe, vt extemplo nenequiſſime interiret. Democritus etiam tanto in omnium rerum ſcientia, ingenio præditus riſum, cachinnosq; illos crebros continere non poterat. Hîc rurſus de melancholicis, qui haud prorſus refrixerint, dicam eos ad cognoſcendum, ridendumque ſeros eſſe, at ſi id illis contingat, riſu pene dirumpi; ſpecies enim difficulter, vt calor in ferrum, eorum in animos imprimitur, at cum ſemel eos affecerit, valida, claraque adeo eſt, vt magnam intenſamque cognitionem, ac vehementem appetitum, motumque excitet, perinde ac rhinoceroti accidit, animali melancholico, vt ex eius ſquamoſo, & teſtaceo indumento conſtat, de quo ſic Martialis.

Solicitant pauidi, dum rhinocerota magiſtri,
Seque diu magna colligit ira fera.
Deſperabantur promiſſi prælia Martis,
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.
Namq; grauem gemino cornu ſic extulit vrſum,

Ia-

Iactat vt impoſitas taurus in aſtra pilas.

Reſtat, vt aſſeramus eos homines, qui aliis viſu præſtant aptiores ad riſum eſſe, qui ex rebus viſibilibus excitatur, quod de auditu, deque aliis ſenſibus dicendum eſt. Argumento eſt, quod pueris, ac iuuenib. qui ſenſu tactus plurimum valeant, in genubus præcipue & lateribus coſtisue ob cutis nimirum tenuitatem riſus maxime mouetur ex titillatione, minime vero duris ruſticisque. Sed planius, & apertius dicamus, varia ex cognitione, varios affectus, ſeu affectiones fieri, quæ Græci animi παθήματα dicunt, quæque ad appetitricem facultatem pertinent. Hæ autem affectiones (vt opinio noſtra fert) nam dilucidæ, breuisq; orationis ergo aliorum ſententias omittam, ſicut duo ſunt, quæ eas omnes (vt Ariſtoteles ait) comitantur, ſcilicet gaudium, & dolor, & ſicut duplex eſt cognitio, quæ eas fert, boni, nempe, ac mali: ita ipſæ duæ ſunt, vna boni, altera mali, hanc iram, illam concupiſcentiam & amorem dixerim. Pol. In hanc ſententiam ire mihi lubet. Cos. Verum autem ex affectione boni fit riſus, an ex mali? Pol. Ex affectione boni, vt arbitror, quam comitetur gaudium. Cos. Recte ſentis. Bonum autem in honeſtum, vtile ac iucundũ, velut in tres rationes diſtribuũt, ſi ve-

ſi vero diligenter, & ſingillatim animaduertas, inuenies bonum, vt iucundum eſt, affectionem appetitumque ſemper ferre. POL. Ita ſane opinor vnde, vt Flaccus ait:

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci. ac:

— Pueris olim dant cruſtula blandi,
Doctores, elementa velint vt diſcere prima.

Quænam ſint iucũda riſum excitãtia. COS. Iucunda igitur, ſi excellentia ſint, ac vehementer citoque potentias cognoſcentes pulſent, feriant, titillent, vt multos ſpiritus cito cieant, riſum ipſum efficient. POL. Id quidem iam certum eſt. COS. Cenſetis ne iucunda ab Ariſtotele enumerata nobis percurrenda eſſe? POL. Id vt facias magnopere te equidem rogo. COS. Eorum alia per ſe, alia per accidens eſſe arbitror. POL. Diſtributio hæc analytica, & neceſſaria videtur. COS. Per ſe autem iucunda in primis ſunt quæ ſecundum naturam, vel conſuetudinem. hæc enim, ſi ſenſu, intellectuue percipiantur, appetitum, amorisque affectionem commouent. Hęc ſingula omnino enumerare longum eſſet, ſunt etenim omnes paſſiones, ac paſſibiles qualitates, actionesq; & opera, quotquot natura aut cõſuetudine homo, vel quatenus homo, vel quatenus ſimpliciter animal, plantave cõtrahit, ſortiturque. Sunt autem hæc plurimum

mum varia, pro vario ſyderum cœlorumq; afflatu aſpectuq;, vnde Propertius inquit.

Natura ſequitur ſemina quiſq; ſua.

Et Maro:

——— *Trahit ſua quenq; voluptas.*

Ac apud illum in comœdia, quod Flaccus & Perſius in Satyra vſurparunt:

Quot capita, tot ſententia, ſuus cuiq; mos.

Artium item actiones, operaque artifici iucunda, ac ſecundum naturam quoquomodo ſunt, vt non adeo mirum ſit Zeuſim illum ex anu à ſe depicta riſu corruiſſe interiiſſeque, in his autem iucundis numeranda ſunt mala præterita, quæ quis ſuperarit, depuleritque, ex quo Æneas ad ſocios:

—— *Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.*

Horum autem omnium ratio, vt vno verbo dicam ad inſitum, innatumque cuique ſuimet amorem, Philautiam Græci dicunt, referenda eſt. Pol. Percipio. Cos. Eandem etiam ob cauſam hominis cuiuſquam ſimilia, cum eoque quoquo pacto conuenientia ei iucunda exiſtimantur. Hinc ab Ariſtotele prouerbia memorantur, Æqualis æqualem delectat, ſimilis à ſimili amatur, Belua beluam cognoſcit, Merula ſemper ad merulam, & alia huiuſmodi: Vt vero ſumma eorum capita memorem, cum homo operibus animi, quæ ei ex ſententia ſuccedant, plu-

plurimum lætetur, quippe vt Plato ad Alcibiadem inquit, ipſe, aut prorſus, aut ſaltem præcipue animus eſt, (hinc enim Philoſophi, verique homines ſapientiam ſummum bonum putant, & ſi quando eorum mens, (vt Auicenna ait) ſupra res lata abditum, abſtruſumque quippiam ex inopinato peruiderit, haud quidem in ſinu gaudent, ſed lætitia ſeſe efferunt, tripudiant, exultant, geſtiunt, exiliunt, ſubſultant Hoc Archimedes ille Syracuſanus, cum ex aquæ inter lauandum ſupra labrum effluxione coronæ dimenſionem ex improuiſo excogitaſſet, haud iniuria quidem tanta lætitia pluries, ſæpeque, εὕρηκα vociferans proſiluit, ac nudus, vt erat ad regem pergere properauit, hoc item Pythagoras propoſitione, quæ quadrageſima ſeptima eſt primi elementorum Euclidis, excogitata adeo gauiſus eſt, vt centum boues, vel, vt alii dicunt, vnum album Muſis immolarit, cum autem his, quę corporis ſunt vtpote ſuis ſecundo homines lætentur, tertio vero extraneis, vt auro & argento (quamuis plerique hominum, quaſi non homines præ diuitiis corpus mentemq; ipſam ſusque deq; habeant, nam, vt Flaccus, præſertim ex Staberii ſententia ait, omnis res

Virtus, fama, decus, diuina, humanaque pulchris

Diui-

Diuitijs parent, quas qui conſtruxerit ille
Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, etiam & rex)

Sic itaq;, niſi quidpiam inuidię intercedat, in primis dulcis, ſuauisque eſt ſimilis intellectu affectibus, moribusque, ab hoc qui corpore, ætate nimirum, complexione, forma, arte, ordine, patria, amicis, ac ſanguine, quemadmodum omnes amati, erga amantes ſunt, tertio, qui potentia, ac diuitiis. Quemlibet autem ſui ſimilis opera, actionesque ſecundum naturam ridere contingit, ſic pater iocos, ludosque paruuli filii, ſcitulos illos quidem ridet. Vidi ego quoſdam, qui ex animalium quorundam, vt canum, vel aſpectu, lætitia, riſuque perfunderentur eorum corporis partibus, animique moribus, vt de Ariſtotele in Phyſiognomicis didici, aſſimiles eſſe: his etiam adnumeratur admirabilis illa, variaque geniorum ſimilitudo, qua cæco quodam naturæ impulſu beneuolentia magis quempiam, quam alterum proſequimur, de qua in conuiuio Plato cum geminatos primum homines mox vero ſectos memorat; vnde Flaccus ad Mecænatem inquit:

Vtrumq; noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum.

Et Perſius ad Coruinum:

Non

Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo,
Conſentire dies, & ab vno ſydere duci.

Et paulo infra,

Neſcio quod certe eſt, quod me tibi temperat aſtrum.

Et Martialis ad Sabidium:

Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere quare.
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

Cur ſuorũ ſtultitias & errata quis rideat.

Pol. Vtrum vero ſcurras, mimosq; nec non fatuos, amentesque homines, vt noſtrûm ſimiles ridemus? cum potius eorum dolere vicem humani eſſet? Ph. Quin etiam conſanguinei, Phreneſi, ac deliriis ingemiſcentes vidi inter mœrorem, ac luctum aliquando riſum continere nequiuiſſe. Cos. Id pro certo omnino haud affirmarim, ſcilicet omnes homines, quod vulgo ferunt, quoquo pacto quoſdam magis, & quoſdam minus ſtultos, ſiue, vt benigne interpretor, ſtultorum ſimiles eſſe. Ph. Forſitan quod (vt Flaccus ait) vitiis nemo ſine naſcitur, ac, vt apud eundem aſſerit Damaſippus, excepto ſapiente omnes deſipiunt. Cos. Ne dum hoc, verum etiam quod homo ſuis in actionibus, vtpote plurimum aliis præſtans, maximopere laborat, ac defatigatur, dum enim ſe totum vel in altos mentis receſſus refert, conditque, vel cum totus in vmbris, rebus-

rebusque inanibus, futilibusque eſt, ac verſatur interius, ac exterius fiunt ſpirituum contrarii motus; ſubtileſque illi ſpiritus, quibus intimo opus eſt ſenſui marceſcunt, conficiunturque, vt valde defatigetur, ac omiſſa interius reſidente ratione ad extremos ſenſus, vt bruta inſipientia omnis recurrat. Hinc natura, rationeque duce ſapientes homines remittendum animum, ne amittatur iubent, & miſcendam (vt Flaccus ait) ſtultitiam conſiliis breuem, vt enim ille inquit:

Si nunquam ceſſes tendere lentus eris.

Hoc item nomine ocium commendatur Flacco, cum ait:

——— ——— & amara lęto
Temperet riſu nihil eſt ab omni
parte beatum,

Nec non Valerio Maximo cum exemplo Scipionis Lęliiq; littoribus Caietę, ac Laurenti conchulas, & calculos lectitantium, atque exemplo etiam Scęuolę iuriſconſultiſſimi, in pilę, aleęque, & calculorum ſcurrilibus luſibus, vt ille ait, hominem agentis, ac Socratis cum paruulis filiolis interpoſita arundine cruribus ſuis ludere, vel coram Alcibiade non erubeſcentis, cum, inquam, his comprobat, virtutem ocio recreari, hominesque tempeſtiua laboris intermiſſione ad laborandum fieri vegetiores. Quid? quod

Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo,
Conſentire dies, & ab vno ſydere duci.

Et paulo infra,

Neſcio quod certe eſt, quod me tibi temperat aſtrum.

Et Martialis ad Sabidium:

Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere quare.
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

Cur ſuorũ ſtultitias & errata quis rideat.

POL. Vtrum vero ſcurras, mimosq; nec non fatuos, amentesque homines, vt noſtrûm ſimiles ridemus? cum potius eorum dolere vicem humani eſſet? PH. Quin etiam conſanguinei, Phreneſi, ac deliriis ingemiſcentes vidi inter mœrorem, ac luctum aliquando riſum continere nequiuiſſe. COS. Id pro certo omnino haud affirmarim, ſcilicet omnes homines, quod vulgo ferunt, quoquo pacto quoſdam magis, & quoſdam minus ſtultos, ſiue, vt benigne interpretor, ſtultorum ſimiles eſſe. PH. Forſitan quod (vt Flaccus ait) vitiis nemo ſine naſcitur, ac, vt apud eundem aſſerit Damaſippus, excepto ſapiente omnes deſipiunt. COS. Ne dum hoc, verum etiam quod homo ſuis in actionibus, vtpote plurimum aliis præſtans, maximopere laborat, ac defatigatur, dum enim ſe totum vel in altos mentis receſſus refert, conditque, vel cum totus in vmbris, rebus-

rebusque inanibus, futilibusque eſt, ac verſatur interius, ac exterius fiunt ſpirituum contrarii motus; ſubtileſque illi ſpiritus, quibus intimo opus eſt ſenſui marceſcunt, conficiunturque, vt valde defatigetur, ac omiſſa interius reſidente ratione ad extremos ſenſus, vt bruta inſipientia omnis recurrat. Hinc natura, rationeque duce ſapientes homines remittendum animum, ne amittatur iubent, & miſcendam (vt Flaccus ait) ſtultitiam conſiliis breuem, vt enim ille inquit:

Si nunquam ceſſes tendere lentus eris.

Hoc item nomine ocium commendatur Flacco, cum ait:

——— & amara læto
Temperet riſu nihil eſt ab omni
parte beatum,

Nec non Valerio Maximo cum exemplo Scipionis Læliiq; littoribus Caietæ, ac Laurenti conchulas, & calculos lectitantium, atque exemplo etiam Scæuolæ iuriſconſultiſſimi, in pilæ, aleæque, & calculorum ſcurrilibus luſibus, vt ille ait, hominem agentis, ac Socratis cum paruulis filiolis interpoſita arundine cruribus ſuis ludere, vel coram Alcibiade non erubeſcentis, cum, inquam, his comprobat, virtutem ocio recreari, homineſque tempeſtiua laboris intermiſſione ad laborandum fieri vegetiores. Quid? quod

Cato ille Vticenſis ſtoico ſupercilio inſignis, cum interdiu omni mentis conatu Reip. inuigilaret tota ferme nocte madidus erat, Democrito a. qui adeo ſapientiæ fuit ſtudioſus, vt ne animus à cõtemplatione abduceretur, quod Tullius refert, oculis ſe priuarit, crebri eius illi cachinni ebulliebant. Idem Tul. de intempeſtiuis iocis ab Ant. carptus, homines, inquit, quamuis in turbidis reb. ſint, tamen ſi modo homines ſunt interdum animis relaxantur. Hoc Saturnalia, Lupercalia, ac Bacchanalia conſtituta, ſoluendus n. nonnunquam eſt nimium bonus, tum corporis habitus, vt monet Hipp. tum etiam & mentis, ne ſponte in deterius recidat. Hoc item neque tantum, vt ſpectaculo quodam turpi iuuenes ab ebrietate abſterrerentur, ſeruos ebrios Lacedæmone circumferri mos erat. hoc etiam, vt arbitror Apuleius fabulatur Hypatæ, quæ Theſſaliæ erat ciuitas, quotannis ſanctiſſimum, vt ait, Deum riſum hylaro, atq; gaudiali ritu propitiari ſolitum. hinc etiam conſtitutæ apud Lacedæmonios, ac Romanos commeſſationes publicæ, & amicorum conuiuia, vbi omne malum vino, cantuq; leuatur, vt ait Flaccus, deformis ægrimoniæ dulcib. alloquiis, ibidemq; cautum erat, ne quis conuiuarum temere dicta, aut facta foras eliminaret, & per ora hominum prouerbium ibat,

ibat, odi memorem cõpotorem, in ædiumq; primo veſtibulo inſcriptum erat: Hac non egreditur ſermo, roſaq; menſis præfigi ſolita erat, & ſub ea dicta volebant perpetuo ſilẽtio inuoluenda. Harpocrati hæc à Venere dono data, vt ſua furta celaret, fabulis fertur. Caueте vero hanc animi relaxationem, in Dei contemplatione, in qua probi duntaxat Chriſticolæ vere verſantur, exiſtimetis eſſe neceſſariam, tantum n. id abeſt, vt ea, & aſſidua quidem ipſi perfectiores, ac vegetiores fiant, ex ea enim oritur charitas, quam diuinæ comitantur gratię, omnia huiuſmodi naturalia vitia eluentes, vt homines, quaſi non homines, ſed cœleſtes diuinosq; reddant. atq; hinc eſt, quod dicitur, hominem ſolitarium, aut Deum eſſe, aut beſtiam, aut n. iugi ſapientiæ conuiuio fruitur, aut adeo hebetis ſenſus, bardusq;, ſtolidusq; eſt, rationisq; expers, vt pene ſemper intellectus muneribus vacet, otioſus, vacuusq; ſit, vt animi relaxationis ergo hominum conſuetudine, ludicris, ridiculisq; non egeat. eo iſta pertinent, vt dicamus natura homines non raro ſtultis inſanisq; ſaltem ſimiles eſſe, nam animum remittere, vti Gellius ex Muſonio ait, quaſi amittere eſt, quod ſi inſuper eos rideant, quod facile ob ſimilitudinem cõtingit, magis ſimiles fiunt, ex quo Tul. ad Cæliũ de quodam iactatore in

Animi relaxatio in Chriſtianorum meditatione non eſt neceſſaria.

ædilitatis petitione repulſo reſpondeas, nimio gaudio ſe pene deſipuiſſe, inquit, & ſubdens, quid quæris? ait, dum illum rideo pene ſum factus ille. Quod vero de conſanguineis, amicisque delirantibus riſum homines pene continere nequeant, ex intellectus ac ſenſus omnium ac ſingularum cuiuſque rei rationum diſtincta cognitione, atque à malo abſtractione, quam dicunt, & ſimilis illius iucundi repentina maximeque cita perceptione euenit, quam vel ſolus, vel maxime homo ſortitus eſt, hoc enim etiam ſpiritus ſubtiliſſimos habet. Quid, quod eandem ob cauſam, & cognitionis diſtinctæ, dilucidæque præſtantiam proprias ineptias, quis ridere pene cogitur? vt ſemetipſum multiplicem, apprehendat. Quærebat quis per omnes angulos domus rem quam habebat, quod cum ſenſiſſet, effuſe riſit, nempe inueniens ſemetipſum quærentem, tanquam alterum. POL. Vt probe omnia mihi videris eloquutus, COS. Sed altius vos ducam ad vnam ſimplicem, abſolutamque omnium iucundorum rationem, hinc exordio capto. Omnibus rebus naturaliter in primis, quod & Ariſtoteles aſſerit, inſitum, innatumque eſt, vt ſempiternum diuinum, omnium qui eſt princeps, autor, vltimus finis, bonumque ipſum appetant, eiusque, vt ſuus cuique eſt

Cur proprias ineptias quis rideat.

captus

captus quam maxime particeps, ac ſimiles eſſe ſummo quodam obſequio ſtudeant atque hoc eſt, quod eſſe, qui ſempiternæ illius cauſę proprius effectus, expreſſaque eſt ſimilitudo, tantopere expetant, diligentiſſimeque cuſtodiant. hinc enim eſt, quod homines his, quæ ſecundum naturam, ac ſimilibus, vti dicebam, adeo exultent, his etenim & diutius incolumes ſeruantur, atque etiam in hac vita immortalitatẽ quoquo pacto ſibi vendicare poſſe videntur. Cum autem ſummum illud bonum omni in re eminentiſſimum, omniumque princeps, Dominusque vnus ſit omnibus, & illud inſitum innatumque eſt, vt principatum quaque in re ardentiſſime cupiant, enixequè petant, teneantq;, hinc verum vt Gręci loquuntur Antipathię, & ſympathiæ, dum contraria extinguere conantur; ac ne ab iis extinguantur cauent, atque dum ſimilia, amicaque, amice amplectuntur, ſcilicet, vt eam, in qua omne bonum conſiſtit, vnitatem conſequantur. Hæc autem dominatus gloriæque cupiditas, niſi ſecundum diuinam legem, voluntatemque ſit, atque ſi ab ea digitum tranſuerſum, aut vnguem latum, vt dicitur, ſciens ac prudens quis declinet, maximum vitium eſt. omniumque malorum homini origo, vt ſacra demonſtrant eloquia, philoſophi, atque expe-

Cur principatum adeo exoptemus.

rientia teſtantur. Hac è cœlo Draco, quem ſanctus Ioannes in Apocalypſi memorat, cum tertia ſtellarum parte delapſus eſt, eiusque hortatu eodem ferme peccato lapſus eſt homo, atque dein materia hac alligatus, qua, dum huius lucis vſura fruimur, ſemper ad vitia propenſi ſumus, cumque magnanimi cum humilitate, humileſque cum magnanimitate eſſe debeamus, nullaque inuidia angi, immo alterius mala nos mœrere æquum eſſet, tantum id à nobis abeſt, vt modo ob naturalem ferme propenſionem, ac conſuetudinem imprudentes, inſcienteſque, modo vel prudentes principatum quaque in re dignitatem, atque honorem adeo optamus, vt ſi à quoquam, præſertim vero à laudatis viris nobis id deferatur, gaudio exiliamus, riſumque tenere haud poſſimus, quod etiam contingit, cum aliis bene facimus, cumque munera, præmiaque nobis præbentur, & cum quacunque in re excellimus, atque admirationi ſumus, præſertim vero in ſapientia, hæc enim ſuapte natura homini ſummum eſt bonum, atque hinc ex abditi cuiuſquam inuentione Philoſophis lætitia, riſuſque, eo etiam amari adeo iucundum eſt, vt riſum excitare valeat, aliquod enim præſtans ſibi eſſe bonum amati tunc exiſtimant, ex quo Flacco, gra-

Homo cur ad ſuperbiam & vitia propenſus.

tus puellæ riſus ab angulo, & Gallus de quapiam inquit:

Et nunc ſubridens latebras fugitiua quærebat,
Non tamen effugiens tota latere valens
Lætior hoc multò, quod malè tecta foret.

Hinc etiam eſt quod aſſentatoribus, vt ille ait in Eunucho, quæſtus ſit multò vberrimus, cum etenim homini palpum obtrudi- tur, niſi recalcitret, vt ille ait, vndique tuſus, riſus facile excutitur, exprimiturque. Hoc etiam effuſum edunt riſum cum iniuriæ propulſatione, aut vltione ſe in dignitatem vendicarint, quæ ſi item conſanguineis, amicisque eueniant itidem ferme lætitiam, riſumque afferunt, ſexcenta ſunt, quæ memorem, ſed viribus parcam. At vero eandem ob cauſam homines, ſi quem diuitem, aut virtute præſtantem alium viderint, plerumque inuidia differuntur, intabeſcuntque, atque cum alios victos demiſſos, deliros, fatuosque, ineptosq; cernunt ac pedentes, & ſaltanti perſonæ togam inducentes, ac huiuſmodi alia facientes ſentiunt, deſipiunt gaudio, ſoluuntur in riſum, omnibusq; incedunt lætitiis, neque modo ſi hæc in æmulis, ac inimicis perceperint, animaduerterintque, ſed etiam ſi in amicis, ſuique ſimilibus, euenit n. ob naturalem illam ex materia, atq; ex peccato primi hominis ad mala, vitiaque

Cur aſſentatores ſint grati.

Iucunda per accidens enumeratur.

propenſionem, ac ob conſuetudinem, vt homines vel imprudentes, inſcientesque frequenter labantur neceſſariis ſuis inuidentes, eorumque errata, offenſiones, caſusque ridentes. Hinc deriſiones, ſannæ, detractiones, ſuſurrationes, omnibus ferme gratiſſimæ, quæ omnia iucunda per accidens appellamus, ſuasmet inſuper ineptias, quaſi alterius ob rationum obſtractionem, vt dicebam, homines rident. Quod ſi aliquando mortes, infortunia, ſæuasque ægritudines alterius quis non rideat, ſed doleat, id potius naturæ quadam ſympathia, & conſenſu euenit, quam aliqua beneuolentia. nam ea præter modum mala ſunt, vt ea humanus animus, vel in alio horreat. Accedit, quod miſeris pręſtare nihili facimus, & citius id nobis deriſioni aut vituperio, quam laudi fore cæco quodam naturæ inſtiuctu reputamus. POL. Haud diſplicet hic ſermo. COS. Expoſui omnium iucundorum rationem, quæ ſi aut ſenſui interno aut externo, aut intellectui offerantur, riſum mouere valent, quod quidem accidet, ſi, vt arbitror magna, noua, aperta, ſeu dilucida fuerint, & magna quidem, vt magnum appetitum, motumque multi ſpiritus faciant, vt ad riſum opus eſt. POL. Id quidem palam eſt, nullus enim exempli gratia, niſi ei corruptus deprauatusque ſenſus ſit,

Conditiones iucundorum, vt riſum moueant.

ſit, oboli munere, inuentioneque lætabitur, geſtietque. Cos. Verum hic ratio apparet, cur quædam admirabilia adeo iucunda ſint, vt riſum moueant. Quædam inquam, nam cum omnia admirabilia ob inexhauſtã hominis naturalem ſciendi auiditatem grata ſint, attamen nonnulla delectant quidem, ſed quod triſtia per ſe ſunt, lacrymas potius excutiunt; quædam igitur admirabilia, quæ nimirum per ſe iucunditatem, & eam quidem magnam habent, idcirco riſum excitant. Pol. Percepi, ſed quidnam de admiratione dices? num ea ad riſum neceſſaria eſt, vt quidam ex recentioribus dicunt? Cos. Res ipſa id falſum eſſe docere poteſt. Experior etenim, & quilibet ita eſſe comperiet, dum quidpiam admirantur homines ridere non poſſe, & ratio quidem idipſum comprobat. nam dum quis admiranda ſtupet, immotus ferme conſtat, obtutuque, vt Maro ait, hæret defixus in vno, cum qui ridet, totus quatiatur. Neque etiam admiratio neceſſario riſum antecedit, vt in riſu ex titillatione, ac ex amicorum aſpectu patet. Pol. Certum id eſt, perge porro. Cos. Noua item ea eſſe debent, hoc eſt, ſi fieri poteſt, nunquam antea audita, aut viſa, ne excogitata quidem, aut ſaltem varia, quoniam hoc modo valde certiusque cognoſcuntur, & ma-

Cur quædam admirabilia iucunda.

Admiratio num ad riſum neceſſaria ſit.

gnam valent excitare lætitiam, à qua, vt ſupra indicabam, riſus fit. POL. Sed quænam huius eſt ratio? COS. Ea huiuſmodi eſt; nam ſpecies, ſpectraue rerum, rebus ex ipſis manantia, ipſa inquam, aut ſola, aut quadam cum ſubſtantia tenui illa quidem ex rebus effluente, vt Democrito, ac Platoni, vt arbitror, placuit, corpus, organumque immutant, nedum alteratione perfectiua, vt dicunt, ſed & corruptiua. Hinc enim prægnantes, ſi cum quidpiam cuius illis poteſtas non ſit, ardenter concupiſcant, tunc membrum aliquod caſu ſibimet tangant, notam eius rei fœtus eiuſmodi membro imprimunt, latis nimirum ex eo repentino contactu ad membrum illud ſpiritibus, ea ſpecie intenſa affectis, ac ſibi ſimilem in membro infantis, ad quod nimirum feruntur, efficientibus: idipſum conſtat in ſpeculo recenti mulieris menſtrualis conſpectu infecto, vt macula vix, ac ne vix quidem deleri poſſit, vt memorat Ariſtoteles. POL. Teneo. COS. Hinc eſt, vt dicitur, quod ab aſſuetis non fit paſſio, hoc eſt, ea tum non percipiuntur, neque attenduntur, intus enim exiſtens, vt Ariſtoteles teſtatur, & experientia oſtendit, prohibet ſentiri extraneum, vnde, vt Comicus ait:

Cur ab aſſuetis non fiat paſſio.

Tum deniq; omnes noſtra intelligimus bona

Quum

Quũ quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.

Quin etiam quæ non raro, ſed frequenter animo verſamus, quamuis iucundiſſima, nauſeam faciunt ac odio habentur, quaſi ſenſus, naturamque corrumpant, vnde ait ille in Epigrammatis:

Illud quod medium eſt atque inter vtrumque probamus,
Nec volo quod cruciat, nec volo quod ſatiat.

Et alibi:

Putidus eſt, toties ſi mihi ponis aprum.

Alio etiam nomine rara delectant, quod ea habentes vel audientes, & alio quouis modo ſentientes, videamus (id quod iucundiſſimum eſt) aliis præſtare, atq; hinc rara, & primitiæ Deo, ac principibus, patronis amiciſque offerimus, hinc etiam ille ait:

Rara iuuant, primis ſic maior gratia pomis,
Hybernæ pretium ſic meruere roſæ.

Noua igitur, modo vti dicemus, ſimplicia apertaque ſint, animum, magis, quam vetera feriunt, delectantq;. Pol. Profecto. Cos. Hoc etiam fit, vt facetiæ, ioci, ſaleſque, & iucunda omnia, vt riſum moueant, præter expectationem homini eſſe debent. Quin immo Mimi, ac Hiſtriones (quanquam non triſti, ſed hilaro, iocoſoque vultu eos eſſe decet, ſcilicet; vt ad iucunditatem quadam cum ſpe animum auditoris agant, diſponantque,

Facetiæ & ioci vt proponi debeant.

nantq;, nam, vt in Arte Poëtica Flaccus ait:
Ridentibus arrident humani vultus)

Mimi inquam, ac Hiſtriones, cum ridiculum quoddam enarrant, ac rictum diducere, vt cum Flacco loquar, ſtudent, ipſi nimium ridere non debent, ſed potius à ſuſpicione ridiculi ad grauius quidpiam auditoris traducere animum, vt repente in eum incidens facetia, ipſum prorſus occupet, titillet, atque ad riſum impellat, non autem adeo, vt nimium diſtrahatur, abducaturque, ne deinde ridiculum non aduertat; Accedit, quod ſi prius homo ſuſpicetur, & perſentiſcat, ſenſim quoquo pacto fiet ridiculi cognitio, quę vel nulla, vel parua valde erit, vt appetitum non excitet, ſenſim enim, ac ceu per minima facta mutatio non ſentitur, minimũ etenim ſenſibile, vtpote in organo materiali illo quidem antea exiſtens ſenſum prę tenuitate ei non reſpondente fugit, atq; à maiori etiam ſenſibili ſemper obſcuratur obcæcaturque, præterea ob naturalem illam principatus cupiditatem olfaciens, ac præſentiens, Hiſtrionis, exempli gratia, propoſitum, nollet ad eius arbitrium duci, ſed fiet obfirmatus, ac obſtinatior, vt iucundum illud, tanquam quoquo pacto iniucundum apprehendat, eandem ob cauſam, iuſſi à riſu abſtinere, tunc ridentes facile concinnamur, vt enim ille ait: *Niti-*

Nitimur in vetitum, cupimusq; negata.

Hinc Ariſtoteli reditus ad naturam iucundus dicitur: ſicut enim in magno lumine paruum videri nequit, & ſicut in tenebris paruum lumen vel longiſſime conſpicimus, ac interdiu fumum, ita bonum dulce, iucundum magis percipimus: malum triſte, amarumque experti. Pol. Sic etiam vulgo fertur. Cos. Id quolibet in ſenſu manifeſtum eſt, atque hinc, vti ſignificabam Hiſtriones, Mimique pendent, ſed præclare in ſenſu tactus patet, hoc enim maximam in Venereo coitu, voluptatem, qua & aliqui deceſſerint, ineſſe comprobant Phyſici, cum enim acer acutusque humor, & ſemen (ſperma Græcis dicitur) efferueſcens in molliculam, tenellulamque pudendi carnem, neruosque ex improuiſo ſeſe effuderit, eam valde pungit, vellicatque, vt niſi citiſſime, omnique naturæ conatu eiiceretur, ac eiacularetur, eam inſuper prę multitudine diſtendendo, diſtrahendoque maximo afficeret dolore, verum ex ea eiaculatione extemplo (nam ſenſim facta mutatio parum percipitur) rediens pudendum ad ſuæ naturæ vnitatem ob conſenſum cum principibus membris eam affert iucunditatem, qua homines quidam vita exceſſerint; aliis autem, velut ex morbo comitiali euenit, conuel-

Reditus ad naturam cur adeo iucundus.

Vnde voluptas in coitu.

uellantur oculi, & quoquo pacto vitientur, ac peruertantur, accurrentibus nimirum ex illis, atque ex tota facie ſpiritibus ad cor, ad easq; partes, vbi voluptas ea, quaſi feſtum celebratur, qua velut ſtupore quodam impediti, corruptiq; ad faciem ſtatim redire, ad eam voluptatem exterius ſignificandam obliuiſcuntur, vnde à coitu ſtatim riſus non ſequitur, at vero poſt aliquantum temporis, ad harmoniam, hoc eſt, ad conſueta munera illis remeantibus, ac, vt ita dicam, ſibi redditis, & præteritam voluptatem, tanquam præſentem memorantibus riſus excitatur præterquam adoleſcentibus à primo coitu, & auaris à meretricio concubitu, quibus mox triſtitia, vel ingens aduenit, illis quidem, quod ſeminis ille motus inſuetus, ac nimis magna mutatio fuit naturę ſemper aduerſa, qua, atque etiam dignitatis cuiuſdam, & principatus ex eo coitu amiſſione, adeo mœret animus, vt eius, qua cum primo coierint quod refert Ariſtoteles, aſpectui ſeſe ſub trahant, eamq; auerſentur, tanquam mœroris malique illius fontem. Illis autem quoniam deperditæ pecuniæ præſens dolor præteritæ, ac momentaneæ voluptatis memoriã prorſus obliterat. Nunc autem dicendum eſt de titillatione, quæ ſub alis fit, muſculis, neruis, mẽbranisq;, quæ inibi ſunt ſæpius manu com-

Cur à coitu ſtatim non ſequitur riſus.

Vnde titillationes ſub alis.

compreſſis, dimiſſisque alternatim, valde, citoque, ex ea enim compreſſione afficiuntur dolore, qui quidem exquiſite non ſentitur, quia cito fit, ſubitoq; eum aſſequitur perfecta voluptas, quæ ſenſum ac memoriam omnem preteriti doloris delet, quæ tamẽ tanta, vt in coitu; quemadmodum neq; dolor, nõ eſt, vt ea ſpiritus ferme corrupti adeo torpeant, ac ſtupeſcant, quin ad faciem moueantur, ac riſum edant, quãuis eam cõpreſſionem dimiſſionemq; diutius perpeti non poſſit, qui carnis, cutiſve tenuioris delicatiorisq; ſit. Quod vero ea titillatio præcipue ſub alis contingat eo fit, quoniam inibi, vt indicauit Ariſt. & cutis & caro tenuior eſt, ſc. muſculorum intercoſtalium, quos vocant; adſunt etiam nerui, & membranæ, propter quas cor exiſtit, quod eſt organum princeps ſenſus tactus. Illa vero organum, ſiue medium, per quod dilucidius, magisque ſentimus, eadem ferme titillatio, ex qua riſus itidem aliquando ſequatur, fit, quod etiam memorauit Ariſtoteles in Labris, vtpote cute tenuiſſima, exquiſitoque ſenſu præditis, & magnum conſenſum, ſympathiamque, ſicut & tota facies cum corde habentibus, vt multæ venæ, arteriolæque, ad ipſa pertingentes, oſtendunt. Titillamur etiam in genubus compreſſis celeriter, dimiſſisque muſ-

Titillatio in labris.

Titillatio in genub.

muſculorum quibuſdam capitibus, ex quo magno dolori magna voluptas comes conſequatur. accedit, quod genua ſympathiam cum corde inſignem habent, vt facile eorum affectus ei, vtpote principi tactus organo, impertiantur. argumento eſt, quod ea dignioribus, diuiniſque rebus flectimus quaſi cor ipſum demittentes, atque inſuper, quod, vt ex Plinio, ac experientia comprobatum eſt, in ipſa genu vtriuſque commiſſura dextra, læuaque à priore parte gemina quædam buccarum inanitas ineſt, qua perfoſſa, ceu iugulo, ſpiritus fugit; fit etiam inſignis titillatio in pedum plantis leuiter, quemadmodum, & labra, fricatis, in his enim nerui plures exiſtunt, qui dolore gaudioque valde affici poſſunt, ſuoſque affectus cum toto corpore communicare valent. experientia compertum eſt, inunctionibus quibuſdam ad pedum palmas, puellis fluxiones, ſeu catarrhos ſiſti poſſe, eiſque frigidis cerebrum corpuſque totum male afficitur, vt pedibus, vel nudis, quod ait Ariſtoteles nullus concũbere poſſit. accedit, quod bona pedum conſtitutio, magnitudoque, totius corporis, cordis, ac cerebri robur præ ſe indicat. Vnde Polemon Phyſiognomicus, pedes, inquit, neruoſi, & bene articulati generoſis moribus hominem & fortem, qualis Hercules fuerat, deno-

Titillatio in pedib.

denotant,& pedes plus ſatis longi multa molientem hominem; & Ariſtoteles inquit, quibuſcunque pedes bene formati, & magni, atque articulati neruoſique ſunt, fortes, quantum ad ea, quæ ſunt in anima, reducuntur ad maſculinum genus, certe apud Plautum Pſeudolus ille tanti conſilii homo à militis ſeruo depictus fuit admodum magnis pedib. quo percepto Simo ſenex perdidiſti, inquit, poſtquam dixiſti pedes: at nimis multa de pedibus, titillatio etiam his, qui tenuis cutis, carnisque ſunt, & in aliis membris fieri poteſt, vt puerulis præſertim viuidioribus, ſed illud in mentem venit, hominem etiam ſi non titilletur, inſtantem titillationem animo percipere, ac præuenire, vt eo rideat, adeo cito dilucideque cognoſcit. Pol. Ita eſt. Cos. Vide, num is cui traiecta fuere præcordia titillatus fuerit, vt ex teli extractione cita illa quidem redeunte ad vnitatem Diaphragmate ad ridendum compulſus ſit. Pol. Nemini ea titillatio placuiſſet. Cos. Interdum iocor. Pol. Aſt ego illud ſerio de te quæro, quidnam noſmet ipſos titillare non valeamus. Cos. Quoniam, vt arbitror, tantus dolor non ſentitur in compreſſione à ſemetipſo, ac ſponte facta, ex quo neque tanta voluptas in dimiſſione. Pol. Quid cauſæ eſt? Cos. Nonne ſcis,

Præcordia traiectus an titillatione riſerit.

Cur noſmet titillare non valemus.

cum quis cor obdurauit malum præſentiens antequam adueniat, minus dolere? POL. Noui quidem, ſed rationem ignoro. COS. Ea, vt arbitror eſt, quoniam, quæ non ſunt noua non adeo cognoſcuntur, minusq;, vt ſupra dicebam ab his anima patitur, quare Demipho ſenex apud Terentium inquit: Quamobrem omnes, cum ſecundæ res ſunt maxime, tum maxime

Meditari ſecum oportet, quo pacto aduorſam ærumnam ferant.

Pericla, damna, exilia, peregre rediens ſemper cogitet.

Aut filii peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filię communia eſſe hęc: fieri poſſe, vt ne quid animo ſit nouum. Quidquid præter ſpem eueniat omne id deputare eſſe in lucro, quod & eius ſeruus Geta aſſerit. POL. Recte loqueris. COS. Cum ergo compreſſio ea lacertorum ſponte à ſemet ipſo facta tantum abſit, vt noua animæ ſit, vt omnino ab eius præcognitione fiat, minor percipitur, ac ferme nullus dolor, ex quo neq; voluptas eo ablato ſequitur, quantum vero ea præcognitio, præſcientiaue rei malæ dolorem minuat, patet in his, qui ſibimet ipſis manus afferunt mortemque conſciſcunt. vti à Catone Vticenſi, filiaque eius Portia Bruti vxore. POL. Tibi omnino aſſentior. COS. Cõ-

ſtat igitur iucunda, vt riſum excitent, eſſe debere magna, nouaq; Pol. ita eſt. Cos. Tertio ea ſint oportet, dilucida atq; aperta, facilia ſc. captu, nempe, vt cito percipiantur, citumque ſpirituum motum qui ad riſum requiritur efficiant. Pol. Profecto. Cos. Quę igitur oculis ſentiuntur, ſint ſimplicia & diſtincta. Pol. Sine dubio. Cos. Quæ aurib. vero hauriũtur breuia apertaq; & lepore quodam tincta, vnde, vt in Problematis ait Ariſtoteles, hiſtoriæ de vna re magis, quam quæ de pluribus, delectant. & hæc quidem de iucundorum claritate, vt extra animum ſunt. At vero aliud eſt memoratu dignum de eorundem luciditate, vt in animo inſunt per ſpecies, ſpectrave. Pol. Magnum huius ſciendi me tenet deſiderium. Cos. Quid? vt perſpectiuam picturamq; calles? Pol. Haud ſatis. Cos. Anne tenes quo pacto, diſtantia, ac propinqua fingant? Pol. Quæ diſtare videri volunt, minora, ac tenebris in quibusdam faciunt, quæ vero volunt videri propinqua, maiora, & quadam in luce ponunt. Cos. Ita quidem illi faciunt, ſed non ne phantaſia, ad quam memoria pertinet, eſt, velut quædam tabula depingenda variis rerum idolis? Pol. Certe. Cos. Non ne etiam certum eſt maius, & lucidius ſpectrum eſſe rei præſentis ad quã tamẽ radius animæ directe perueniat,

quæ ſcilicet aduertatur? POL. Ita eſt. COS. Ablatis vero extrinſecis obiectis manent in memoria eorum ſpectra, quorum, quæ maiora & lucidiora ſunt, proximiora ac præſentia videntur, niſi animus multum vigilet, quæ vero minora ſunt, atque obſcuriora, ea diſtantiora, ac vel futura, vel pręterita videntur. POL. Sic ſe res habet, & memini me hęc legiſſe apud ſomniorum quoſdam interpretes. COS. At vero in magna vehementique ſpe futuri boni, ac præteriti recordatione eius phantaſma validum apparens lucidumque eſt, quo fit, vt præſens videatur, & proinde gaudium, lætitiam, riſumque excitare poſſit. POL. Fateor. COS. Hac de cauſa ſummæ cupiditates, vt ait Ariſtoteles, iucundæ ſunt, & gaudium lætitiamque afferunt, eo amantes cum de amica abſente cogitant, ſcribunt, aut loquũtur, eam tanquam præſentem intuentur, & quodcunque, ſiue ſaxum, ſiue fontem, ſiue pratum, ſiue fagum, ſiue albam nubem viderint, vt docte Franciſcus Petrarcha in iis, quæ Hætruſca lingua edidit carminibus dixit, eam eſſe rentur, eoque lætantur, ac rident. Hoc etiam in ira ex ingenti, ardentique vindictæ appetitu gaudium, lætitiaq;, riſusque quidam Sardonius eſſe poteſt, dum vltione, tanquam præſente delectatur, vt iam exultet, ſeque iactet, quod Anni-

Iucundi magna ſpes ac memoratio, cur riſum moueat.

Riſus ſardonii in Hannibale cauſa.

Annibali forſitan contigit, cum prope iam rebus Carthaginienſium perditis, vt fertur, ipſe riſit, ob alicuius ficti iucundi, vt Victoriæ, ſeu quidquid illud fuerit vehementem ſpem, aut memorationem (neque hic illud Plutarchi me præterit, reuera ſtultitiam ciuium, ſero vt dicitur, ſapientium, ac fruſtra acta re deflentium, vnum Annibalem potiſſimum ridendo illuſiſſe) Id enim ſemper tenendum, hominem ob intelligentiæ ſubtilitatem, atque attentionem abſtrahere poſſe à præſenti malo, totumque verſari in imaginato quodam bono, perinde ac ei præſens foret, eoque frueretur, vt rideat cachinno quodam nedum illo Catoniano Catullo decantato, ſed hilaritudine quadam oculorum. Nam is riſus omnino Sardonius non eſt, ne me putes Philandro refragari, is item riſus parum durat, diffugitque ſtatim falſum illud ficti boni gaudium, lætitiaque. Ph. Probe quidem rem ipſam loqueris. Cos. Eandem illam ob cauſam forſitan fit, vt ridentibus adrideamus neſcientes, quid rideant, tunc n. generatim, & vniuerſim adeo ardenti quodam deſiderio, ac ſpe illud diſtincte percipiendi præſciſcimus, vt perinde ac illud, dilucide clareque cognoſcamus, exultemus, rideamusque ſimili ratione, qua oſcitantibus, oſcitando reſpondemus,

Cur ridentibus arrideamus.

atque dum alios mingentes videmus ipſi mingimus, ex ea etenim perceptione excitatur rei illius iam notæ memoria, ex qua ſi diſpoſiti ſimus, appetitus cum exactione oritur. Accedit & alia ratio, quod ipſa ridentis ſpecies per ſe iucunda eſt, eoq; ad riſum, aut deriſum excitare valens, quin etiam ſi ea graphice ab excellenti artifice depicta ante oculos ponatur, riſum vix tenere quis poterit. Pol. Id aliquando expertus ſum. Cos. Cęterũ illud non omittam, multum acceſſionis, momentiq; ad iucundorũ perceptionem afferre corporis humorũq; temperamentũ, hoc etenim rerum ſpectra, quę in animo inſunt valde permutantur, etenim præterquam ꝙ in ſenſus organa humores incurrere, ſuaq; ſpecie ea afficere poſſunt, vt in ſomno pręſertim patet, in quo, vtpote quieſcentib. omnib. aptius, & meli᷒, quam in vigilia apparent, vt nõ nihil pituitæ dulcis inter dormiendũ in linguæ neruos illapſo viſus eſt ſibi quidam mel lãbere, vt ait Ariſt. & ſi quis ſibilus, paruusq; ſonus in aure fiat, tonare, & fulgurare, & paruo calore in quibusdã partib. affect᷒ ſe vri, perq; prunas ambulare ſomniauit: Pręterea vero calidus, & feruidus humor ebulliẽs, omnesq; ſpecies commouens, atq; exagitans, ideq; ſi nigri fœdiue coloris fuerit rerum iucundarũ ſpectra promiſcua, diſtorta, monſtruoſa, turpia,

pia horrbiliaq; reddere valet, ſi a.frigidi ſint hum.ue nigri ſicciue, vt natura melãcholicis vel aqui,tum ſpectra in nigro, denſoue humore obliterata, ac in nimis aqueo refracta, & ad nihilum recidentia non apparebũt, at vero humores ſanguinei tẽperatiq;, clari, ac dulces iniucũda ſpectra leniunt, mulcent, mitigant, iucunda vero placida, quietaq; & mitia concinnant, vt venuſtã lepidaq; appareãt, quieſcentib. nimirũ illis, vt quemadmodum cum Alcedonia ſunt, omnia ſint pacata tranquillaq;, muta, ac dilucidius, ſonãtiusq; percipiantur. Hinc omnis pendet Hip. dum ex inſomniis bonã, malam ve valetudinẽ deprehẽdere docet. Hinc cibaria, potionesq; quędã inſomnia hilara, triſtia ve accerſunt. Hinc etiam infantes, vel ante 40. diem ſui ortus in inſomniis interdũ, vt memorat Ariſt. rident propter humorum temperiẽ & tranquillitatem ſpectris quibuſdã magis apparentib, magisq; perſpectis, cum in vigilia & ob plurimũ infantiũ calorem ſpectrorũ adſit agitatio, ac ſpirituum, quadã cum horum craſſitie, quam in vtero cõtraxerunt. Cumq; humores in hepate gignantur, ibiq; vigeãt, atq; idem hepar cum & cognoſcere obiecta valeat, hoc Pla. in eo cõcupiſcentiã & amorem, eius, ſ. illuſiones reſidere gigniq; voluit, vt verũ ſit, cogit amare iecur, ꝙ inſuper ſpeculi inſtar lene lucidũq

Hepar cur concupiſcentiæ ſedes Platoni.

Iecur cur inſtar ſpeculi lucidum.

quoquo pacto conflatum fuit, vt imagines, vti par eſt, reddat. POL. Vt hæc audire me iuuat. COS. Verum & hoc etiam addam, ridentis faciem, ſermoneſque ridiculos, atq; huiusmodi alia, vt iucunda animo appareant riſumque excitent, feriant, pulſentque eum oportet, cum rei ſeriæ cogitatione ſolutus, atque omni maiori cura vacuus eſt, nam cum quidpiam graue animo quis verſat, complectiturque aut aduerſam fortunam, & ſuas calamitates mœret, luget, ac deplorat, ſi qui adſunt dicteria paſſim iactent, ſales, iocosq; aſpergant, ad omnia renideant, bilem citius in naſum conciunt. Natura enim inſitum homini eſt ob eam principatus affectationem, vt ſe imitari, ſibique obſequi, aſſentarique cæteros velit, hoc alios in miſeriis ſuis vicem ſuam dolere, ſecumque conqueri, aut ſapientiam ſuam, cum ſerio loquitur, attendere, atque admirari par eſſe ducit, cum qui tum rident occaſionis articulos ignorantes miſerum atque grauem, ſapientemque virum nihil pendere, & vel irridere videntur, vt igitur ſacra memorant eloquia, qui cantat, vt triſtem lætificet, magis turbat illum. Hinc docte Catullus inquit;

Riſus occa ſio quæ.

Riſu inepto res ineptior nulla eſt.

Hinc Martialis Muſam ſuam illam quidem

dem prurientem, riſumque excutientem ad Plinium Iuniorem mittens ſic alloquitur:

Sed ne tempore non tuo diſertam
Pulſes ebria ianuam videto.
Totos dat tetrica dies Minerua,
Dum centum ſtudet auribus virorum
Hoc, quod ſecula poſteriq; poßint
Arpinis quoq; comparare cartis.
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hac hora eſt tua, dum furit Lyaus,
Dum regnat roſa, dum madēt capilli,
Tum me vel rigidi legant Catones.

Satis nunc mihi videor locutus de iucundis, & qua de cauſa ſpiritus à corde in riſu moueantur: Plura forſitan his addet accuratior quis, non enim omnia poſſumus omnes; ſed quid cauſæ eſt, cur ad faciem potius moueantur? Pol. Id te dicere par eſt. Cos. Equidem vereor, vt vobis ſatisfaciam. Animum aduertite, an exiſtimatis animo, ſpiritui inquam maxime in optatis eſſe, iucundo potiri, atque illud amplecti? Pol. Sine dubio. Cos. Quanam ratione id fieri poſſe putatis? Vtrum materiali quadam corporum mutua penetratione, vt de Metamorphoſi in Hermaphroditum fabulantur, an potius optatæ rei idoli, ſpectriue ſuſceptione? Pol. Ea fieri non poteſt, hæc autem maxime, nam hac ſenſuum perceptio fieri conſtat. Cos.

Hęc cum in toto fiat quoquo pacto corpore-tum maxime in facie fit, nam totum corpus facie, hanc præcipue oculis, hos pupillis natura feneſtrauit, per has igitur, ſicut & per aures, nares, linguam, labia animus peruius videt, audit, olfacit, guſtat, tangit, oſculatur. In facie igitur, ac præſertim in oculis animus, ſpiritusque inhabitat. POL. Ita ſane eſt. COS. Per eas partes, quaſi per valuas rerum ſpectra intus ad animum ſe penetrant, ipſumque pulſant, feriuntque, quod ſi idola hæc rerum parum iucundarum, ac debilia obſcuraque ſint, Animus, ſpiritusque quieſcet, aut parum ad ea amplectenda mouebitur, ſi autem excellentis, atque præſtantis iucundi ſpectrum ad animum peruadat, tum omnis vel plurimus ſpiritus obuiam ei ad illas partes, quaſi ad valuas feneſtraſque ſeſe feret. Hoc infantes naturæ quodam cæco inſtinctu, vel quos nunquam viderint parentibus extemplo conſpectis forſitan rident, vnde illud Maronis:

Cur pueri parentib. inſpectis rideant.

Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem.

POL. Modo id experientia comprobet. PH. Eſto. Quid? nonne ad iucundum ſuſcipiendum ſatis ſunt ſpiritus duntaxat, qui ad ſueta ſenſuum externorum munera à natura allegati fuere? quin etiam id naturam admittere haud par eſſet, cum ſpiritus multus ad

faciem

faciem accurrens damno ſit aliis membris. Cos. Id animus curat ſcilicet, cum iucundi amore accenſus, incitatusque, ſemet non cognoſcens, neque curans, ſuiq; oblitus (verus etenim amor, vt ille ait, neſcit habere modum) totus commouetur. Quemadmodum enim in amici aduentu, tota familia, omniſque aliquando ciuitas obuiam ei procedit, ad eam voluptatem magis perfruendam, ſic ſpiritus in perceptione præſtantis iucundi eius amore ad faciem ferme totus rapitur, & riſum efficit, vt nimirum propius rem ipſam iucundam ſit, ex qua, tanquam ex fonte, ſtirpeque manat, & propagatur idolum, ſpectrumue, quod propius, validius, & recentius eſt, magiſque apparet, qua ratione omnis ſpiritus eius fieri compos ſtudet, Catul. docte quidem id ſignificauit, cum Fabullum ſuum ad cœnam vocans inquit:

Nam vnguen tum dabo, quod mea puella
Donarunt Veneres, cupidineſq;,
Quod tu cum olfacies, Deos rogabis,
Totum, vt te faciant Fabulle naſum.

Pol. Equidem rem ipſam eloqueris, ſed quædam ſunt iucunda, vt eſt quid magnum addiſcere, vt etiam eſt reditus ad naturam in titillatione, quæ per faciem percipi non poſſe videntur. Cos. Attamē animus aſſuetus per faciem iucūda exquiſitiſſime cōprehendere in re-

in reditu ad naturam, ad quem forſitan, vt Plato aſſereret, pertinet addiſcere, ſeu recordari, quaſi hæc per oculos, aliosque ſenſus percepturus ad faciem accurrit. POL. Satisfacis. COS. Alia item de cauſa ſpiritus in cuiuscunque iucundi perceptione ad faciem copioſe mouentur, ad ſignificandam nimirum exterius ingentem illam animi voluptatem ob inſitam illam principatus ambitionem, qua ne dum cæteris quacunque in re præſtantiores eſſe, ſed etiam videri volumus, idque adeo nobis innatum eſt, vt frequenter nobis omnino inſciis, ne præſentientibus quidem contingat, eo arbitramur, noſtrum ſcire, vt ille ait in Satyra, nihil eſſe, niſi nos ſcire, ſciat alter. Hinc quæ ſoli tenemus, tacere, ac quin omnibus deblateremus noſmet ipſos continere ne vix quidem poſſumus, ſicut neque in tacito, quod dicitur, ſinu gaudere, vnde Martialis ad Gallam inquit:

Nec ſunt grata tibi gaudia, ſi qua latent.

Huiuſce rei exemplo fuit Lydorum Rex Cādaulis, vt Iuſtinus ex Trogo refert, qui (id quod ei cauſa exitii fuit) ſibi non temperauit, quin vxorem, quam pulchritudine cæteris anteire glorioſius prædicabat Gygi ſodali nudam demonſtraret, eo igitur ad faciem in riſu ſpiritus moueri arbitror, ex quo fortaſſe

vt Platonis Cratylo etiam ſuffragemur, riſus Grçcis γέλων, quaſi ἄγγελος dictus eſt, ſc. ludi, ac feſtiuitatatis nuncius, quemadmodum & riſus (nam vt Dionyſi. Halycarnaſſeus comprobat, latinæ multæ voces ex Græcis ſunt) ἀπὸ τοῦ ῥύειν, hoc eſt, fluere forſitan dictus eſt, quod in eo ſpiritus ad faciem fluant, ſed vide an homo item ſolus ad ridendum aptus ſit, quod ei vni, vt aſſerit Ariſtoteles, facies eſt quæ Græcis πρόσωπον dicitur, hęc enim quoniam ſublimis & erecta, atque ante proſpiciens, aptior eſt ad rerum imagines ſuſcipiendas atque ad gaudia expromenda, & ad hilaritatem animi pręſeferendam, indicandãque, ea item ad ſpiritus accipiendos accommodatiſſima eſt; multas enim arterias venasque habet, & laxæ raræque ſubſtantiæ eſt. POL. Ita ſane ſe habet. COS. Hoc igitur, vt ad ea, quæ enarraſti, deueniam fit, vt tota facies impleatur, & contrahatur præ multitudine nimirum ſpirituum eo accurrentium. hinc ea faciei figura, quæ manet, dum iucundi perceptio eius in cauſa viget, eadem extemplo aduenit, cum ex ſubtilitate ſpiritus, tum etiam ex repentina iucundi cognitione, qua ſubito deficiente, ea itidem illico diſcedit, euanetque. POL. Id conſtat. COS. Eo etiam facies tumet, & venæ præſertim ac genæ, quæ circa oculum, oculiq;

liqueipſi, hæc enim maxime accipere ſpiritum valent. Hoc ille motus capitis inordinatus, quod nimirũ inordinate ad illud, atq; in illo ſpiritus mouentur, quod item de brachiis dici poteſt, ad illa enim etiam forſitan ſpiritus tunc mouentur non ſufficiente facie ad eorum multitudinem excipiendam. Mouentur, & crura, totumque corpus commotis vbique, ac vndiq; excitis ſpiritibus, qui cum partim ægre à membris diſcedant, ea ſaltem mouent inordinate, incompoſite, inconcinneq;, vt impellantur hæc, exultent, proſiliant, ſubſultentque. Quod vero partes dextrę tunc magis quam ſiniſtrę moueantur, id etiam ſemper verum eſt, nam vt placet Ariſtoteli, ab ortus noſtri primordiis dextra pars ferme ſemper calidior, & validior læua eſt, niſi ad eam conſuetudine, exercitationeque multa, multum caloris ſpiritusque quis traducat, vt ambidexter fiat, quanquam Plato omnes natura ambidexteros eſſe ſentit, hominumq; inſcitia, inertiaq; fieri, vt dexteri tantum, aut læui fiant, nulla tamen inter eos eſt diſſenſio. POL. Teneo COS. Quod vero totum ferme corpus tunc remiſſum, relaxatumq; eſt, in in cauſa eſt motus ille ſpirituũ, etenim prætetquam quod ſpiritus, in quib. vires reſident, inferiora membra tunc deſerentes, ea imbecillia debiliaq; reddũt, vt fragiles

Motus in riſu vnde.

Platonis opinio de ambidextris.

giles quidam vix lotium, aliaque huiuſmodi contineant, tum etiam ex ea adeo cita crebra que eorum cõmotione ac fluctuatione(neq; n. maior in riſu inſpiratio & flatus illa per interualla retẽtio, vt alias perennis ſpiritus colligendo robur addit) vires non conſiſtunt, & volentem quidpiam moliri deſerunt, idemq; oculis aliisq; ſenſib parum minus mente tũ proſpicit, vt nihil aliud, quam id quod ridet, idq; vix cognoſcere, ac appetere rite poſſit, animus enim ſpiritusuc fluctuans, atq; agitatus, iactatusq; inſtar aquæ in vaſe, ſpectra, quod Ariſtoteles, cum de ſomnlis agit, arbitratur, diſtorquet, diſtrahit, diſſipatq;, vt vel deprauata, vel nulla appareant, & craſſos, atroſq; humores in ima corporis parte conſidentes inſtar ſepiæ atramenti, cõmouet, tollit, miſcet, & ſpargit, quo ſpectra obſcuritate, tenebriſq; inuoluũtur, vel ea ipſa, quæ ridemus vt cognitio certa præſertim, quanquam pręcedit, nulla in riſu ſit. Pol. Nugę hæ quidẽ non ſunt. Cos. Nunc de motu illo thoracis, deq; aliis dicam, cum in riſu ſpiritus omnes ſuperiora, atq; faciem pręſertim petere cupiant, ſiquidẽ ipſi principem ſedem, cor inquã, prorſus deficiant, emoriatur homo eſt neceſſe, ꝙ forſitan cauſa potuit eſſe, cur aliquãdo in riſu deceſſerint, ſed hoc ipſi, niſi omnino ſummo gaudio afficiãtur nunquam facient, proprię nẽpe conſeruationi, quę abſq; corde *Cur riſ interfici at.*

nulla eſſet conſulentes, & inuiti, ne vix quidem omnes prorſus à corde excientur, niſi paulatim fortaſſe diuturno, maximoque in riſu, id quod exitium homini afferat. POL. Ita conuenit. COS. At vero cum in iucundi perceptione adeo ardenter ad faciem properare concupiſcant, quieſcantne, an cor deſerant? equidem neutrum arbitror, ſed cor ipſum ſurſum quantum poſſunt mouebunt. POL. Recte mihi ſentire videris. COS. Quibuſdam iccirco maximo in riſu pectus condoluit, quod nimirum corde valde repenteque ſurſum moto diſtenſæ, diſtractæque ferme fuerint membranæ, & præſertim Pericardium appellata, quæ cor ipſum complectitur, per eas enim tum ad pectoris os, tum etiam ad Diaphragma annectitur. POL. Illud quidem contingere poteſt. COS. Anne etiam Diaphragma ſurſum mouebitur, vel quod hoc modo cordi coniungitur, vel quod à ſpiritibus ſurſum ad faciem accurrere cupientibus, trahitur, vel quod ab hepate concupiſcentiæ ſede, & ipſo eadem ratione, qua & cor ſurſum moto impellitur? POL. Id iam teneo. COS. Surſum vero moto contractoue Diaphragmate dilatantur coſtæ, inſpiratur & aër. POL. Hoc ex Anatomicis accepi. COS. Maxima itaque continenter ferme inter ridendum eſt inſpi-

Diaphragma in riſu ſurſum mouetur.

inſpiratio, quæ, quod ſuſpenſioni ſimilis eſt, idcirco quidam falſi ſunt, opinantes in riſu eſſe admirationem quandam. Pol. Tecum ſentio. Cos. At vero quis ignorat continentem inſpirationem, niſi congrua expiratio alternatim intercedat hominis calorem in corde ob aëris attracti multitudinem, & frigiditatem ſuffocare, extinguereq;, quod cur aliqui riſu emortui ſint, cauſæ fuerit? Pol. Patet. Cos. At nonne huiuſmodi inſpiratio, ſeu ſpiritus, flatusue retentio aluum comprimit, vt inteſtina aliquando crepitent, ac excrementa continere, ſi fragiliora ſint, nequeant? Atque vt quidam maximo ſcilicet in riſu, ſuos poſſint rumpere ramices? Pol. Certa eſt ratio. Cos. Cæterum certamen naturæ cum ſemetipſa conſidera, ea primo dum ſpiritus ad faciem iucundi ſatius percipiendi cauſa mittit, illam vehementem facit inſpirationem, dum vero conſeruationis ſalutiſque ſuæ ergo ſibi ab illa cauet, expirationem molitur, cumque maximum ei ſit, tum iucundi deſiderium, & paruum ſalutis ſtudium, inſpiratio multo maior, quam expiratio erit, cumque motus ille diaphragmatis repente, ſubitoque fiat, ſicut & motus ſpirituum, ita magna, & velox erit inſpiratio, ſed interrupta, crebraque, ob crebram cauſa ſalutis expirationem illam

Digitized by Google

quidem velocem, ſed non adeo magnam, vt quidam in thorace, quin etiam, & in abdomine tremulus motus appareat. POL. Recte loqueris. COS. Anne hæc pugna contentiove violenta eſt, & dolorem, laboremq; afferre poteſt, vt aliquando coſtæ pene luxatæ fuerint? POL. Quidni? COS. Ex hac magna, violentaq; inſpiratione alternaq; expiratione ipſe aër ad Laryngem fractus, diſperſus, colliſusq;, ac repercuſſus efficit ſonum, quem cachinnum dicunt, ex quo adeo crebro frequētiq, nullus ferme ſermoni locutioniq; eſt locus, ſi tamen loqui enitamur, vt ſermo erumpat grauior erit vox, prima etenim Laryngis, ꝙ eius muſculi ob motum ſpirituū ad faciem remiſſi ſint, quodq; multus aër violenter per eā attrahatur, valde laxa eſt, aſperaq; arteria, quod cor pulmonesq; ſurſum, vti dicebam, moueantur, breuior, quib. præſertim, cum in terrum patur, fit ſegnis, iners, ignauaq; aëris multi motio colliſioq;, cauſa ex Ariſt. cur vox grauis edatur. POL. Ita eſt, atq; hinc video his, qui valde rident, periculum imminere, ne inter manducandum, deglutiendumue in Laryngem ob eius rimam nimium apertam quidpiam cibi iucurrat, & ſuffocationem faciat, ſic forſitan Anacreō Teius acino vuę paſſæ periit, ac Fabius ſenator, idemq; prætor, vt Pli. refert, in lactis hauſtu vno pilo ſtrangulatus

Cur vox grauior.

tus

tus eſt. Cos. Recte ſentis,atque de riſu,vt ex appetitu ſenſuum oritur, hæc fere dixerim,ſi quod pene dicere oblitus eram eloquar, pulſum præſertim in facie perinde,ac reſpiratio, magnum, crebrum, velocemque tunc eſſe, atq; Diaſtolem,ſeu dilatationem maiorem ſyſtole apertioneue, cum in riſu, gaudioq; magno cor expandatur, cum ad ipſum, tum ex ipſo ad faciem accurrentib.ſpiritibus, cordis a.motum vena aorta, ſeu ateria ab eo ortum ducens obſeruat. Pol. Percipio, perge eloqui.Cos.Nunc de appetitu pure naturali vobis dicam, ex eo etiam fieri riſum, verum hic appetitus in homine, quamuis idem, qui & ſenſitiuus ſit, tamen naturalis dicatur, quod abſque alia præuia cognitione innaſci poſſit. Pol.Quo euadas neſcio. Cos. At iam ſcies, iucundi, vt arbitror, perceptio maxime fit in corde, vbi ex Ariſtotele adeſt, ac reſidet ſenſus communis, ad quem, velut ad centrum ex vno quoque ſenſuum ſpectra confluunt. Pol. Eſto,quanquam vrgent difficultates. Cos. Aliàs eas tollam.At vero nonne veriſimile eſt in ea iucundi perceptione ſpiritũ, qui vnus per omne corpus diffuſus vbiq; eſt,vndiq; ad cor ruere,ſc.ad eam voluptatẽ magis capiendam.Pol. Forſitan. Cos. Imo vero argumẽto eſt,quod in magno gaudio totum corpus immutatur, quoniam ſcil.

ſpiritus omnis ad cor properare velit, vt ea hilaritudine totus magis perfruatur, atque, vt illinc commodius ad faciem ſe ferat. Pol. Hoc vno verbo ſatisfeciſti; vt ex anatomicis recolo, vt n. aliorum membrorum ſpiritus ad faciem expedite, facileque ruant ex ramis arteriæ magnæ, ſeu venæ aortæ, velut ex angiportis quibuſdam ad eorum ſtipitem truncumque, qui eſt ad cor ipſum prius ſe recipere debent. Cos. Quoquo pacto id acceptiſti: verum ne te hic prætereat hoc fieri in ſummo gaudio, at riſus, ne dum non concitetur, ſed vt potius mortem homines obeant, ſcilicet ſpiritu, qui cum humoribus quoquo modo ad cor procedit, præ ſ[illegible]imet multitudine, tanquam à fulmine erepto, ſuffocatoq;, vt duabus mulieribus Romæ eueniſſe memorat Valerius, nunciata enim inquit clade quæ ad lacum Traſimenum inciderat, altera mater ſoſpiti filio ad ipſam portam facta obuiam complexu eius expirauit. Altera cum falſo mortis filii nuncio mœſta domi ſederet ad primum conſpectum redeuntis exanimata eſt, genus caſus inuſitatum, quas dolor non extinxerat, lætitia conſumpſit, atq; hinc arbitror, in magno etiam gaudio lacrymas effundi, riſum non edi, vt præ gaudio Demea ille aqud Terentium lacrymarit, primo etenim ſpiritus etiam à facie ad cor properãt, ad uo-

Mulieres gaudio extincta.

uolantque, ibi enim, velut in foro quodam dilucidius gaudii compotes fiunt, quo fit, vt tenues præſertim, ſeroſique humores à caligantibus oculis, & flacceſcente facie, quēadmodum, neque in dolore, ac triſtitia, cohiberi non poſſint, quin per notos ſibi lacrymarum poros foras profluant. Pol. Intelligo ſatis. Cos. Nimio item de ſpiritu, qui calor, ignisque Philoſophis dicitur, quippe calido cum humore ſibi reſpondente, quo gaudet, procedit plus ſatis cor incaleſcit, quo fit, vt duplici nomine ſpiritus in magno gaudio ad faciem aduolet, & riſum efficiat, tum ad ſuffocationem, extinctionemque præcauendam, tum etiam ad cordis calorem remittendum, ventilandumque. Pol. Sed cur ad faciem potiſſimum? Cos. Præter illa, quæ de facie ſupra dicebam, nulla alia pars ad cor refrigerandum tunc aptior eſt, nam pulmonum ea magna inſpiratio ſuffocationem auget, & quoquo pacto calorem dum expulſionem debitam excrementorum ex efflatione prohibet. Neque aliæ corporis partes, è quibus tunc ſpiritus ad cor ſe ferunt, illud præſtare valent, ſola facies tanta carnis mollitie, laxitateque, vt præcipue ea ſudore manare ſoleat, exanthemata, tubercula, papulaſvè ferre prędita, aëri externo frigidoue expoſita cum primis, & arte-

Cur ſpiritus in riſu à corde ad faciē pergant.

 riis

riis,referta,ac irrigua poteſt cum multos ſuſcipere ſpiritus, tum iis vſque, ac continenter, quemadmodum huius gratia in animi defectu frigida aſpergitur, refrigeratis cordis temperare æſtum, qua etiam de ratione cor ad faciem quaſi foras exciturus, tunc effertur. P o l. Placet hæc ſententia. C o s. Ideo riſiſſe eum, cui traiecta fuere præcordia, minus crediderim, ſicut neque à Phalangio demorſos hoc ridere haud putarim, niſi his nimirum cor caleat, hoc autem forſitan rident, qui in aquæ feruentis lebete, aut in igne decedunt. At vero croci potionem, & quarundam herbarum, vt Gelotophyllidæ Magorum exiſtimo quidem idcirco riſum inextinguibilem excitare, quod nimium cor concalfaciant, adde, quod ſpectra, quæ in animo ſunt, concinne, lepide, faceteq; compoſita, atque ornata, quibus magnum gaudium, & riſus moueatur, cõmouent, atq; obuerſari faciũt: P o l. Id veriſimile eſt Cos. Mirum autem non eſt, ſi ridentis facies ob ſpiritus, quibus impletur, calore quodam inſigni afficiatur illo quidem perblando, ſuauiq; pro eius ætate, temperieque, verum qua de cauſa ridens aërem calidum expiret, conſtat, etenim is incaleſcit propter pulmonum, & cordis calorem, quippe hæc tunc ſpiritu redundant. At hæc per loca multo ſpiritu calida,

lida,feruidaque, nempe per os tranſit: Accedit quod ore potius hianti fit riſus, ex quo ſiue dicas multum efflari aërem ex Ariſtotele in problematis, ſiue paucum ex eodem philoſopho in Meteorologicis, calidus is ſemper erit. Multus enim calorem diutius retinet, vt ab extero non refrigeretur, ſicut ille qui ore anguſto paucus exufflatur, ſiue paucus ſit, quod potius dicendum videtur, aërẽ externum valde non mouebit, quo quædam fiat ventilatio, ſed non longe à principio, ſeu ore ſentietur, vbi quemadmodum, & exhalatio, in ortus ſui principio, calidus eſt, contra qui exufflatur multus eſt, & aërem valde mouet concitatq; frigidusq; videtur. Pol. Ita ſentio. Cos. Lacrymæ a. in riſu profluunt, oculiq; roſcidi fiunt ob illum ſpiritus calorem qui poros meatusq; dilatat, ac humores ſeroſos ſanguine commixtos, quiq; lacrymarum, ac ſudoris ſubſtantia ſunt, ſoluit, eliquatque. Ad hæc aliquapiam horum humorum expreſſio fieri poteſt ob eam adeo magnam ſpirituum repletionem. Pol. Satisfacis plane. Cos. Eæ vero lacrymæ calidiores quam flentib. apparent, vtpote à ſpiritib. magis excalfactæ. Pol. Certa res eſt. Cos. At vero apertius dicam, faciem in riſu ſudore manare, ob ſpirituum magnum illum calorem, quo, & humores illi liqueſcũt, & cutis eius rareſit,

cum inſuper ea per ſe valde laxa ſit, eademque multo humore imbuta, præſertim in fronte, quippe, quæ, vt etiam Ariſtoteles ait, cerebro ſubeſt, accedit quod in riſu, & ſeroſus hic humor ſimul cum aliis humoribus, ac ſpiritibus quoquo pacto fertur. Is igitur in vaporem ſolutus, ac aërem externum frigidum offendens, ſtatim in humorem, ſudoremue ad cutim redit, & copioſius quidem à riſu, ſicut & à labore, vel quod in labore, & forſitan in riſu venæ ſpiritu, humoreque turgidæ poros coarctent, vt vapores, qui continēter fiunt contineant cohibeātq; velut clepſydra aquam, ac velut veſica nimium lotio oppleta aſtringi, occludiq; ſolet, vt ne vix quidem, deinde illud excernere poſſit, à labore vero, & riſu venæ deturgidæ laxæque vapores iam genitos copioſius exudant: vel quod inter laborandum, ridendumque magno eo de calore, æſtuque cæci vapores in auras euolant, atque euaneſcunt. At vero ſecundum laborem, ac riſum, calor ille remiſſus, quemadmodum in hyeme, & cum ſole ad occaſum vergente calor terræ inuectus paucus eſt, nequit vapores altius excitare, efferreque, vt noctis frigore in ipſam terræ ſuperficiem, aut in rorem, aut in pruinam concreſcant, coganturque, ſic ille, inquam, remiſſus calor ad cutim vſque ferme

Copioſior ſudor cur à labore.

me vapores attollit, quo in ſudorem illi vertuntur. Pol. Vera loqueris. Cos. Inſuper illud aduertas, ſpiritus haud per ſe exiſtere, ſed humoribus, ac partibus commixtos eſſe. Pol. Teneo quid dicas, nempe in arteriis ſpiritus ſanguine commiſtos contineri aliter, ac Heraſiſtratus opinatus ſit. Cos. Accepi, & ſanguis igitur in riſu ad faciem fertur. Pol. At vero ſupra negabas faciem in riſu humoribus impleri. Cos. De humoribus craſſis, in venis proprie contentis id aſſeueraram, ſcilicet, quod per ſe, ac primo non mouerentur, neque excirentur. At vero in riſu facies impletur ſanguine ſubtiliſſimo, qui à ſpiritibus concitetur: Merito itaque facies eo quem memorabas rubore in riſu ſuffunditur. Pol. Optima ratio. Cos. Splendore autem, nitoreque illo facies præſertimque oculi in riſu illuſtrantur, quod lucem quandam ſpiritus habeant, igneiq; ſint, id quod, & ſi ob eorum tenuitatem ſenſus præteruolat, præſertim interdiu, cum maiori, atque euidentiori lumine ſenſus præuenitur, tamen & in oculis ineſſe ſigno eſt, quod oculi angulo interno compreſſo fricatoq; ignea quædam apparet rota, quodque, vt Aphrodiſienſis memorat, facie icta quandam cernere ſibi videntur flammam: Noctu item aliquando ſpiritus noſtri hu-

Spiritus ignei & eorum effectus.

iuſmodi videntur, præcipue ſi craſſo in corpore eorum lux refracta, collectaque manifeſtior ſenſui fiat. Hinc arbitror forſitan Tiberio Cæſari, vt Plinius refert, fuiſſe naturam, vt expergefactus noctu pauliſper haud alio modo, quam luce clara contueretur, omnia paulatim tenebris ſeſe obducentibus. At vero, ſi ſpiritus plurimi, ſubtiliſſimique cuipiam ſint euidentius apparent, atque cum os, in primiſque oculos iucundos reddunt, tum ſi compoſite, apteque, ac leniter placideque quadam cum tranquillitate in iis moueantur, venerandos, multaque maieſtate verendos, vt ad eorum aſpectum homines caligent, oculoſque deiicere, demittereque cogantur, futuri principatus, vt inquit Ariſtoteles, argumentum, qua oris ſpecie CHRISTVM IESVM fuiſſe nonnulli memorant, ſi vero multi ſpiritus, ſubtiliſſimique faciem contineant, iidemque fluctuent, tumultuentur atque ineptiant, vt in nimio gaudio, riſuque facies quidem lucida, illuſtris fulgidaque erit, at minime excelſa, venerandaque. POL. Deus te nobis ſeruet. COS. Videor ferme riſus cauſas omnes expoſuiſſe. Nunc vero, quæ reſtant breui eloquar, nam vt videtis:

Facies veneranda qua.

Et iam

Et iam ſumma procul villarũ culmina fumãt,
Maioresq; cadunt de montibus vmbræ.

Quid igitur cauſæ ſit, cur riſum pene vnquam continere nequeamus accipite. Nemo veſtrûm, vt opinio mea fert, inficias ibit, hominis & cuiusque rei in primis dignitatibus numerari libertatem eam, qua quis ſui compos, ſuorumque actuum ac operationum liber Dominus eſt, vt antequam incipiat, non agere, & poſtquam occeperit, deſiſtere ad ſuum poſſit arbitrium nulla coactus neceſſitudine, nullaque lege cohibitus, impulſusue, contra turpe cum primis, indignum eſſe, ac malum, ita imperio, poteſtatique cuiuſpiam ſubiici, vt veluti mancipia, inſtrumentaque noſtri poteſtas neutiquam penes nos ſit, ſed alterius ad libidinem, nutumque, quocunq; impellamur, trudamurque, & quiduis facere, & pati cogamur. haud vero velim me id aſſerere, dicere, opinariue, vllo pacto exiſtimetis, de obſequio, obedientiaque quam Deo religione præſtamus, etenim ad hanc nequaquam cogimur, ſed ſponte, libentiſſimo, æquiſſimoque animo eam amplectimur, iugumque illud ſuaue, ſuauiterque omnia diſponentis Domini, ipſi nobis imponimus. Ph. Nihil eſt, quod hac de re dubitemus. Cos. Cum autem eam neceſſitatem, ac libertatem mente verſo, huius adeo

Neceſſitas & libertas vnde.

adeo communis effectus cauſam, materiam eſſe reor, ea enim, vt omnes qui eam aſſeruere, Philoſophi dicunt, omnium malorum, ac imperfectionum nobis cauſa eſt, vnde turpe, & fœmina dicitur, quæque ab ea magis diſtant magis libera ſunt, ſic Deus Optimus Maximus, quo prorſus ea caret omnino liber exiſtit. PH. Atqui nonne Ariſtoteles materiam cauſam contingentiæ aſſeruit? COS. Et recte quidem, verum de patiendi contingentia loquitur, non autem de agendi libertate, quæ materia tollitur, vel corrumpitur. POL. Do manus. COS. Vobiſcum ipſi recolatis duplicem appetitum, rationalem, nempe, ac ſenſitiuum, quo & naturalem complectimur. Diuinus Plato Metaphoræ inuolucris eos in Phædro deſcribit, hominem, vt currum ſe habere pronunciat, Auriga intellectus, ratioue eſt, equorum, qui à dextris rationalis appetitus, qui à læua ſenſitiuus, peruicax hic atque durus, niſi de hordeó multum ei dematur, atq; ſi valentiſſimus ſit, effrenatus, indomitus, præcipiti furore impotens.

Altius ingreditur, & mollia crura reponit
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces,
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto,
Nec varios horret ſtrepitus illi ardua ceruix.

Argu-

Argutumque caput, breuis aluus obeſaq; terga,
Luxuriatq; toris animoſum pectus ———
——— *tum ſi qua ſonum procul arma dedere*
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus
Collectumque premens voluit ſub naribus ignem
Denſa iuba, & dextro iactata recumbit in armo
At duplex agitur per lumbos ſpina, cauatq;
Tellurē, & ſolido grauiter ſonat vngula cornu.

At vero amoris in furias, ignemque, quantus ruat, palam eſt. etenim

Nonne vides, vt tota tremor pertentet equorum
Corpora ſi tantum notas odor attulit auras
Ac neq; eos iam frena virûm, nec verbera ſaua,
Non ſcopuli, rupesque caua, atque obiecta retardant
Flumina correptos vnda torquentia montes.

Verum ——— *Ante omnes furor eſt inſignis equarum.*

Talis hic eſt equus, quippe, vt ait, niger, materiæque luto imbutus, animus hic antiquis Latinis dicitur, caro autem & anima Apoſtolo Paulo, ſacrisq; Doctorib. Alter vero quod albus, & materiæ ſordibus, quam maxime defæcatus, manſuetus eſt, mitis, placid⁹, vt qui ex Aſturia aduehuntur, atque aurigæ

adeo communis effectus cauſam, materiam eſſe reor, ea enim, vt omnes qui eam aſſeruere, Philoſophi dicunt, omnium malorum, ac imperfectionum nobis cauſa eſt, vnde turpe, & fœmina dicitur, quæque ab ea magis diſtant magis libera ſunt, ſic Deus Optimus Maximus, quo prorſus ea caret omnino liber exiſtit. PH. Atqui nonne Ariſtoteles materiam cauſam contingentiæ aſſeruit? COS. Et recte quidem, verum de patiendi contingentia loquitur, nón autem de agendi libertate, quæ materia tollitur, vel corrumpitur. POL. Do manus. COS. Vobiſcum ipſi recolatis duplicem appetitum, rationalem, nempe, ac ſenſitiuum, quo & naturalem complectimur. Diuinus Plato Metaphoræ inuolucris eos in Phædro deſcribit, hominem, vt currum ſe habere pronunciat, Auriga intellectus, ratione eſt, equorum, qui à dextris rationalis appetitus, qui à læua ſenſitiuus, peruicax hic atque durus, niſi de hordeó multum ei dematur, atq; ſi valentiſſimus ſit, effrenatus, indomitus, præcipiti furore impotens.

Altius ingreditur, & mollia crura reponit
Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces,
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto,
Nec varios horret ſtrepitus illi ardua ceruix.

Argu-

Argutumque caput, breuis aluus obeſaq; terga,
Luxuriatq; toris animoſum pectus ——
—— *tum ſi qua ſonum procul arma dedere*
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus
Collectumque premens voluit ſub naribus ignem
Denſa tuba, & dextro iactata recumbit in armo
At duplex agitur per lumbos ſpina, cauatq;
Tellurẽ, & ſolido grauiter ſonat vngula cornu.

At vero amoris in furias, ignemque, quantus ruat, palam eſt. etenim

Nonne vides, vt tota tremor pertentet equorum
Corpora ſi tantum notas odor attulit auras
Ac neq; eos iam frena virûm, nec verbera ſæua,
Non ſcopuli, rupesque caua, atque obiecta retardant
Flumina correptos vnda torquentia montes.

Verum —— *Ante omnes furor eſt inſignis equarum.*

Talis hic eſt equus, quippe, vt ait, niger, materiæque luto imbutus, animus hic antiquis Latinis dicitur, caro autem & anima Apoſtolo Paulo, ſacrisq; Doctorib. Alter vero quod albus, & materiæ ſordibus, quam maxime defæcatus, manſuetus eſt, mitis, placid', vt qui ex Aſturia aduehuntur, atque aurigæ ad

ad verba, nutumq;,obediens, ac ob præſtantiam ipſe homo nuncupatur. PH. Pręclare loquutus, perge. COS. Riſum ab equo nigro, læuoq; fieri, ſ. ab appetitu ſenſitiuo, imo à naturali nobis iam demonſtratũ eſt, ab appetitu vero rationali vere non edi mihi ſuadeo, cum n. ad riſum velox plurimũ, citaq; ac certa cognitio requiratur, vix credibile eſt rationem vnquam intercedere poſſe, quippe eam non adeo cito conficimus, quin etiã ſi ea intercedat, riſumq; improbet, attamen præpotens niger ille equus ad riſum nos vel inuitos trahit, hinc enim fit, quod inquit Naſo:

Meliora video, proboq;, deteriora ſequor.

Riſus ſardonius verus vnde.

PH. Fateor quidem, ſed tamen, quidnam appetitu rationali non fiat, planius tibi dicendũ eſt. COS. Omnino haud negarim riſum ab appetitu rationali fieri poſſe, hic n. ſi valuerit, ſpiritus ad faciem, & ipſe vel in ſtomacho, vt dicitur, allegare poteſt, riſumq; illum mẽdacem, ac ſardonium, de quo Phi. loquebaris edere, ſ. cum iram atq; inuidiam alto premere corde, riſumque mendaci ore fingere ſibi conducibile quis arbitratur. PH. Teneo. COS. At vero cum ad veritatem cœpi reuocare rationem, riſum tanquam animæ corporiſque Malum culpandum cenſeo. animæ mala vitia ſunt, cum quidpiam præter rationem fit, huiuſmodi autem eſt ſardonius riſus. ſiue

Pſeudogelos, ſimulare enim magnanimi, ac philoſophi non eſt, atq; vt apud Plautum dicitur: Ego verum amo, verum volo mihi dici, mendacium odi, riſus item, qui de iucũdo per accidens ſ. de alterius malo excitatur, inuidiæ, ſuperbiæq; iunctus eſt, & ab optimo quoq; plurimũ abeſſe oportet, citiusq; cũ Heraclito aliorũ lapſus, errataq; dolendũ, quam cum Democ. ridendum, eo vero omnis vere riſus vituperabilis eſt, ꝙ magno de gaudio Appetituq; fit, illud n. vt in comœdia ſcribit arbitror, adprime in vita eſſe vtile, vt ne quid nimis. ac vt hic Stoicos omittã, qui, vt Lact. Firm. prodit, lætitiam aliosq; affectus radicitus extirpari poſſe ac debere cẽſent, certe magnanimum, quemadmodũ ob corporis quędã mala, neq; triſtitia demiſſum, ſic neq; ob iucunda materialia quib. riſus fit, elatum eſſe par eſt. Ph. Eſto, ita ſeſe res habeat in huiuſcemodi bonis iucundisq;, at vero in ſpiritualib. hæc ſunt duntaxat mentis, vt Dei in primis, ac ſubſtantiarũ ſeparatarũ eſt cognitio, ſummũ gaudium, & amor laudatur, atq; expetitur, prout mala errataq; ipſius mentis quo magis mœremus, ac ingemiſcimus, eo magis Deo cõmendamur. Cos. Et merito quidẽ, debetur n. ſummo bono gaudiũ ſummũ ardẽtiſſimusq; amor, ſicut maximo malo mœror odiũq; extremum. Verũ ſummũ illud

gaudium riſum non excitat, eſt enim ſolius mentis, quæ in eo iugi ſpeculationis, ac fruitionis conuiuio tota eſt, ſenſus autem ſpiritusque ingentem eam voluptatem capere non valens, tamen ob ſympathiam, conſenſumq; adeo illam admiratur, vt ſtupeat, torpeat, immobiliſque præ attentione reddatur, ac riſum facere nequeat, hæc ea eſt, quam ecſtaſin Græci dicunt, qua nullus antiquorum Philoſophorum prorſus, perfecteque vnquam affectus fuit, ſed potius lætitia ineptoque, & iactabundo riſu ex quadam propria, atque particulari, quam animo conceperint, præſtantia, atque excellentia ob res inuentas, quæ, vtpote ſingularis ad ſenſus pertinet, eique ſolum, vel præcipue cognoſcitur. Noſtri vero abſolute ea ſæpe affecti ſunt virtute diuinitus, & gratuito ſibi impertita, qua quicquid hac de re Phyſiologi quidam deblaterent, ipſos, vel genu flexos altius è terra ſublatos fuiſſe conſtat. POL. Compertum eſt ſæpius id obtigiſſe Beatæ Agneti, Virgini Politianæ à cuius gente, familiaque maternum ducit genus Laurentinus noſter, vt vel vnanimis popularium vox aliquot abhinc ſeculis in poſteros vſque fluxa, haud vnquam falſa teſtatur. COS. Nedum autem lætitia, hoc eſt, magnum gaudium de materiali quouis bono culpandum, verum etiam

Ecſtaſis cauſa.

Beata Agnes virgo Politiana Launenti ni gentilis.

de eo.

de eo ipſo triſtitia quædam laudabilis eſt, hac enim animus collectus nil non præſentit mali, præcauetque, illa vero animus diſperſus, ſpiritusque iactati, palantesque, cum ad cognoſcendum pro eo, ac debent, inepti ſunt, tam etiam facile re non ſatis, vt par eſt, perſpecta cognitaque, ab appetitu ſenſitiuo impulſi, falli, decipiq; poſſunt. Hinc omnes pendent palpatores, qui ſenſum cuiuſquam principis pulchre callentes occaſionis quibuſdam articulis, cum hilarus genio indulget ſuo, quiduis impetrant, exorant, atq; extorquent, eo etiam diuina Chriſti ſeruatoris noſtri lex, qui lugent, quique huius vitæ miſeriis, & calamitatibus, libenter, patienterq; vrgentur, beatos prædicat. Ad hæc, qui in ſecunda magis, quam aduerſa in fortuna fortiter ſe gerunt, hoc laude digniores, vnde Flaccus ad Delium: *Palpantiū artes.*

Æquam memento rebus in omnibus,
Seruare mentem, non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam lætitia
Moriture Deli.

Hoc idem Philippus magni Alexandri Pater ingenti victoria potitus, puero mandarat, vt ſingulis diebus mane ter ei proclamaret, dicens, Philippe homo es. A riſu ergo quod à lætitia, hoc eſt, à magno & geſtiente gaudio, ſcilicet in vultu apparente, fiat, abſti-

nendum. Quin etiam, vt præteream, quod ex Dione refert Stobæus, in ſacris eloquiis dicitur, iram riſu meliorem eſſe, quoniam per vultus triſtitiam corrigitur animus, & alibi, Cor ſapientium vbi triſtitia, ſtultorum vbi lætitia. Stoici inſuper gaudium quidem, vt ſcribit Cicero in ſapientem cadere poſſe, lætitiam, & proinde riſum non poſſe exiſtimant, & merito quidem, nam, vt ſupra dicebam, ſpiritus in lætitia fluctuans, atque exagitatus, humores conturbat, commiſcetque, vt ſpectra recte peruideri nequeant, vel illa, quæ ridemus, vti ſupra dicebam. Hinc etiam diuina eloquia riſum præſertim effuſum ſtultis nunquam non tribuunt, ſapientem vix tacite ridere affirmant, riſum errorem putant, in Academia item ridere vetitum fuiſſe memorat AElianus. Hinc Maro matris Mineruæ gaudium explicans, inquit, Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus. Vere enim ille ſapit, qui tacito ſcit in ſinu gaudere, & quod pene oblitus eram ex ſacra ſcriptura Abram centenarius accepto à Deo nuncio de filio Iſaac, id eſt riſus ex eo, vt linguarum rerumque doctiſſimus Riccardus Vuilobeus nobilis Anglus nuper me admonuit, appellato, &c. riſit, ſed in corde ſuo, Sara vero vxor nonagenaria aperte riſit, & quaſi non ſatis verbo

Ira riſu melior.

Hiſtoria de Abra & Sara.

bo Domini credens, eoque increpita fuit. alio inſuper nomine riſus culpandus eſt, quod ſemper incontinentiam, nonnunquam intemperantiam adiunctam habet, quoniam riſum, & ſi ratio dehortetur, tenere, aut compeſcere, eique moderari vix poſſumus: habet & aliud riſus, nempe nimiam, atque optimo cuique vituperatam principatus ambitionem. His rationibus adducor, vt credam quod Lentuli quadam epiſtola ſcribitur, ſeruatorem noſtrum vere Deum, eundemq; perfectum hominem ridere quidem potuiſſe, riſiſſe veró nunquã, cum quod eſſet ſapientiſſimus omnium, ac prudentiſſimus, maximeque liber, tum quod hominum miſerias ſemper dolebat, ac vehementi cogitatione in eius animo, oculisq; continenter mors verſabatur, quam pro nobis acerrimam purus ipſe, & inſons ſubiturus erat. Ph. Ita me Deus amet, ſapienter loquutus videris, attamẽ hic mihi ſcrupulus iniicitur. etenim, cum anima & corpus inuicem ſibi correſpondeant, eorumque mala, & bona, quoquo pacto mutua ſint, vt eo exiſtimarit Plato mentem ſine corpore & corpus ſine mente mouendum non eſſe, videtur mihi riſus tanquam corporis bonum, neque præter rationem, neque vitium eſſe, atque ipſemet ſupra dicebas menti, & corpori, quã ſalutare

Chriſtum nunquam riſiſſe demonſtratur.

Dubitatio.

eſſet, animum grauiſſimorum hominum exemplo remittere, relaxareque nugis, leuibusque iocis, ludisque riſuque melancholicis maxime ſalubris riſus videtur, quod ſpiritu, quaſi Phœbo, Bacchoue animi tetræ caligines, circa cor è nigris elatæ humoribus diſcutiantur, diſpergantur, diſſipenturque. Eſt etiam artis Gymnaſticæ recentior ſcriptor, qui in exercitationib. vocis riſum numeret, atque pronunciet prodeſſe frigidiori cerebri, pulmonum atque pectoris intemperie affectis, tum melancholicis, atque attonitis, aliiſq; huiuſmodi ægrotis. POL. Is ipſe ſcriptor eſt, qui riſum, quem διαχύσιος nomine à Cælio Aureliano ſignificari putat, cum eodem videtur à cibo commendare, cumq; riſum ex Platone, vt ait, intempeſtiuum culpet, quod ſpiritus effuſionem faciat, ipſe tamen eundem laudat, is enim, qui vocis ſit exercitatio, & qui ex titillatione fiat, quam ægrotis illis hic iniungit, effuſus eſt ac magnus effuſionemque ſpiritus inſignem facit, vt mihi quidem is ridens ſcripſiſſe videatur. COS. Sententia profecto homini haud ſalutaris. Riſus etenim, vt ſupra dicebam, ac apud Xenophontem ſcribitur, & menti, & corpori obeſt, atque, vt omittam maximum riſum, varia incommoda, mortemque ipſam conſequi, ea quæ omnis ferme

Artis Gymnaſticæ ſcriptor de riſu.

riſus quoquo pacto ſunt, commemorabo, in primis autem videtur riſus haud ſecundum naturam eſſe, vt enim nobis demonſtratum fuit, omnes hominis ordinatæ actiones inter ridendum, aut corrumpuntur, aut deprauantur, atque ipſe riſus ecquid aliud eſt, quam repentina quædam, & inſignis cordis totiusque corporis mutatio? ſine dubio, vt ex Ariſtotele conſtat, ſemper naturæ aduerſa, infeſtaque? planius hoc explicabo. Percepto iucundo ſpiritus multi ad cor confertim, confeſtimque accurrunt, eo ipſum plus ſatis ſubito incaleſcit, ac ſimul cæterum corpus languidum, remiſſumque fit, deinde ſpiritus itidem ad faciem profluuut, eoque cor magis, quam par ſit, illico frigeſcit, vnde verum eſt, quod diuinus ſermo prodit, De riſu dolet cor. Calor inſuper innatus, ſpiritus ſcilicet, anne ea exagitatione, perturbationeque diffugiet? atque homo, vti vino cum valde nimis commouetur, accidit, vappa fiet? quotus autem per laxa faciei foraminula in auras euolabit? ſunt Phyſici, qui merito aſſerant membrum virile diutius intentum detrimentum ſpiritibus, viribusque afferre, quod hi, tum exhalentur, quanto magis id eueniet facie ſpiritibus repleta, atque ridente, quam natura vlla Cartilagine non circumſepſit, vti membrum illud. Coitus inſuper

inſuper ad prolem accommodatus nonnunquam ſalubris, & coeunti creditur, quod ſimul cum ſemine, ac ſpiritu, redundans noxiusq; humor eiiciatur. At vero in riſu cum multi ſpiritus diffugiant, nihil excernitur. Quid ergo riſus exercitatio proficiet? aut quemnam ſcopum attinget? num inſpirationis crebris illis ſalebris, violentisq;, ac neceſſariis cachinnationib. pectus, pulmonesq; exercentur? Vide quantum detrimenti ex copia aëris exteri, frigidiq; inſpirati capiant. At vero frigidum cerebrum, pectusque excalfacit, ſed quonam calore? repentino illo ac ſubito, quod leuiter afficiat, illicoque deficiat diſcedentibus ad ſua loca ſpiritibus, eo accidit, primo, quod in capite à cibo præſertim motu illo ſpirituum commouentur humores coque de calore imbecillo, actutum ſcilicet, abeunte vapores attolluntur, quibus caput grauatur, & moleſtia afficitur, vapores item tunc efferuntur ex ventriculo, qui quoquo modo cum inferioribus aliis membris præſertim tunc à ſpiritibus genitalibus ſurſum elatis ſcilicet ad faciem deſtitutus friget, vt concoquere, vti par eſſet, nequeat, vnde excrementa gignet, quibus aliorum membrorum valetudo deprauetur, corrumpaturque cerebrum. præterea fiet imbecillum, tum quod eo paruo de calore,

Riſus nullam eſſe exercitationem.

lore, nimirum tranſeunte rareſcit, ac exhalatis ſpiritib. minus viribus valebit. omitto, quod frigus illud cerebri repentino eo de calore, ſe retrahet colligetq; Antiperiſtaſi ac validius fiet, quæ thoraci, acpulmonib. frigidiorib. in riſu euenire dicẽdum eſt, quamuis a. melancholicis ad tempus triſtitiam, curasque riſus diſcutiat, attamen euolatis ſpiritibus in auras, ſubtilioribusque humoribus confectis, præſertim cum maximos riſus edant, neſciantque modum habere, deinceps multo triſtiores euadunt; vt verum ſit, quod dicitur, voluptatem Mœror comes ſubſequitur, & illud ſacræ ſcripturæ Gaudii extrema luctus occupabit, & ſi autem mentis relaxatio, vti dicebam homini neceſſaria ſit, id tamen de riſu negamus, & quod plurimos homines materiæ neceſſitate actos compulſosque facere dicebam, id faciendum haud quaquam affirmo, ſed animum exemplo hominum clariſſimorum iudico remittendum, vt non amittatur tamen.

Quantum melancholicis riſus obſit.

Hanc animi relaxationem à Cælio Aureliano διάχυσιν appellari arbitror, quam ipſe merito à cibo commendat, eſt autem, vt quoquo pacto deſcribatur, cum ſimpliciter à rerum difficilium, ac ſeriarum cogitatione abſtinemus, cauemusque, ne ſpiritus & calor

à ventriculo ad ſenſus interni ſedem, hoc eſt, vel ad cor, vel ad cerebrum proficiſcantur, ac ſe referant, hoc præſtant cantus, præſtant in primis, & dulcia alloquia leuesque ludi, quibus tamen ſi fieri poteſt, neque ſubrideamus, eradenda enim extirpandaque minima ſunt, ne ſuccreſcant, quapropter Stoicis forſitan paria omnia eſſe peccata placuit. PH. At vero ne tu quidem mihi ſuaſeris, vt amico ridiculum narranti non arrideam, inurbanus enim eſſem, & communi ſenſu plane carerem. accedit, quod ex riſu bene me habere, mihi videor. Memorauit mihi dudum optimus atque doctiſſimus Riccardus Vuilobeus riſum in Phreneſi laudari. Narrauit inſuper, vt eſt vir humanitatis refertus, ſcitam quidem hiſtoriam, eam, ſi placet, vobis referam. Diues quidam, & potens ex pectoris, & Diaphragmatis Phlegmone quopiam animam agebat, familiares, (hi ſunt aulicorum mores) precioſiora primum, mox quæcunq; occurſabant, harpagare, rapere, trahere, vel coram miſerrimo principe non erubeſcebant. Aderat forte propter moribundi lectulum ſimia, ſingula attente obſeruans, atque, vt eſt hominum imitatrix, & ipſa pileum rubeum ſibi callida nimis abſtulit, eumque ſuo capiti peſſima aptauit, quadrauitque, dextere adeo, graphice, & ſtudioſe, vt oppreſſi homun-

munculi ſpiritus admirabile id perceperint, voluptate exilierint, riſum expreſſerint, præcordia adeo, pectuſque vibrantes, iactanteſque, vt Phlegmon forte fortuna, vt aiunt, ſuppuratus eo conatu, obnixuque dirumperetur, expurgatoque pure conualeſceret homo. At hæc mihi temperare quin rideam, non video ſatis, vt poſſim. Cos. An tibi praua hæc vulgi conſuetudo ſequenda ſit, nec ne ipſe videris, ego verbum non amplius addam, nam, quod videris tibi in riſu te belle habere, id quod ſenſim perdis, non ſentis, ab improba ſirene, voluptate inquam deceptus, hæc ſenſus permulcet, eiſque falſa quadam dulcedine blanditur, ne venena, quæ miſcet, percipiant. ſic Venus & vinum, immoderata affligunt humo diuinę particulam auræ, & mortem homini maturant. Riſum vero in Phreneſi commendari ex Galeno noui duntaxat, vt ſignum morbi haud acrioris, copiam enim ſanguinis dulcis puriorisq; indicat, bilioſo qui iras baccaſque conciat, minus noxii atque moleſti? Quod autem riſus hominem illum ſanare potuerit, equidem haud inficias irem, verum id rariſſimum admirandumq; nimium, ac per accidens obtigiſſet, quemadmodum quod de Pherço Iaſone memoratur, hoſtili haſta in bello apoſtemate, quod medicos omnes fatigarat, cu-

rato: cui, vt ſcribitur, Vna eadẽq; manus vulnus opemq; tulit. Quonam vero pacto riſus teneri, compeſciue queat, equidẽ haud difficile dicere poſſum, an vero facile id præſtare quis poſſit, vereor. Homo itaque ſi ſapiens ſit, & ratione vſque gubernetur, aſtris & ſibimet ipſi dominari poſſe ſatis conſtat, Regum id cum primis eſt. Accepimus enim ex Liuio, Philippum Macedonem, qui cum Romanis bella geſſit, dicaciorem fuiſſe natura, quam regem decet, & ne inter ſeria quidem riſu ſatis temperantem, Numam vero tetrica Sabinorum diſciplina educatum. conducet itaque equum læuum caſtigare, hoc eſt, ſpiritus minuere, & parum fluxiles reddere, ſed inprimis ſibi omnis, quoad poſſit à principio cauſaq; riſus caueat, ea n. poſita perceptaq; ferme neceſſario ſequitur effectus, qui igitur à riſu abſtinere ſtudet, ridicula effugiat, ratione vtatur, ſemet ipſum colligat, & paret, ne improuiſo improuideq; ridiculum accipiat, ſeq; illud in animũ penetret apud Plaut. Pſeudolus hanc rationem indicat. Callidoro n. domino cõſulens, vt animum vinceret, & cor obduraret, in re quod ſit, inquit, prȩuortaris, quam re aduerſa animo auſcultes, h. e. ſi dolere non vis, iucundum quidpiam toto animo complectaris, ſi autem riſum tenere cupis, triſte aliquod cogites, in eoq; totus ſis.

Riſus vt teneri & moderari queat.

PH.

Ph Difficile negocium tu mihi narras. Cos. Conſuetudine à teneris vnguicullis facta, ac patientia mollius leuiusq; id fit ob materiæ naturam, qua naturalia hæc, affectusque ipſi mutari, ac homines mundo, h. e. vulgo mori poſſunt, ex quo ad Deum magis accedentes immutabiles quoquo pacto fiunt. Datum id cum primis noſtris eſt. Datum & aliis fuit magno ingenio preditis, hoc Cęſarem quamuis aliter Franciſcus Petrarcha dicere videatur, putarim Magni capite conſpecto lachrymas effudiſſe, ſegregauerat enim cogitatione victoriam atque inimicitiam, & prorſus in animo, oculiſque ſibi poſuerat præteritam amicitiam, generique perſonam. Phocion Athenienſis tantæ virtutis, & integritatis vir, vt narrat Plutarchus, nunquam riſiſſe viſus eſt, Anaxagoras ille Clazomenius, cui rerum patuere receſſus, vt ille ait, atque arcana Poli, vt prodit Ælianus, hoc & ipſe præſtitit, vt nunquam ridere viſus fuerit; Ariſtoxenum valde à riſu abhorruiſſe idem refert, Heraclitumque omnia in communi vita deploraſſe. Ph. Libenter hæc amplector. Cos. At vero veſper illud iucundum, dulceque veneris ſydus hortari videtur, vt dicamus, an riſus quidpiam ad pulchritudinem afferat, & quidem moderatus (Maximus enim faciem diſtor-

Vt à riſu abſtinere facile poſſimus.

Qui à riſu abſtinuerint.

Maximus riſus faciẽ deturpat. diſtorquet, deturpat, vitiatque, perinde ac tibiarum ſonatio, modulatioue, à qua hoc abſtinuiſſe Athenis primus Alcibiades dicitur) moderatus inquam oculos blandiores, faciemque totam ſuaui quodam, rutiloque, colore, ſpecioſam, venuſtamque, efficit, ſed in formoſis, è quibus præſertim per oculos, cum ſemper pulchritudinis liquor, quem Plato memorat ſcilicet ſpiritus ſpectrumque extra manet; maxime in riſu, facie nimirum, oculiſque liquore eo turgidulis, emittitur, atque eiaculatur in aduerſos hominum ſpectantium oculos, quo amor accenditur, vt alias ſi Deus annuerit dicam, hinc Lyricus dicit:

Dulce ridentem Lalagen amabo
Dulce loquentem.

Quo etiam magis vituperabilis eſt riſus, quod amorem gignit, quo morbo quid acrius immitiusque? quanquam deformibus deformitatem, ac turpitudinem addat, hoc eſt, eam coloris fœditatem, & oris ametriam, atque obſcœnitatem magis manifeſtando, id quod Epigramma hoc, ſeu Martialis, ſeu Ouidii comprobat ad Maximinam:

Ride ſi ſapis ô puella ride,

Peli-

Pelignus puto dixerat Poeta.
Sed non dixerat omnibus puellis,
Quamuis dixerit omnibus puellis,
Non dixit tibi, tu puella non es,
Nam tres ſunt tibi Maximina dentes
Sed plane piceiq; buxeiq;
Quare ſi ſpeculo, mihique credis,
Debes non aliter timere riſum,
Quam ventum, Spanius, manumq; Priſcus.
Quam cretata timet fabula Nimbum,
Ceruſſata timet Sabella ſolem
Vultus indue tu magis ſeueros
Quam coniux Priami, nuruſq; maior
Mimos ridiculi Philiſtionis,
Et conuiuia nequiora vita,
Et quicquid lepida procacitate
Laxat perſpicuo labella riſu
Te mœſte debet aſſidere matri
Lugentiue virum, piumq; fratrem,
Et tantum tragicis vacare Muſis.
At tu iudicium ſequuta noſtrum
Plora ſi ſapis, ô puella plora.

PH. Vt probe ac breuiter enarraſti. COS. Diem ad extremum perduximus, ſatis hæc erunt. nam quod attinet ad prati, florum, ipſiusq; mundi riſum, alias oſtendemus, hunc etiam fieri ex ſpiritu aliqua in re mundiq; parte co- *De m[illegible] riſu.*

te copioſius ad ſuperficiem, vt conſpiciatur, profluente. Age itaq; ſurgamus quoad valemus debitas gratias Deo agentes.

Alterius de riſu libri, Antonio Laurentino Politiano autore finis.

Digitized by Google

442

Digitized by Google

Google